
UAN
AD AUTÓNOMA DE NU
ÓN GENERAL DE BIBLIOT

LEGIONENSIS.

OPERA

1

BR65
L4
v.1

010160



EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

1080014573

M. FR. LUYSII LEGIONENSIS OPERA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

MAG. LUYSII LEGIONENSIS

AUGUSTINIANI

DIVINORUM LIBRORUM PRIMI APUD SALMANTICENSES
INTERPRETIS

OPERA

NUNC PRIMUM EX MSS. EJUSDEM OMNIBUS
PP. AUGUSTINIENSIUM STUDIO EDITA

TOMUS I

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Universitaria y Teatro
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

SALMANTICÆ
EPISCOPALI CALATRAVÆ COLLEGIO
SUB RODRIGUEZ TYP. DUCTU
MDCCCXCI

46508

BR65
L4
V.1

NOS D. FR. THOMAS CAMARA CASTRO,

ORD. S. AUG., SAC. THEOLOG. MAGISTER; DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS SALAMANTINUS, ETC.

Cum latina Mag. Fr. Luysii Legionensis opera, sive olim edita sive adhuc Mss., quotquot reperiri undique potuere, ex nostro mandato revisa, tum catholicae fidei, cum legibus morum consona inveniantur, in nostra Calatravae Thipographia ea imprimere jussimus. Datum Salmanticae, die ipso tertii centenarii post tanti Mag. mortem 23 Augusti ann. 1891.

† *Fr. Thomas, Episc. Salamant.*

Loco † sigilli.

De mandato Exc. suae Rmae.

DR. PETRUS GARCIA REPILA,

Magister Scholarum a Secretis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
010160

PROOEMIUM GENERALE

Quae Luysii Legionensis opera ante nos edita fuere, certe sufficerent ad praeclarum theologi ac scripturarii nomen auctori comparandum: ejus, enim, momenti sunt, in eaque a doctoribus aestimatione semper habita, ut Luysium ad eminens inter suae ac posteriorum aetatum Magistros fastigium evexerint. At cum tanta sint omnibusque talia videantur, minime caeteris, quae Mag. Legionensis scripsit aut in studentium usum redegit, quaeque nondum aspexere lucem, numero, antiquitate, sed neque illa auctoritate qua Luysius apud amicos ac discipulos gaudebat, praestantiora habebuntur. Nam scripta quae Luysii adhuc viventis laudi praecipue suffragata fuere, ea fere omnia, incuria hominum ac temporum vicissitudinibus, vel amissa sunt, vel hucusque, magno litterarum detrimento, inedita, doctioribus ipsis plerisque ignota, latebant, eo usque ut vix inveniri potuerit, qui earum percelebrium de rebus theologicis praelectionum, quibus amicorum et discipulorum inusitatum affectum, et comprofessorum aemulationem ac invidentiam in se Luysius concitavit, rationem aliquam redderet. Eadem pene ignoratione manebant opuscula, si perpauca, quae ab auctore ipso praelo mandata fuere, excipiantur, majorique practio habenda quo validiori ratione ad ea dictanda Mag. Legionensis videbatur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PROOEMIUM GENERALE

Quae Luysii Legionensis opera ante nos edita fuere, certe sufficerent ad praeclarum theologi ac scripturarii nomen auctori comparandum: ejus, enim, momenti sunt, in eaque a doctoribus aestimatione semper habita, ut Luysium ad eminens inter suae ac posteriorum aetatum Magistros fastigium evexerint. At cum tanta sint omnibusque talia videantur, minime caeteris, quae Mag. Legionensis scripsit aut in studentium usum redegit, quaeque nondum aspexere lucem, numero, antiquitate, sed neque illa auctoritate qua Luysius apud amicos ac discipulos gaudebat, praestantiora habebuntur. Nam scripta quae Luysii adhuc viventis laudi praecipue suffragata fuere, ea fere omnia, incuria hominum ac temporum vicissitudinibus, vel amissa sunt, vel hucusque, magno litterarum detrimento, inedita, doctioribus ipsis plerisque ignota, latebant, eo usque ut vix inveniri potuerit, qui earum percelebrium de rebus theologicis praelectionum, quibus amicorum et discipulorum inusitatum affectum, et comprofessorum aemulationem ac invidentiam in se Luysius concitavit, rationem aliquam redderet. Eadem pene ignoratione manebant opuscula, si perpauca, quae ab auctore ipso praelo mandata fuere, excipiantur, majorique practio habenda quo validiori ratione ad ea dictanda Mag. Legionensis videbatur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

inductus, quibus et cathedras in agone, et studiorum gradus cunctorum plausu obtinuit. Sed neque ipsa opera expositiva, quae caetera Luysii scripta divulgatione longe superant, potiorem in hac re sortem nacta, ad eam devenere notitiam, qua pro auctoris perillustri nomine atque ipsorum operum utilitate ac praestantia, communi doctorum judicio, frui oportebat.

Hujus, autem, plorandae oblivionis, qua Luysius in posterioribus ac in postrema nostra praesertim aetate, tametsi eximia vatis scriptorisque fama inter primos hispanarum litterarum cultores eminuisset, vix ut theologus ac sacrorum Bibliorum explanator agnosceretur, non una simplexque causa, sed multiplex ac complexa inveniri poterit. At prima omnium nobis, qui inter praeclaras alias ejus animi dotes candorem modestiamque excelluisse dignovimus, semper ea visa est, quae ex humili de se suisque rebus aestimatione emergebat. A natura namque ipsa, si ita loqui fas est, et quasi ex spontanea cordis impulsione piis meditationibus deditus; laudationem ac saeculi honorem ita exosus, ut hominum lenocinia ejus animum non tam emollirentur, quam fastidirent; inconstantia denique favoris, fortunaeque mutationes ex propriarum rerum vario successu plane edoctus, nihil eorum, quae animo vano ac suipsius studioso satisfacere saepe solent, illum movere poterat ad ambiendum scriptoris nomen suorum laborum evulgatione. Alte ipsi persuasum erat scripta in studentium usum utpote presse nec sufficienti elaborata sollicitudine, minime typis esse committenda quin auctor, ea omnia politiori forma, iterata correctione ac studio donaret. Nec Luysium ab illa opinione, et, ut ita dicam, timidioris animi sententia, amicorum suasiones dimovere, qui, ipso teste, cum admonuerant fore hujusmodi scripta alios suo nomine edere, exspoliata uti propria venditantes. Ea tantum ratio ad propria opera castiganda edendaque illum impulit, quod cum alii *pudoris et aequitatis obliti*, ut

perbelle ipse ait, alieno nomine praelo ea traderent, non qualia scripta fuere, sed hinc inde gnare adulterata imprimerentur, quo facilius hujus rei fautores turpe suum opus celarent.

His accesit Superiorum auctoritas; vix enim elapso anno ab absolutione in causa fidei a Sto. Inquisitionis Officio Luysio impertita, P. Petrus *Suarez*, Augustinianae Provinciae Castellae pro tempore Praepositus, praeceptum eidem indixit, quo virtute sanctae obedientiae omnia a se scripta opera in editionem pararet, atque expositionem Canticorum, quam paratam et castigatam illum habere ferebatur, nulla interposita excusatione, quantocius cudendam susciperet. Hinc denique factum est, ut quaedam Mag. Legionensis scripta in lucem prodirent, quae, uti caetera, inedita adhuc permanerent, nisi auctor ad id quodammodo coactus fuisset importunis amicorum sollicitationibus, apum litterarium studioso agendi more, ac praecipue Superiorum voluntate, cui ulterius resistere non licebat Luysio, qui religiosae observantiae exemplar in rebus etiam arduis semper se praebuit.

Explanationem igitur in Cantica latine redactam, Luysius, doctorum omnium plausu, praelo tradidit Salmanticae anno 1580; cui etiam, alia tamen foliorum numeratione, adjunxit Commentarium psalmi XXVI. Quae singularem acceptationem magnumque emptorum ac lectorum numerum habuisse videntur, cum non multo post, anno scilicet 1582, novam utriusque Commentarii editionem Mag. Legionensis, exhaustis prioris exemplaribus, parare debuisset. Ea ipsa iterum 1589 Luysius Salmanticae publici juris fecit; sed expositionem Canticorum, quae in prioribus editionibus duplici tantum explanationis genere constabat, litterali scilicet et morali, tertio eam magnopere locupletavit, quo mysticam hujus arcani libri significationem pie ac docte lectoribus aperit. Neque id tantum postremam hanc editionem ampliorem aestimabilioremque fecit; sed ea de causa

praecipue commemoranda a nobis videtur, quod illam Luysius aliorum librorum Commentariis auxit; una, enim, cum explanationibus supra memoratis, tunc primo prodiere Expositiones in Abdiam et in Epistolam ad Galatas, pari simul doctrina ac formae elegantia elaboratae. Sequenti, denique, anno in lucem exiit opusculum: *De utriusque Agni immolationis legitimo tempore*, quo Luysius magnam inter doctos circa Paschae tempus disceptationem promovit. Sed nihil ulterius edendi ei opportunitas fuit, nam paulo post, anno videlicet 1591, ex hac vita in splendentem, quam selectissimis versibus ipse cecinerat, beatorum animorum perpetuam regionem migravit. Si, tamen, operibus latine scriptis ea adnumerentur, quae vernacula lingua exaravit, uti libri de Nominibus Christi *(Los Nombres de Cristo)*, in Job commentaria *(Exposición de Job)*, de perfectae uxoris exemplari *(La perfecta Casada)* aliique minoris momenti, quae omnia redacta ac nonnulla typis commissa intra unius decennii fuere, cum interea ad alias gravissimorum negotiorum expeditiones animum saepe divertisset, ingenue fatendum est Luysium superiorum ac amicorum desideriis plene gessisse morem.

At Luysii morte caetera ejus scripta, quae ad praelum magna ex parte parata illum reliquisse constat, disparuissent, nisi ejus in Religione fratres, proprii Ordinis decori providentes, laudabile eadem edendi et efficax propositum concepissent. Patribus praesertim Salmanticensibus, quos inter religiosam ipse vitam fere totam Luysius transcrit, quorumque domui scripta ipsius ac res in usum fuere, id non tantum in mentem venisse compertum est, sed eos, vix anno a Luysii morte transacto, decrevisse propriis expensis Expositionem Job, quam vernacule compositam Luysius reliquit, quam primum cudere; nec multo post, eodem animi consilio, iterum ab eorumdem superiore, Praeposito scilicet Provinciae Castellae, enixe deprecabantur, ut Fr. Basilium Pontium Legionensem, doctissimum egregiumque virum, Luysii nepotem ac studiosum discipulum, in domum salmanticensem se transferre permitteret, quo Mag. Legionensis opera inedita ordinaret et ad edendum pararet. Basilii Pontii ad hoc muneris electio certe consultissima extitit; tot quippe ipse Luysio tamque validis nominibus devinctus erat, fraternitate nimirum religiosa, discipulatu, ipso denique sanguinis vinculo, ut nemo alius adesse recte putabatur, qui totum id munus in se laetius susciperet ac diligentius in optatum duceret finem.

Dubium, tamen, est, an Basilii studio aliquod Mag. Legionensis scriptum editum demum fuerit; idque praecipue disceptationi judicioque vario in hac re occasionem praebet, quod Explanatio in Job, hispane a Luysio concinnata, quaeque jam ab ipso auctore plane disposita, et, teste Basilio, propediem edenda, minime publicae luci patuit. Unde nobis verosimilius videtur, Basilium non aliud opus typis mandasse, nisi opusculum *De utriusque*... quod Luysius postremo ejus vitae anno jam ediderat. Quoad vero Commentarium in Job attinet, nullam tunc ejus editionem factam fuisse censemus, cum nullum unquam illius exemplar se vidisse ullus scriptor tradat, neque PP., quorum studio ac sollicitudine id Commentarium anno 1829 juris publici fiebat, alterius editionis rationem reddant; immo ipsi suam omnium priorem esse arbitrentur. Ex Basilii ipsius testimonio, nihil aliud praeterea colligi potest, nisi quod hujusmodi explanationem plane dispositam haberet, et in dies eam editurum esse promitteret. Pro diligentia isto muneri a Basilio adhibita argumentum adduci semper poterit, etiam si illud ad finem perducere nequiverit, quod varia Luysii scripta, partim ab auctore ipso digesta, partim vero incorrecta inordinateque ab eo relicta, Basilius collegerit, ordinarit, correxerit, et ita disposuerit, ut quamprimum praelo committi possent. Neque id tantum laboris in gratiam carissimi avunculi sui ac Magistri insumpsit, sed illius gloriam variis aliis rationibus promovit: ipse, enim,

propositiones Luysii de auctoritate Vulgatae, paulo antea tam acri contentione discussas, et a quibusdam etiam censura theologica iniustas, proprio signavit nomine, defendit atque tutius est; opusculum praeterea *De utriusque Agni immolatione*, quod post Luysii mortem objectionibus ac vellicationibus expositum fuisse dicitur, validis argumentis ab invidorum calumniis vindicavit, opere ad id edito *De Agno typico*; vix denique quaestio reperiatur aliqua, ex his, quas de theologicis rebus Basilius scripsit, qua Luysii nomen et doctrinam, qualibet data occasione, hinc inde non commendaverit, adeo ut tanti magistri sententiarum expositor ac sectator potius, quam auctor in propriis etiam libris saepe saepius exhibeatur.

Caeterum, Basilio emortuo, quin munus sibi commissum tandem perficere valeret, latina Luysii opera, oblivione quadam affecta videntur. Nam licet Nostrates nunquam eorum plene memoriam exuerint; sed ea, uti Basilius reliquit, collecta ac ordinata asservarent, alio distracti, ab editione peragenda per aliquod tempus animum dimovere. At id, in aliorum operum Luysii, quae antea edi nequiverant, vel quia inopportunum videbatur, vel quia incorrectione aliqua laborabant, profectum et utilitatem cessisse comperium est. Quae namque hispane scripta Luysius tradidit, parem illis operibus aestimationem habere, uberioremque lectoribus fructum datura recte PP. nostri censentes, in id praecipue intenderunt animum, ut haec primum opera publici juris fierent. Forsan Nostrates a prima operum poeticorum Luysii editione, cura percelebris Francisci Quevedo anno 1631 excusa, alieni non fuere; nec absonum judicabitur, eos hominem sibi apprime notum, ac de Ordine nostro alias benemeritum, cum Divi Thomae a Villanueva, Augustiniani, in populorum utilitatem vitam quamdam scripserit, sollicitationibus saltem in illud opus impulisse, eique exemplaria operum subministrasse, et in eo exsequendo munere non parum juvisse. Quod si nihil

horum acciderit, argumenta alia nobis suppetunt quibus nostrorum Patrum providentiam erga Luysii scripta satius probare possimus.

Quo tempore Franciscus Quevedo Luysii opera poetica collegit et in lucem edere parabat, id ipsum facere intendisse Patres Augustinianos constat; qui fortasse ab eo opere destitere, quod Francisci falx peritia indubia in hanc segetem ingrederetur. Nam inter poeticorum Luysii operum collectiones, quas P. Merino uti a se revisas enumerat, quaedam ab augustinensibus Patribus elaborata memoratur, quae nonnisi ad id tempus referri potest, tum ex dicendi forma, tum ex ipsa collectionis inscriptione, in qua ipsa Luysii opera adhuc inedita supponuntur. Hispanam in Job Explanationem, quibusdam difficultatibus interruptam, iterum nostrates typis mandare constituisse apertissimis probatur rationibus: nam varia Mss., juxta quae dictam Expositionem edere meditabantur, teste P. Merino, qui omnia accurate examinavit, licentias ad illam edendam eo tempore datas, ostendebant. Caeterum, non absque probabili ratione suspicamur nostratum in id munus iteratis conatibus quasdam difficultatates graviores obstitisse, quam essent pecuniae sumptus, temporis inopportunitas aliave hujus generis; quas inter praecipue numerari fortasse veniat, quae ex animorum habitudine et scholarum simultate, res ad extremum deferentium, emersisse constat. Quibusdam, enim, angustae mentis ac praejudiciis imbutis hominibus id temerarium ac ecclesiasticis vetitum legibus judicasse, tenaci et acrique animo pro viribus obstetisse traditur, ne opera Luysii, quibus sacra Biblia vernacule interpretabantur, juris publici fierent, suis que sollicitationibus ac relationibus necdum id obtinuisse, sed ut ad Sti. Officii tribunal delatum Commentarium hispanum in Job, censurae ac inquisitioni subjiceretur. Hinc, nostro quidem judicio, evenit ut, nostrates spe frustrati ac laboribus fracti, toto saeculo XVII et magna ex parte XVIII,

illa Luysii opera, etsi a doctoribus expetita, edere nequirent.

Qua negotii hujus dilatione alia etiam Luysii scripta periculis variisque vicibus exposita fuere, nec parum ex illis jacturae passa. Sed inter has Luysii rerum vicissitudines, certe eminent, praecipua recordatione dignaque habentur, quae illis acciderant cum domus nostra Salmanticensis magna quadam ac improvisa conflagratione affecta fuit; igne, namque, in copiosam illius conventus librariam incurrente, quam stragem effecerit, ex testibus coevis potius deplorare quam exponere historici nostri quiverunt, qui, inter alia maxima quidem aestimatione digna, plurima etiam Mag. Legionensis scripta tunc periisse magno animi dolore lamentati sunt. Qua de causa autographorum Luysii, quibus ditatam Salmanticensis conventus librariam fuisse traditur, praesertim ad scripta latina spectantium, vix aliquod postea inveniri poterat. Nam PP. ipsis Augustinianis Matritensibus, qui quanta cura in iis rebus foret impendenda, cuncta Luysii scripta colligere intenderunt, cum aliter rebus, quam hac nostra tempestate, constitutis, nostrorum scriptis impia manu sparsis, nondum laborarent, plura alia authographa, quam a nobis enumerata, inveniendi potestatem amplius eis non fuisse, testantur ipsorum de hac re notae ac descriptiones. Quod ad latina attinet scripta, si quaedam excipiantur alicujus tractatus fragmenta, caetera alia, id est, fere omnia operum Luysii scripta, a praefatis PP. laudabili porro diligentia undique collecta, ex exemplaribus variis, pia ac fideli sed aliena manu descriptis desumpta fuere.

Sed ob id praecipue in nostratum animos egit hujusque damni consideratio, eosque potiori ratione impulit ad hujusmodi negotium celerius prosequendum, ne simili alia calamitate difficilius aut etiam imposibile illud evaderet. Certum enim est, ab hoc rerum Luysii plorabili casu nostrorum PP. conatus atque labores intensiores, vel certe

feliciores efficacioresque fuisse, quorum ope tandem aliqua Mag. Legionensis prodierunt opera; pluraque alia iterum collecta atque in editionem pene disposita fuere: superatisque, praeterea, eis difficultatibus, quae ex hominum praejudiciis, scholarumque contentionibus emanatae, uti diximus, hujus negotii operosiorem ac tardiorem expeditionem fecerant, pleno jam animi proposito illud ad finem perducendum procedi potuit. Quo in labore plerique nostrorum PP., doctrina vel ingenio perceiebres, omnem facultatem diligentissime ac libenter impendisse traditur: sic librum Job, poetice in hispanam linguam a Luysio nostro versum, perficiebat P. Didacus *González*, scholae poeticae Salmantinae, ac Religionis Augustinianae splendidissimum decus, additisque aliquot strophis ita illud absolvebat, ut vix ejus opera a Luysii labore distingui queat. Deinde P. Emmanuel *Vidal*, insignis theologus, nostrique Salmanticensis conventus doctissimus historiographus, Expositionem Job vernacule scriptam, a Sti. Officii Inquisitoribus absque aliqua censurae nota, nostris tradi non tantum assequebatur, sed fortunatior, quam ejus praedecessores, in Luysii tandem gratiam et hispanarum litterarum utilitatem publici juris fecit. Nec multo post commentaria Canticorum hispane exarata, quae ex peculiaribus temporum conditionibus antea produci nequibant, legibus ad id ecclesiastica potestate statutis, contrario usu ac tacito Praelatorum consensu abrogatis, in lucem denique edere licuit. Quibus addi poterit quorumdam opusculorum impressio per id temporis facta, uti cujusdam responsionis, qua Luysius ab aliquorum aemulorum, illud Canticorum commentarium varie vellicantium, impugnationibus se vindicavit; nonnullarum etiam orationum latinarum, solemnium quorumdam factorum caussa, ex commissione tum Praelatorum Ordinis, tum Universitatis Salmanticensis, habitarum. Sed in hoc altero opusculo edendo, PP. nostri nullam adhibuisse operam videntur. Horum enim editio

opusculorum nec prudenti animi consilio nec ea qua parerat diligentia ac studio in finem perducta est, praetermissa etiam superiorum Ordinis, ac loci Ordinarii licentia.

Inter nostrates, tamen, qui diligentius hanc rem expedire curarunt, nullus profecto antecelluit P. Franciscum *Méndez*, Augustinianum Matritensem, eruditorum ignotum nemini. Noster, enim, *Méndez*, totam ejus impigram, supra quam dici possit, activitatem in id munus libentissime conferens, scripta Luysii ubi et apud quos essent sollicite investigavit; eorumdem undique, quae potuit, exemplaria congessit; aliorum vero, transcriptiones vel fieri curavit, vel etiam per se ipse fecit. Ita, igitur, ex variis scriptis duo versorum volumina efformavit; hispanae Ecclesiastes versionis, quod Luysii opus fere omnibus latebat exemplar sibi comparavit, typisque tradere proposuit sub titulo: *Perfectus Concionator (El Perfecto Predicador)*; ac operum latinorum collectionem, a P. *Merino* prosequutam, videtur ipse incepisse. Sed ex omnibus his nec minimum quidem scriptum, ipso vivente, prodiit: nam, etsi ex titulo cuidam Luysii operi propria P. *Méndez* manu imposito, inferre licet circa annum 1782 cum quodam librario Valentino (fortasse Monfort, aliorum Luysii operum editore) de Luysii latine scriptis edendis egisse, certum tamen est nihil tandem editum tunc temporis fuisse. Sed a P. *Méndez* in hac re labor, et si, praecipue quoad exemplaria colligenda, non ea, qua jus esset, discriminatione confectus videatur, cum ipse P. *Méndez* primo omnia, quae quocumque modo Luysio adscriberentur opera, congerere intenderit, posterius certa ab incertis discreturus, absdubio ita posterioribus laboribus inservit, ut sine eo vix in quibusdam rebus utile quid fieri potuerit. Itaque, iis aliisque levioribus defectibus ei condonatis, quos quidem non ex imperito ac negligenti studio, sed ex animi candore ac peculiari proposito emanatos nobis semper visum est, ut P. *Méndez* debitam, pro ejus improba ac perutili ad hujus negotii expeditionem opera, commemorationem faceremus, aequitas ipsa postulabat. Id, praeterea, in meritis P. *Méndez* poni debet, quod iterum nostrorum animum et studium ad latina Luysii Mss., jam pridem obliterata, vel saltem hispane scriptis postposita, proprio ipsius exempio et opera traxit.

Post P. *Méndez* hujus rei expediendae munus in se P. Antolinus *Merino*, Augustinianus etiam coenoblarcha Matritensis, doctissimus sane homo, suscepit. Qui, ut erat tenaci memoria, omnigena doctrina, expertoque judicio praeditus, illud ut ad optatum finem perduceret omnes sperabant; et revera perduxisset, ni ei salus defuisset, nec eis vixisset temporibus, quibus omnia ad id necessaria deerant: editorum scilicet facultas, lectorum favor, tranquillitas animi etc., sine quibus nemini unquam id absolvere licuit. His, tamen, difficultatibus impeditus, ab assumpto opere nunquam destitit, sed prout illi facultas erat, prosequi et in lucem ut educerentur omni conatu laboravit. Latinorum Luysii operum exemplar a P. *Méndez* inceptum prosequutus fuit; quamplurimisque correctionibus et annotationibus auxit, ac pene perfecit; etsi, ut fatetur ipsemet, neque omnino correctum exstet, neque omnia Luysii latina complectatur. Ad cujus exemplaris normam Mss. Luysii opera edere in mente illi fuisse constat: nam fasciculi quibus exemplar efformatur, a Notariis publicis (anno 1817) signata omnia habent folia, et ad finem ejus Notarii de exemplari cum ejusdem Mss. originalibus conformitate, testimonium ferunt. Idem ipse P. *Merino* testatur, tam hispana Luysii opera quam latine scripta cudere propositum habuisse, ita ut in posterum omnia eximii Magistri opera, pro publico doctorum praesertim profectu, collectione accurate adlaborata continerentur. At in hispanica edendo id temporis laborisque insumere necesse fuit, ut ad latina in lucem educenda neutrum postea adesset: absoluta, enim, hispanorum operum editione, P. *Merino*, ut ipse lamentatur, oculorum aegritudine laborans, annorum onere,

vitaeque laboribus atritus peneque consumptus, politicis rerum vicissitudinibus ad impotentiam redactus, vix ultra in id muneris manus adjicere potuit. Quo autem animi dolore ab opere incepto desistere cogeretur, luculenter testatur ipse in epistola ad P. *Muñoz Capilla*, Augustinianum Cordubensem, doctrina reque litteraria perillustrem. Itaque, Patris *Merino* industria, nullum latine Luysii scriptorum tandem prodisse est tenendum, etsi cuidam de hac re scriptori aliter visum fuerit; nam ipse P. *Merino*, quibusdam notis exemplari ab ipso et P. *Méndez* elaborato, propria, ut videtur, manu appositis, monet exemplar neque ad complementum potuisse perducere, neque fasciculos exaratos omni correctione, postremaque expolitione excultos esse. Quae, vero, in Luysii gratiam P. *Merino* fecit, maxima porro laudatione habentur digna: ejus namque hispanorum Luysii operum editio, omnibus caeteris, tum antiquis, tum recentioribus absque dubio est anteferenda, neque minori aestimatione digna censenda sunt, pro latina scriptorum editione par diligentia ac sanum propositum.

Vix P. Merino ex hac vita ad meliorem revocato, eae rerum vicissitudines evenerunt, quae spem omnem institutum opus prosequendi penitus ademere. Nostratibus, uti caeteris omnium Ordinum sodalibus contigit, e propriis domibus, sub libertatis colore impie tyranneque dejectis, bonis omnibus ipsaque communi vivendi ratione contra jus fasque spoliatis, mentem et animum ab illo opere tunc revocare necesse fuit. Id vero in tanta rerum perturbatione faustum accidit, quod Luysii scripta, tot nostratum laboribus collecta, in aliorum manus, qui imperite ea diriperent, vel ignare incertis emptoribus alienarent, non devenirent, sed ab universali, ut ita dicam, naufragio magna ex parte salva fuerint, nostrorum PP. cura nunquam satis laudanda. Ea, enim, uti plura alia ad Augustinianos Matritenses pertinentia, P. Josephus *La Canal*, etiam Augustinianus, vir doctrina insignis, secum duxit

et accurate asservavit, occasionem tamen illa edendi aliquando adfuturam minime desperans. Anno tamen 1840 rescribens ad supra laudatum P. Josephum Muñoz Capilla, horum Luysii scriptorum mentione facta, P. *La Canal* magnopere dolebat industriam omnem ad illa edenda hucusque adhibitam frustratam fuisse; idemque futurum in posterum timens, propositum se efformasse enuntiabat eorum custodiam Regalis Historicorum Academiae, cui ipse P. *La Canal* praeerat, committendi, ut ea hujus Instituti praesidio securius asservarentur. Quod et fecit. Post mortem P. *La Canal* Luysii scripta in illius Academiae potestatem devenere, ubi primo ad ejus Bibliothecae aulam, *(Florezianam* a P. *Florez*, Augustiniano clarissimo, cujus scripta ibi custodiebantur, dictam) aggregata, aliquibus ab hinc annis (1885), inordinata et conglomerata non sine magno animi dolore ipsi vidimus; nunc, vero, in ordinem D. Antonii *Rodriguez Villa*, ejusdem Instituti Bibliothecarii sollicitudine redigenda speramus.

Postremis, tamen, hisce annis, etsi nondum res ad pristinum feliciorum temporum statum sint restitutae, temperata tamen revolutionis vi, religiosisque ordinibus aliquali libertate concessa, iterum scripta Luysii colligendi, omnique conatu ea demum edendi inter nostrates studium exarsit, ubi primum certiores facti sunt Luysii scripta, a P. *La Canal* Regali Historicarum rerum Academiae commissa, in hujus Instituti Bibliotheca inveniri atque asservari. Primo, enim, Excmus. D. Fr. Thomas *Cámara* et *Castro*, Augustinianus, episcopus Salmanticensis, nondum ad Episcopatus fastigium evectus, sed magisterium intra nostrorum collegiorum claustra peritissime exercens, illa perquisivit, magnaque ex parte adinvenit an. 1882. Neque multo post, nobis, de mandato superiorum nostrorum scripta in Bibliotheca praelaudati Instituti contenta evolventibus, quaedam alia Luysii opera Mss. feliciter inveniri contigit; inter quae perantiquum codicem, lecturam *De Incarnatione* am-

plectentem, ac exemplar PP. *Méndez* et *Merino* cura exaratum, septem fasciculis comprehensum, summo animi oblectamento deprehendimus. Itaque, ex his omnibus generalia transcriptio, Excmi. D. Thomae *Cámara* cura incepta, Rmi. P. Thyrsi *López*, S. Theologiae Mag., Rmoque. P. Commisario Apostolico a consiliis, non parum progressa; nobis incubuit, qui quod scientiae eruditionisque deerat, labore atque diligentia supplere curavimus. Porro, ab anno 1883, quo illud oneris in nos suscepimus, nulla alterius negotii expeditio nos distentiores et oneratiores quam ista reddidit. Sed tempus, labores, ipsam salutis vim in opere prosequendo impendisse gaudemus, cum munificentia praesertim Excmi. P. *Cámara*, cooperationeque Illmorum. DD. Fr. Vincentii *Pontes* et *Cantelar*, episcopi Guadicensis, Arsenii *Campo* et *Monasterio*, episcopi Neocaesariensis in insulis Philippinis, et Josephi *López* et *Mendoza*, episcopi Jacensis, Augustinianorum, Luysii tandem latina scripta, in lucem proferre intueamur.

Ut, vero, ex quibus fontibus desumptum exemplar nostrum sit aperiamus, et ad quorumque scriptorum normam collectio a nobis efformata demum edatur, quamdam Mss. omnium, quae nobis consulere licuit, notitiam brevi praemittemus; ipsa Mss. sub eis litteris notantes, quibus in posterum, ut claritati et ordini satis fiat, cum de illis incidat sermo, designabuntur. Cum, tamen, Mss. quae ad exemplar nostrum constituendum congessimus, non omnia ad Bibliothecam Reg. Historicorum Academiae pertineant, sed quaedam, licet numero et momento illis longe inferiora, in quibusdam aliis Bibliothecis asserventur, aliqua distinctione inter utraque adhibita, ea describere juvabit. Itaque quae Luysii Mss. in Bibliotheca praefatae Academiae inveniuntur, haec sunt scilicet:

A. Volumen in 4.°, infoliatum; tegmine pergameneo coopertum. Videtur a quodam Luysii alumno ex ipsa cathedrae auditione descriptum, ut conjicere licet ex annotationibus hinc inde sparsis, quibus lecturae cursus variaque illius incidentia notantur. Attamen ex linearum ac marginum regularitate infertur exemplar non raptim, uti ab scholaribus transcribi Magistrorum lecturas in ipsa cathedra necesse est, sed paulatim confectum fuisse, fortasse juxta primaevam scholaris transcriptionem ex Luysii auditione statim factam. Caeterum in exemplari scribendo, sui temporis morem sequutus, pleraque verba imperfecte ac compendiarie tantum scriba notare solet, qui tamen vocis desinentiam quodam signo indicat. Cum lacuna aliqua interrumpitur transcriptio, uti aliquando, raro tamen, accidit, scriba ipse apposita nota: *nihil deest*, integram esse lecturam testatur. Denique, quod ad exemplaris materialem descriptionem attinet, peracta videtur imperite ac negligenter, si ortographica errata pensentur, quae multiplicia ac pergravia sunt, et sintaxis deffectus, qui rariores licet sint, et ipsi hinc inde inveniuntur, et inexpertam accusant scribae manum. Continet: *In Ecclesiastem* (expositio imcompleta).—*In Epistol.* II *ad Thessalonicenses* (commentarium etiam imperfectum).—*In Abdiam.*—*In Psalmos* LVII *et* LXVII.—*In Canticum Moysis.*—*Super verba: Deum nemo vidit unquam* (fragmentum lecturae a P. Guevara habitae Luysii vicem gerente). Signatur: 10-10-5.

B. Tomus in 4.°, infoliatus, pergameneo involuero tectus. Tot ab scribis videtur exaratum, exemplar istud, quot in illo continentur scripta. Omnia, tamen, ad finem saeculi XVI referri poterunt. Quae certo et absque ulla dubitatione Mag. Legionensis adscribi debeant, praeter tractatum *De Incarnatione*, nulla alia, nostra quidem sententia, in isto volumine continentur. Hujus vero tractatus scriptio, etsi ab alio scriba confecta, quasdam habet cum superiori codice A notas communes: regularitas, scilicet, marginum ac linearum constanter servata; verba etiam compendiarie plerumque transcripta; neque errata denique grammaticalia desunt, etsi rariora quam in illo alio

codice inveniantur. Fortasse et istud exemplar a quodam Luysii alumno descriptum fuerit ex notationibus, in ipsa cathedra ad Luysii auditionem signatis. Continet: *De incarnatione (Commentaria in Durandum, super librum* III *Sententiarum*, distinct. I-XX).—*De Adoratione Christi* (fragmentum cujusdam quaestionis, num. 25 notatae, ignoto auctore).—*De Sacramentis* (tractatus anonimus, quaestiones LX-LXXIV juxta ordinem Summae Theologicae D. Thomae complectens). Invenitur sub signatura: 10-10-6.

C. Volumen, varie foliatum, in 4.°; pergameno tectum. Scripta hujus codicis, uti a pluribus manibus delineata, vario litterarum charactere insigniuntur. Ad causam, Luysio a Sto. Inquisitionis Officio ob delationem insequutam, pertinuisse omnia, in eoque processu veluti corpus delicti, uti ajunt, exhibita fuisse videntur, quod titulus exemplaris ipse indicat, qui ita inscribitur: *Papeles pertenecientes á la causa del M. Fr. Luis de Leon*. Praecipua opuscula in illo contenta, nam exstant aliqua documenta breviora, quorum suo loco memoria fiet, haec sunt: *Exposición de los Cantares (Explanatio in Cantica*, hispane exarata).—*De Vulgata editione*, sub quo nomine quoddam scriptum anepigraphum designamus, ab ipso Luysio descriptum (Continet summatim doctrinam, quam Luysius circa Vulgatae auctoritatem, in lectura cui titulus: *De Fide*, antea exposuerat, quibusdam acriter contradicentibus; estque ad finem subscriptum a DD. Complutensibus Velazquez, Barrionuevo et Valbás, qui illud in genere approbant).—*De Vulgata editione* (exemplar anepigraphum praecedentis autographi), subscritum atque absolute approbatum a perinsignibus PP. Augustiniensibus *Villaricencio et Veracruz*).—*De Vulgata editione* (Exemplar alterum, etiam anepigraphum, supralaudati autographi). *De Sacra Scriptura*. (Exemplar, quod, circa lecturam *De Fide*, a Luysio habitam, dubia quaedam ad varios S. Scripturae textus expectantia continet: annotationibus marginalibus, quibus scatet videtur exemplar idipsum esse, quod ab aemulis Luysii Inquisitorum judicio delatum fuit). *Oratio Sancto Augustino dicta*, in cujus fine haec autographa verba apparent: *El dho Senor Inquisidor la huuo por presentado, y lo mando poner en su processo, y amonestado fue llevado a su carcel. Passo ante mi Boluar S.°* Signatura: 10-10-5.

D. Tomus in 4.°, pergameno involutus; foliatus tantum ex parte. Varia scriptorum Luysii exemplaria continet, non una eademque manu confecta, nec eodem proinde characterum stylo efformata. Quae, igitur, is Codex continet, alia inedita, alia jam excusa, haec scilicet sunt: *In Ecclesiastem* (exemplar studiose ac perite exaratum, characterum nitiditate, regularitate marginum, praesertimque descriptionis fidelitate praecipue commendabile. Est tamen imperfectum).—*In Canticum Moysis* (fragmentum *autographum* hujus commentarii quamplurimis correctionibus ab ipso Luysio expolitum).—*In Psalmum*, XV (ignoti auctoris opus).—*In Psalmum* XVI (ignoto auctore).—*In Psalmum* XVIII (ignoti auctoris exemplar imperfectum).—*In Psalmum* CXLV (fragmentum ignoti auctoris).—*In Psalmum* XXVIII (Exemplar expositionis Luysio jure adscriptae).—*Exposición de los Cantares (Commentaria in Cantica Canticorum*, hispane scripta).—*De utriusque Agni immolationis legitimo tempore* (exemplar editionis salmantinae anno 1592 excusae apud Petrum *Lasso*). Signatur: 10-10-5.

E. Volumen 150 circiter paginarum in 4.°, corio involutum. Exemplar circa finem saeculi XVIII fortassis exaratum curaque nimia, ut videtur, scriptum, si nempe ex externa ejus forma illud judicamus. Quasdam in textum correctiones inductas fuisse testantur scholia varia ad ejus calcem addita. Ex inscriptione primis foliis apposita, quae ita se habet: *Alvarez—Maestrescuelas—de Baza*, conjicere licet, id exemplar in usum fuisse D. Petro *Alvarez* et *Gutiérrez* Colegialis Ecclesiae Bazae Magistro scholarum, homini doctrina insigni, ac P. *Merino* avito amicitiae vinculo

conjuncto. Has complectitur orationes latinas: *In exequiis Dominici Soto.—In laudem D. Augustini.* Notatur signo: 10-10-6.

F. Tomus infoliatus in 4.°; chartaceo involucro coopertus. Exemplar, quod ad extremam XVIII saeculi periodum referri omnino debet. Manuscrita hujus codicis pars, nam quoddam praeterea impressum continet, notanda negligentia videtur peracta. Complectitur itaque hic Codex: *De Sacra Scriptura* (exemplar, quod quaestiones circa varios S. Scripturae toxtus a Luysio in lectura *De Fide* expositas, continet. P. *Méndez*, cujus videtur esse tum tractatus inscriptio, tum quaedam in illum praefatio hispane scripta, hunc illi titulum non satis accurate apposuit: *De Vulgata editione.—Respuesta que desde su prisión da á sus émulos el M. Fr. Luis de Leon (M. Fr. L. Legionensis ad quosdam ejus aemulos responsio*, hispane scripta; exemplar editionis salmantinae, anno 1798 excusae). Signatura: 10-10-6.

Praeter memorata Luysii scripterum exemplaria, quae in praelaudata Regalis Accademiae Bibliotheca, ex P. Jos. La Canal commissione asservantur, inibi etiam exstat generalis horum scripturorum transcriptio a P. Mendez incepta Patrisque *Merino* studio insequuta; quae septem fasciculis in folio constare nunc usque invenimus, licet nobis prudens obveniat dubium, sitne aliquis alius, qui inquisitionem nostram, nostraque in hac re studia aufugerit, cum in memoratis fasciculis non omnia Luysii continentur scripta. Caeterum, quos fasciculos exstare constat, ac recensere juvat, Notariorum subscriptione ad publicam fidem firmatos atque edi permissos, haec continent Luysii opera:—I. 240 pagellarum, *In Ecclesiastem.* (Explanatio latine scripta).—II. *In Ecclesiastem*, plus 250 pagellis constans (Ejusdem Commentarii alterum exemplar).—III. *El Perfecto Predicador* 243 pagellis (praefatae expositionis versio hispana).—IV. 134 pag. In Psalmum XXVIII; *De utriusque agni*, etc.; *In Canticum Moysis.*—V. (134 pag.) *In*

Epistolam II *ad Thessalonicenses;* In Psalmum LVII; In Psalmum LXVII.—VI. (170 pag.) *De Sacra Scriptura; De Conciliis; De auctoritate Papae.*—VII. (234 pag.) *Quaestiones variae: De Calendarii emendatione.* Fasciculi I, IV et V Notarii N. Sierra subscriptione, die 1 Junii ann. 1817 data, roborantur; fasciculus VII a notario N. Marin die 16 Augusti ejusdem anni subscribitur. Caeteri vero censura ac licencia carent.

Alia, tamen, Luysii scripta in aliis, tum publicis, tum privatis bibliothecis asservantur, quorum numerationem, quoad nobis liceat, superiorum descriptioni annectemur, inceptum prosequuti ordinem. Ea, vero, sunt quae sequuntur:

G. Volumen 215 foliorum in 4.°, pergameno coopertum, cura P. Ajofrin anno 1632 concinnatum fuisse patet ex quadam hujus P. animadversione, codici apposita. Juxta notam a P. Petro Fernández Augustiniano, nobis traditam, quam postea ipsi nos comprobavimus, plura variorum auctorum sacra commentaria in hoc codice comprehenduntur, inter quae *Explanationis* Luysii in Ecclesiastem exemplar quoddam continetur (fol. 48-131), ejusdem, ut videtur, P. Ajofrin, sollicitudine circa praefatum annum 1632 exaratum. His, praeterea, opusculis una eademque manu descriptis, id volumen constat: *Super 4.m cap. Matthaei* (auctore D. Joanne Cantero).—*In Ecclesiastem* (opus Luysii, imperfectum).—*In Jonam* (auctore P. Cipriano, forsan *de la Huerga*, Doctore complutensi, percelebrique expositore).—*In Nahum* (ejusdem P. Cipriani opus).—*In Psalmum* XLIV (commentarium eidem P. Cipriano etiam adscriptum.)—*Super parabolas ac praedicationem Jesu Christi* (tractatus praefati D. Joannis *Cantero*). Asservatur Matriti in Bibliotheca Nationali, sub signatura: B-153.

H. Tomus 380 fere foliorum in 4.°, corio coopertus. Variis scriptis constat, a diversis etiam scribis exaratis, quae isto ordine continentur: I. *Interpretatio Bulae crucia-*

tae (fol. 1-16), ignoti auctoris opus.—*De Fide* (fol. 17-148), (Adscribitur hoc opus Mag. Legionensi, cujus profecto videtur esse saltem doctrina in illo exposita. Servatur in descriptione quaedam linearum ac marginum aequalitas; verba insuper summatim scribuntur; quo non parum iste codex exemplaribus, quae superius quibusdam Luysii alumnis adjudicavimus, assimilatur: Sed imperitius ac negligentius confectum esse patet).—*De spe;* (fol. 149-213), Tractatus anonimus, qui cum praecedenti *De Fide* connectitur.—*De charitate,* (fol. 214 et sequent.) Opus anonimum, quo praecedentia *De Fide et spe* perficiuntur. Invenitur in Regali Biblioth. Escurialensi, signatum: O-111-32.

I. Volumen 181 foliorum in 4.° Sed in eo comprehensa alia scripta et annexa fuisse videntur, nam foliatio hujus codicis a folio 399 incipit, explicitque folio 590. Ex nota, quam D. Joaquin Hazañas, doctus scriptor, nobisque amicitiae vinculo copulatus, qui eam perite ac diligenter desumpsit atque ad nos pervenire studiose ac benevolole fecit: continet exemplar istud opuscula hic assignanda, scilicet: *In III partem D. Thomae* (commentaria Luysio adscripta, quae tamen tres primas hujus Partis quaestiones tantum complectuntur).—*In epistol. I ad Corinthios* (imperfectum ignotique auctoris opus).—*In Genesim* (ignoto auctore).—*In Psalmos* (ignoti auctoris commentaria imperfecta).—Aliaque minoris momenti. Signatur: E. 4.°, 465-18.

J. Volumen 60 circiter foliorum in 4.°, sub tegmine pergameneo. In usum P. Augustino Núñez, Augustiniano, in domu nostra Secoviensi Concionatori, fuisse, ex quibusdam adjunctis conjicitur; ac fortasse propria manu P. Núñez exaratum. Exemplaria, igitur, scriptorum in hoc volumine contenta, ad finem saeculi XVIII vel praesentis initium, qua aetate praefatus P. Núñez vixit, referri omnino debebunt. Continet sequentia:—I. *Oratio habita in Comitiis Provincialibus* (oratio latina, Luysio adjudicata).—II. *Adnotationes in eamdem* (ipsius P. Núñez opus).—

Breve Pii VI ad Gallos.—*Reflexiones circa Gallos hodiernos.*—*Sententiae morales.* (Postrema haec, ut patet, nullam ad Luysium relationem dicunt). Extat hodie in Bibliotheca nostri Collegii Vallisoletani, sectioni mss. addictum.

K. Tomus 60 fere foliorum in 4.°, pergameno coopertus. E variis documentis, quae, ne perirent, etsi parvi momenti nobis viderentur, ipsi congessimus, illum effermari curavimus. Praecipua ejus opuscula haec sunt: De *Legibus* (Cujusdam lecturae Luysio adscriptae fragmentum, forsan initio hujus saeculi exaratum.—*Apologia pro scriptis* Stae. Theresiae (Luysii opusculum, ab ipso, ut videtur, P. Méndez descriptum, ex exemplari impresso.—III. *Correcciones de las poesias de Fr. Luis* (Poeticorum Luysii operum emendationes, studio Philippi Leon et Guerra, modesti sane auctoris, ex proprio ingenio, non vero ex antiquioribus codicibus, nostris diebus confectae, nobisque ab ipso auctore communicatae: parvi proinde pretii opus).—*Dedicatoria á las MM. Priora Ana de Jesús y RR. MM. Carmelitas.* (M. Annae de Jesu, casterisque MM. conventus Carmelitarum Discalceatorum Matritensis hispani in Job Commentarii dedicatio: exemplar excussum).—*Extracto del expediente seguido para hallar los restos de Fr. Luis de Leon.* (Processi ad Luysii exuvia invenienda instituti compendium: exemplar excusum Salmanticae, anno 1856); ex libris P. Dominici Olavarria. Nunc inter opera et scripta ad ephemeridem *La Ciudad de Dios* pertinentia, apud regale Sti. Laurentii Escurialensis Monasterium asservatur.

L. Libellus 68 folior. in 4°. Ex actis originalibus videtur transcriptus ad finem saeculi XVI (1578). Documenta continet ad judicium Universitatis Salmanticensis circa Calendarii reformationem pertinentia, quorum praecipua haec sunt: *Academiae Salmanticensis Gregorio XIII de Calendarii reformatione consulenti Responsum* (Aliquorum Doctorum autographis subscriptionibus signatum).—*Academiae Salmanticensis de restitutione Calendarii votum ad Pont. Max. Leo-*

nem X et Ferdinandum regem Catholicum anno 1515 missum. (Transcriptio responsionis praefato anno datae).—*Ad Sum. P. Gregorium XIII epistola.* (Qua Doctores Salmanticenses negotii commissi rationem reddunt.—*Carta á Felipe II* (Ad Philippum II epistola a Doctoribus Salmanticensibus data, ut eum responsionis ad S. Pont. missae conscium facerent). Quaedam istorum Luysio adscribuntur, quem in hujus negotii expeditione aliquam habuisse partem ex ipso codice liquet. Asservatur exemplar in bibliotheca Universitatis Salmanticensis.

Codicibus enumeratis, quorum ope nostram Luysii scriptorum conficiemus editionem, nonnulla animadvertere superest, quae in eorum exemplaribus relegendis et edendis rationem insequutam lectoribus patefaciant. Primum, igitur, omnium, ut susceptum negotium rite absolvi posset, id nostri muneris duximus, ut inter tot scripta Luysio nostro indiscriminatim adjudicata, hujusmodi judicium atque selectio demum fieret, quibus certa ab incertis, indubia a dubiis vel probabilibus prorsus discernerentur. Quo peracto, non nisi quae plena certitudine Magistro Legionensi adscribere licuisset, intra hujus collectionis corpus, quasi Luysii nostri authentica essent opera, includere constituimus: caetera, vero, quae Luysio tribuerentur, vel anonima inter Luysii scripta exsisterent, si ea vel nullo modo, vel dubie, aut etiam probabiliter tantum Luysium auctorem habere constaret, in appendicem cujusque voluminis, quo illis opportunior locus esset, justa, si placet, severitate, rejecimus. Mox quae inter varia exemplaria essent praeferenda, expendere oportuit: qua in disquisitione non una eademque ratio erat constanter adhibenda: caeteris paribus, antiquiorem codicem ad nostram editionem praeferendum censuimus; sed si aliqua de causa aliter extimare nobis visum est, uti nonnumquam accidit, ad exemplaris correctionem una cum ejusdem fidelitate semper attendimus. Ampliorem hujus nostri consilii rationem,

prout sese offerat occasio, iterum reddemus. Textum praeterea Mss., quem pro exemplaribus sumpsimus, omni sollicitudine hac nostra editione ad litteram plane immutatum producere volumus, nisi quod scribarum negligentiae evidenter esset tribuendum, uti errata ortographica, graviores sintaxis defectus, etc.: addita vero omnia intra parenthesim inclusimus, vel prooemiis quibusdam, brevioribusque scholiis, ad calcem textus appositis; neque ex propria interpretatione, sed, quoad id fieri potuit, juxta aliorum codicum lectionem perfici curavimus. Denique, Luyssii in citando morem revereri religiose censuimus, qui ea libertate auctoritatem S. Scripturae, et aliorum auctorum, tum ecclesiasticorum, tum profanorum, plerumque refert, ut nonnisi ad sententiam attendere videatur, ipsius litterae pene oblitus; quod lectoribus edicere maxime volumus, ne, cum allegationes aut textus adducti, differre animadverterent, id incuriae aut infidelitati in hac editione conficienda, non vero auctoris ingenio aut consuetudini tribuant.

Neque huic generali in latina Luysii opera praefationi finem imponemus, quin grati animi nostri iis omnibus testificationem exhibeamus, quorum ope uti necesse fuit, ut Mag. Legionensis scripta, praesertim inedita, colligi, transcribi ac tandem prodi quirent in lucem; qui, certe, perpluros fuere. Liceat, tamen, nobis eorum speciatim meminisse, qui praecipua quadam ratione, laborem, consilium vel favorem suum liberali sane animo praestantes, in hujus negotii expeditionem, ac secundum exitum, plus operis contulerunt: Excmum. scilicet, D. Fr. Thomam *Cámara et Castro*, Augustinianum, Episcopum Salmanticensem, qui id opus non tantum consilio, ac stimulis fovit, sed etiam illius peragendi in se praecipue suscepit; Illmos. ac Rvmos. DD. Fr. Vincentium *Pontes* et *Cantelar*, episcopum Guadicensem, Fr. Arsenium *Campo* et *Monasterio*, episcopum Neocacerensem (in Philippinis Insulis), ac Fr. Jose-

phum *López* et *Mendoza*, episcopum Jacensem, qui omnes, augustiniani nominis decus promovendi studiosi, largitate omni commendatione digna, una cum Excmo. D. Fr. Thoma *Cámara* et *Castro*, Episcopo Salmanticensi, sumptus editioni necessarios libenti animo suffragantur. Alia quidem ratione commemorandi veniunt Excmi. DD. Aurelianus *Fernández Guerra*, et Antonius *María Fabié*, doctissimi Regalium Academiarum pro rebus litterariis et historicis socii, quorum favore, ut exemplaria scriptorum Luysii consuli ac transcribi possent, usi sumus; nec non Rvmus. P. Fr. Emmanuel *Diez González*, Augustinensium hispanorum Commisarius Generalis Apostolicus, quem in his, sicuti in caeteris rebus ad studiorum cultum spectantibus, benevolum valde ac faventem semper sumus experti. Sed nefas supra modum esset nomina praeterire Rvmi. P. Thyrsi *López*, Rvmo. P. Commisario Apostolico a consiliis, cujus omnigenam eruditionem linguaeque latinae peritiam in hoc opere conficiendo passim mutuavimus; Nost. PP. Vincentii *Fernández* et Eustasii *Estéban*, qui in graecis allegationibus, et Honorati *Del Val* et Petri *Lozano*, qui in hebraicis supplendis aut comprobandis perplurimum nos adjuverunt: denique D. Fabiani *Ruano* perdocti in Salmanticensi Instituto professoris, cui typographicae textus correctiones saepe commissae sunt. Quorum omnium aut favori aut industriae, ut Luysii scripta tandem in lucem proferantur, certe debebitur, quae alioqui inedita, doctorum dolore, in saecula permanerent, vel etiam, uti pluribus contigit, deperirent.

Reg. Monasterio Escurialensi prima Julii an. 1891.

Fr. Marcellinus Gutiérrez
AUGUSTINIANUS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IN CANTICUM MOYSIS

PROOEMIUM

Expositionis hujus tria supersunt Mss. nobis nota exemplaria: primum autographum, aliud transcriptum a quodam ipsius Luysii alumno, aliud denique initio hujus saeculi elaboratum cura PP. Augustinianorum Matritensium, qui Luysii scripta colligere intendebant. Autographum expositionem continet imperfectam, quippe quae ad versum 8, ipso verso 8 incluso, tantum pertingit: consuli poterit in codice *D* supra descripto. Aliud, vero, exemplar, quod asservatur in tomo Ms. superius littera *A* notato, eamdem expositionem eamque integram complectitur sub titulo: «Canticum Mosis, Deuteronomii caput 32, expositum per doctissimum Magistrum Iudovicum leonem, 1582.» Videtur exemplar istud cuidam Luysii alumno adscribendum, quod in ipso titulo et quadam nota circa finem ita lecturae tempus praefiniatur, ut nisi ab auditore fieri vix poterat. Si inter se conferantur, exemplar scilicet cum autographo, omnino quoad doctrinae substantiam conveniunt; minime, vero, in accidentibus, praesertim quoad verba. Attamen, de exemplaris authenticitate ambigendum non esse judicamus, tum propter ejus doctrinae convenientiam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cum autographo, tum quod Luysio adscribatur, tum etiam quia exemplar videtur transcriptio post lecturae auditionem statim facta. Discrepantia, autem, verborum et sententiarum explicari forsan poterit ex ratione scribendi Luysio in more habita, qui lecturas prius alumnis quadam simplicitate traditas, postea corrigebat, ut ita immutatas et castigatas publicae luci traderet. Id ipsum nobis probant emendationes autographi ab ipso auctore factae, quae quidem et nimiae et frequentes sunt.

De transcriptione PP. Augustinianorum Matritensium studio facta nihil dicere oportet, cum recentior sit caeteris codicibus atque ex illis desumpta. Sufficiat animadvertere nos eam aliquando consuluisse, ut loca dubia ex nostrorum doctissimorum PP. auctoritate securius quam proprio judicio interpretaremur. Quando, vero, ea usi sumus, ex notis patebit, ubi aperte praefatorum PP. auctoritatem adducere curabimus.

Animadvertere tandem juvat textum hujus editionis partim ex autographo, partim ab exemplari esse desumptum. Ex autographo, enim, mutuavimus quidquid ipsum Ms. continet, id est, usque ad versum 8; caetera, vero, ad finem usque expositionis, deficiente autographo, ab exemplari transcribere debuimus.

IN CANTICUM MOYSIS

(Deuteronomii cap. XXXII) (1)

Moyses, morti proximus, jussu Dei hoc carmen conscripsit, illudque in publica totius populi concione Judaeis discendum et decantandum tradidit. Idque fecit, non ut ad Legis Dei observantiam isto carmine Israelitas adhortaretur, quod nonnulli opinati sunt, sed ut promissa Dei erga illum populum, cui Deus tam saepe obstrinxerat fidem suam, ab omni suspicione falsitatis liberaret. Nam pollicitus fuerat Deus Judaeis, fore ut Moyses ipsos, Josue duce, in terrae Chananeae possessionem induceret; et deletis aut pacatis circumquaque vicinis gentibus, paceque constituta, in felicissimo statu bonisque omnibus affluente vita eosdem collocaret. Quae, quoniam Moyses, divinitus edoctus, videbat non esse ad exitum perducenda propter eorumdem in Deum peccata futura (cognoscebat enim quanta illius populi erga Deum futura esset impietas); id, ergo, quoniam sciebat eventurum, et ob eam causam casum et inane maxima ex parte futurum quod illi populo Deus promiserat (nam promiserat ea lege, pie modo ipsum ac

(1) In autographo: «Canticum Moysis. Deut. 32.» Codex *A*: «Canticum Mosis. Deuteronomii cap. XXXII, expositum per doctissimum Magistrum ludovicum Iconem. 1582.»

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cum autographo, tum quod Luysio adscribatur, tum etiam quia exemplar videtur transcriptio post lecturae auditionem statim facta. Discrepantia, autem, verborum et sententiarum explicari forsan poterit ex ratione scribendi Luysio in more habita, qui lecturas prius alumnis quadam simplicitate traditas, postea corrigebat, ut ita immutatas et castigatas publicae luci traderet. Id ipsum nobis probant emendationes autographi ab ipso auctore factae, quae quidem et nimiae et frequentes sunt.

De transcriptione PP. Augustinianorum Matritensium studio facta nihil dicere oportet, cum recentior sit caeteris codicibus atque ex illis desumpta. Sufficiat animadvertere nos eam aliquando consuluisse, ut loca dubia ex nostrorum doctissimorum PP. auctoritate securius quam proprio judicio interpretaremur. Quando, vero, ea usi sumus, ex notis patebit, ubi aperte praefatorum PP. auctoritatem adducere curabimus.

Animadvertere tandem juvat textum hujus editionis partim ex autographo, partim ab exemplari esse desumptum. Ex autographo, enim, mutuavimus quidquid ipsum Ms. continet, id est, usque ad versum 8; caetera, vero, ad finem usque expositionis, deficiente autographo, ab exemplari transcribere debuimus.

IN CANTICUM MOYSIS

(Deuteronomii cap. XXXII) (1)

Moyses, morti proximus, jussu Dei hoc carmen conscripsit, illudque in publica totius populi concione Judaeis discendum et decantandum tradidit. Idque fecit, non ut ad Legis Dei observantiam isto carmine Israelitas adhortaretur, quod nonnulli opinati sunt, sed ut promissa Dei erga illum populum, cui Deus tam saepe obstrinxerat fidem suam, ab omni suspicione falsitatis liberaret. Nam pollicitus fuerat Deus Judaeis, fore ut Moyses ipsos, Josue duce, in terrae Chananeae possessionem induceret; et deletis aut pacatis circumquaque vicinis gentibus, paceque constituta, in felicissimo statu bonisque omnibus affluente vita eosdem collocaret. Quae, quoniam Moyses, divinitus edoctus, videbat non esse ad exitum perducenda propter eorumdem in Deum peccata futura (cognoscebat enim quanta illius populi erga Deum futura esset impietas); id, ergo, quoniam sciebat eventurum, et ob eam causam casum et inane maxima ex parte futurum quod illi populo Deus promiserat (nam promiserat ea lege, pie modo ipsum ac

(1) In autographo: «Canticum Moysis. Deut. 32.» Codex *A*: «Canticum Mosis. Deuteronomii cap. XXXII, expositum per doctissimum Magistrum ludovicum Iconem. 1582.»

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sancte colerent *pactione facta* (1), et data utrinque et accepta fide); ergo ne quis, ea cum vidisset non compleri promissa, aut Deum existimaret suam fidem fefellisse, aut Mosem crederet eventurum quod erat ignorasse, hoc carmen confecit, in quo Judaeos tandem a Dei gratia repellendos esse et abjiciendos propter immania ipsorum scelera manifeste praedicit, idque Judaeis ediscendum tradidit, ejus ut quoties meminissent, toties videre atque intelligere possent, non ulla vanitate aut imbecillitate Dei, sed ipsorum pravitate atque vitio, non, inquam, quod ille falsus aut inconstans esset, sed quod ipsi pravi erga illum et infideles fuissent, fidem suam non exsolvisse ipsum aut promissa complesse; itaque, ipsos se, suis delictis, promissa et sperata felicitate spoliasse. Est, ergo, propheticum hoc carmen, et ob eam causam conscriptum, ut Judaeis esset pro testimonio Deum non fuisse falsum, sed ipsos extitisse pravos, et ob id spe sua esse frustratos. Nam hoc esse Moysi propositum docere in hoc carmine Burgensis docte animadvertit; idque aperte colligitur ex eo, quod capite superiori Moses ex persona scriptum reliquit: *Nunc autem*, inquit, *scribite vobis carmen istud et docete filios Israel: ut memoriter teneant, et de more decantent, et sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel..... irritum enim facient pactum meum. Postquam enim invenerint eos mala cuncta et afflictiones, respondebit eis carmen istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio.* Quasi dicat: Non poterunt filii Israel queri de me, quod, incautos et nihil tale metuentes, eos malis involverim, neque id saltem causare atque dicere se, admoniti (2), foedus servaturos fuisse mecum quod pepigerant, eos si quis ante admonuisset malorum, quae ex eo violato in ipsos ma-

(1) Sic in autographo.

(2) Ita in autographo; superest tamen verbum *admoniti*, quod videtur obliteratum ex aliis quae auctor ipse delevit.

narent, nam hoc carmen testabitur multo ante, aperte et accurate, fuisse praemonitos. In quo intueri licet bonitatem summi Dei, ejusque in homines charitatem atque clementiam. Nihil enim eorum quibus homines à peccato revocari et ad sanitatem possunt perduci intentatum relinquit. Nam quamvis, cum alibi pluries, tum praecipue in hoc libro, et multum et saepe Deus admonuerat Judaeos, viderent etiam atque etiam, foedus ut, quod secum fecerant, sancte et religiose servarent; poenas enim acerbas et diuturnas ipsos, ni servassent, daturos; tamen, non contentus iis admonitionibus, quoniam qui liber eas continebat non erat in promptu, eum ut quivis legere aut habere posset, quod omnes facile addiscerent et memoria retinerent, hoc voluit carmen confici, et in eo, quae ad id argumentum pertinerent, cuncta conjici.

I.—Audite, coeli, quae loquor, audiat terra verba oris mei.

Primo reddit auditores attentos a magnitudine rerum, de quibus dicturus est. Declarat, autem, eas esse magnas audituque dignas, ex eo quod coelum atque terram advocat ad suam audiendam orationem. Itaque, ipsa novitate exordii attentionem commovet. Sed ¿quinam sunt hi coeli atque terra quos vocat? Glossema Rabani, Clementem (1) Alexandrinum, ut opinor, et Origenem sequutum: COELI, inquit, id est, coelestes; TERRA, id est, terrigenae. Sed nihil vetat haec vocabula et proprie et simpliciter accipi: nam, etsi inanima sint quae significant et sensus vacua, tamen ea rectissime Moyses invitat ad hos audiendos sermones: primum, ut rerum dicendarum magis demonstret magnitudinem, nam necesse est maxima sint, quae equum

(1) Ad marginem adjecta videtur quaedam nota, fortasse auctoritas Rabani. Scissis vero foliis, nihil aliud legi potest quam praepositio *in*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est res omnes ut audiant; deinde, ut ὑπερβολικῶς (1) declaret, eos ad quos loquebatur, adeo esse corde duro et a praescripto rationis averso, ut rebus, quamvis inanimis, facilius quam ipsis persuaderi posset.

Est enim hoc positum, non solum in Sanctarum Scripturarum usu, sed etiam in quotidiano more hominum, ut quos videmus nolle acquiescere salutaribus consiliis eaque respuere, ab iis avertamus nos nostrumque sermonem, et ad res inanimas eum convertamus, easque affirmemus et audituras attentius et percepturas melius et citius assenturas. Ex quo intelligitur, quam sit eorum conditio misera Dei voces qui negligunt, quique ejus monita salutaria obstinate ab se repellunt et ad animum suum introire non sinunt; sunt, enim, rebus inanimis deteriores: itaque illos Deus justissime arcebit a regno suo, quando quod res sensus experles faciunt, ut pro eo atque illarum natura fert, Deo audientes se praebeant et sibi ab eo datas leges nunquam violent, id ipsi, et rationis compotes et tanto illustrati lumine, ut faciant animum non inducunt. Postremo, ideo his exordiis Moyses usus dicitur, ut quae res in natura maxime sunt stabiles, quaeque semper permansurae creduntur, eas in testes advocaret ejus quod hoc carmine agitur, nempe, per *Deum non stetisse*, quominus Judaei felicitate promissa potirentur, ipsos se sua culpa in interitum praecipitasse. Nam, quo quis magis est stabilis atque firmus, eo ad testimonium ferendum magis est idoneus. AUDITE, COELI, QUAE LOQUOR, AUDIAT TERRA VERBA ORIS MEI. Simili principio eadem in causa usus est Esaias (2): *Audite, coeli, auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus est. Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me.*

(1) Ita scriptum graece in autographo. PP. Augustiniani Matritenses etiam transcribunt: ὑπερβολικῶς. In codice *A*, omisso verbo graeco, sic legitur: «2.°, *id dictum est, ad declarandum per hyperbolem...*»

(2) In margine: *Esa 1.°*

Nam, ut Chrysostomus scribit (1), Esaias in illo adlusit ad initium hujus carminis, tacite significans ac quodammodo dicens, quod in isto carmine praedicitur futurum, ut Judaeos Deus propter ipsorum scelera abjiceret et promissis orbaret bonis, id sua ipsis aetate fere contigisse, maximaque ex parte completum esse. Quare, quos testes Moyses esse voluit praedictionis suae, eam quando in hoc carmine confecit, eosdem citavit Esaias, quod praedictum est compleri ubi vidit, ac pene dixit: Vos, coeli, tuque, terra, olim quos Moyses testes citavit et ingratitudinis Judaeorum futurae et poenae per ipsos luendae ob eam ingratitudinem, adeste nunc ac videto, quam certos illa praedictio habeat eventus; quod, enim, ad Judaeorum ingratitudinem in Deum attinet, ipse Deus mihi sic loquutus est: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me*; quod, vero, ad poenas quas daturi sint spectat, video Chaldaeos jam vocari ab ipso eos ut perdant, Romanosque post futuros prospicio, qui una cum republica, eorum extinguent nomen funditus; itaque de iis, capitulis III, IV, V, VI, multa disseruit. Sequitur:

2.—Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum...

In superiori versu commendabat Moyses orationem suam a magnitudine rerum, quas dicturus erat, et ea re auditorem attentum reddebat; in isto, autem, versu idem alia ratione molitur. Nam eam commendat a ratione eleganti scilicet et suavi, qua usurus est in dicendo, ab elocutionis, inquam, ubertate et venustate; vel, certe, commendat ipsam ab utilitate rerum dicendarum. CONCRESCAT, inquit, UT PLUVIA DOCTRINA MEA. Hebraice: יַעַרְ, itaque

(1) Ad marginem: *homi. 3 de pent.°*

Graeci: Προσδοκάτω (1), id est, CONCRESCAT ET FLUAT, in significatione futuri. Pluviae, porro, et roris atque imbrium vocabula in his Litteris orationis elegantis atque copiosae vim translate significant; ut enim pluvia, terram imbuens, eam fecundat, sic diserta et copiosa oratio, hausta auribus, animos reddit fecundos; sed praecipue in ea oratione haec spectatur translatio, quae utiliter de rebus habetur optimis, cui tamen una inest elegantia dictionis et splendor. Ecclesiasticus in sapientis viri elogio (2): *Et ipse, tanquam imbres, emittet eloquia sapientiae suae.* David in psalmo (3), quo doceat Christi sermones futuros utilissimos pariter et dulcissimos: *Descendet*, inquit, *sicut pluvia in vellus: et sicut stillicidia stillantia super terram.* Et Job de se ipso (4): *Verbis meis addere nihil audebant, et super illos stillabat eloquium meum: expectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant tanquam ad imbrem serotinum.* Ex quo est, quod sequitur in eamdem sententiam:

QUASI IMBER SUPER HERBAM, ET QUASI STILLAE SUPER GRAMINA. In quo, non solum se utilia dicturum promittit, sed etiam optat atque desiderat, ut qui se audient, animo ita sin affecti, facile ut illis possit persuaderi. Nam illa יערף (5), quamvis futurum notent tempus, tamen proprietate hebraica vim optandi etiam habent, quod sequutus noster, recte CONCRESCAT ET FLUAT vertit. Ergo optat Moyses ut, quemadmodum imbre in terram cadente agri virent, sic istis suis sermonibus grato animo acceptis, meliores evadant auditores. Cum, autem, id optat, facile ostendit se auditorum salutis esse cupidum, atque ex eo reddit ipsos benevolos. Sequitur:

(1) Desunt in autographo utrique textus, graecus scilicet et hebraicus.

(2) Ad marginem: *Sap. 39 (sic).* (3) In margine: *Ps. 71.*

(4) Ad marginem: *Job. 9*, pro *29.*

(5) Deest in autographo textus hebraicus, quem tamen auctor citare intendebat.

3.—Quia nomen Domini invocabo: date magnificentiam Deo nostro.

Quidam existimant hoc versu proponi, de quibus deinceps dicendum est. Quasi diceret: Dicturus sum de Deo deque ejus summa potentia, ea ut a vobis cognita, magnificiatis ipsum. At hi non recte. Non, enim, propositio est, sed invocatio. Nam Moyses, rantis de rebus dicturus, rite prius numen Dei invocat, ejusque implorat opem. Epicis recepto more, ut ille: *Ab Jove principium Musae; Jocis omnia plena.* QUIA NOMEN DEI, inquit, INVOCABO: quasi dicat: ego, vero, Dei implorabo opem, mihi ut adsit dicenti; vos, porro, eumdem supplices oratote, ut et mihi ad dicendum facultatem concedat, et vobis ad audiendum bonam mentem inspiret. NOMEN DOMINI INVOCABO, Pro DOMINI in Hebraeo legitur יהוה (1) nomen Dei tetragrammaton, quod nomen Hebraei et sanctissimum habent, et efficacissimum esse arbitrantur; itaque, ab illo auspicantur actiones et sermones suos omnes, quem morem omnes orientales conservant. Sequitur:

4.—Dei perfecta sunt opera, et omnes viae ejus judicia: Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus et rectus. 5. Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus: generatio prava atque perversa.

Proponit qua de re dicturus sit; dicturus, enim, est atque docturus Deum veracem esse, et in promissis constantem; nihil labis haerere in illo, sed omni in re atque ex omni parte perfectissimum et praestantissimum esse: itaque, minime per illum stetisse, quominus Judaei perpetua

(1) Ita etiam PP. Augustin. Matritens. In codice *de* «Pro *Domini* in hebraeo est illud nomen Dei ineffabile, quod nomen Hebraei sanctissimum habent.»

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

felicitate fruerentur, qui est illi scopus in tota ista oratione propositus. Hanc, enim, propositionem reliquae hujus carminis partes confirmant. Confirmatio, autem, commemoratione constat, cum eorum quae Deus Judaeis bene fecit, tum illorum quae in Deum ipsi ingrate et impie fecerunt.

DEI PERFECTA SUNT OPERA. Graeci interpretes: Θεός, אלהים צדק כל־דרכיו (1), id est: DEI VERA SUNT OPERA; verum, autem, est, cui ad sui generis perfectionem nihil deest; perfecta, autem, Dei esse opera in ipso ingressu ponit orationis suae; ut statim os obturet iis, qui ex eo, quod praeter votum ipsis accidit, ad calumniandum Deo et ad ejus detrahendum operibus, aut omnino ad minus bene de ipso judicandum moventur. DEI PERFECTA SUNT OPERA.—Pro Deo, hebraice; צור id est, petra; vocant autem sic istae Litterae Deum, propter ejus summam firmitatem et fortitudinem; ut autor, enim, in eo omnes creaturae, tanquam fundamentum: qui opis egentes sunt, habent hi eodem tutum et paratam perfugium; in dictis atque factis est summe constans. Recte, porro, hoc ipsum nomine Moyses appellat in isto loco, in quo proprie agit de ejus promissorum constantia: recteque convenit, ut qui instar rupis firmus atque constans esse exhibetur, ejus opera perfecta esse dicantur, id est, ejus ut in nullo titubet aut vacillet fides aut virtus. Cujus, enim, virtus est perfecta, ejus ut opera sint perfecta est necesse; quod, enim, quis imperfecte operetur ex eo semper est, quod in operandi genio pio aut imbecillitas aut labes inest aliqua. Quare, qui neque imbecillus est, neque infirmus, nec vero egens illis, sed munitus undique atque firmus, rupis instar, רצור denique, is certe semper perfecte operabitur: DEI, igitur, PERFECTA SUNT OPERA, id est, quibus detrahi in nullo potest.

(1) Sic in autographo, omisso textu graeco. In codice *A.* ita haec leguntur: «Septuaginta interpretes sic vertunt: *Dei vera sunt opera...*»

Sed addit: ET OMNES VIAE EJUS JUDICIA, id est, ita justae et omni ex parte cum ratione congruentes, ut a nemine possint reprehendi. Euthymius opera ad actiones refert, vias autem ad sermones et cogitationes; itaque utroque Dei tum dicta, tum facta cogitataque comprehendi censet, eaque omnia perfecta et rectissima esse dici. Et, certe, *vias* Hebraei, non tam actiones nominant, quam propensiones ad agendum; id est, non quod quisque agit *via ejus* Hebraeis dicitur, sed ad quod agendum quisque propensus est id via nominatur; ut liquere potest ex illo (1): *Notas fecit Moysi vias suas.* Nam ejus vim vocabuli explicat statim, subjiciens: *Miserator, et misericors Deus: longanimis, et multum misericors.* Talem enim se esse Deus dixerat Moysi, ut in *Exodi* et *Numerorum* libris scribitur (2); igitur, quod Deus sit animo indulgenti et ad omnem clementiam propenso id VIAE EJUS nominatur.

Quae viae in hoc loco dicuntur esse judicia, ut intelligamus sic ipsum misericordiae indulgere, ut tamen retineat justitiam; ita misereri, ut de severitate justitiae remittat nihil. Nam res ipsa hujusque carminis propositum argumentumque poscebat, ut de hoc in ipso orationis ingressu Judaei admonerentur, utque illis statim diceretur, quod Deum hactenus clementem experti essent atque munificum, non eo ipsum putarent promissa crediturum ipsis bona aut pactis mansurum (3), ipsi quamvis pacta rescidissent fidemque ei fefellissent: qui, enim, talia de Deo sentiant, eos quae sit natura Dei non satis cognoscere, illum omni ex parte perfectum atque omni genere virtutum atque bonorum ornatum, non uni misericordiae et indulgentiae servire; sed cum summa clementia summam etiam severitatem conjungere, ita peccatoribus parsum (?) velle, ut de eo, quod jus exigit, nihil patiatur detractum, pro-

(1) Ad margin: *Ps. 102.* (2) Ad marg.: *Exod. 3, Num. 14.*
(3) Ad margin: *stare.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

penso illum quidem ad omnem bonitatem animo esse, eam tamen propensionem suam ad justissimae rationis (1) regulam semper erigere; itaque, studium indulgendi, quo tenetur, temperare justitia. Quod ut magis declararetur, adjectum est: DEUS FIDELIS ABSQUE ULLA INIQUITATE, JUSTUS ET RECTUS, id est, ita fidei ac promissorum observans, ut peccata vestra sua nimia indulgentia non foveat. JUSTUS ET RECTUS, id est, non solum misericors sed etiam justitiae tenax; eodemque pertinet et hoc, quod sequitur: PECCAVERUNT EI, ET NON FILII EJUS IN SORDIBUS: GENERATIO PRAVA ATQUE PERVERSA. Quasi apertius dictum esset: Deus, quidem, FIDELIS ET RECTUS est; vos, autem, peccatores et sordidi; vel potius: quia ergo Deus RECTUS ET JUSTUS est, generatio porro ista, quae omnibus cooperta vitiis immerito filiorum Dei nomen usurpat, PRAVA est ATQUE PERVERSA, id est, vos ipsi pravi estis et ab agnatione Dei multum degenerastis; idcirco, etsi longe pollicitus fuerit Deus benefacturum vobis, tamen faciet malc, non fidei oblitus suae, sed obsequutus justitiae.—PECCAVERUNT EI, ET NON FILII EJUS IN SORDIBUS: GENERATIO PRAVA ATQUE PERVERSA.—Hebraice, propter orationis inversum ordinem, perobscure: שחת לו לא בניו מומם דור עקש ופתלתל (2) verbum pro verbo: CORRUPIT EI, NON FILII EJUS, MACULA IPSORUM: GENERATIO PRAVA ATQUE PERVERSA; itaque, id alii aliter interpretantur. Primo, uti noster vertit, cujus versio caeteris est anteferenda; nam animo corrumpi peccare est. Quare recte ille: PECCAVERUNT EI, NON FILII EJUS, id est, licet antea filii, jam ob id ipsum, quod ei peccaverunt, non filii; idque declarat, quod sequitur: MACULA IPSORUM, aut: IN SORDIBUS, ut noster convertit, nam est

(1) Ad margin.: *amussim*.

(2) Desunt verba hebraica in autographo. Sic, vero, in codice *A*: «Quamquam ista verba sunt certe perobscura in hebraico textu, propter ordinem orationis inversum; nam in hebraeo ad verbum sic habetur: *Corrupit...*»

redditio causae, quare jam non sint filii; non, enim, esse censentur IN SORDIBUS, id est, propter sordes et ipsorum maculas, *in*, pro ב, in significatione instrumenti, more Hebraeorum.—Aliter porro graeci Interpretes: Ἡμάρτοσαν οὐκ αὐτῷ τέκνα μωμητά (1), id est: PECCAVERUNT NON EI FILII EJUS VITUPERABILES. Quod Augustinus sic exponit: FILII EJUS, id est, Judaei, quos Deus uti benignus pater indulgentissime habuit, vituperabiles se exhibuerunt, quod tanta Dei erga se turpiter abusi indulgentia, peccaverunt non ei, id est, non Deo, sed sibi, hoc est, perniciem sibi attulerunt peccando, seque in exitium praecipitarunt; Deo, autem, nulla in re incommodarunt. Quam ad sententiam Chaldaicus Paraphrastes accedit, nam vertit: DISSIPAVERUNT SE IPSOS, ET NON DEUM: FILII QUI SERVIERUNT IDOLIS. Euthymius, interrogative, sic: PECCAVERUNTNE EI FILII EJUS VITUPERABILES? quasi dicat Moyses: At cum Deus talis sit, qualis a nobis descriptus est esse, rectus, justus, fidelis, omni ex parte perfectus, fieri potest credive, filii ut ejus qui sunt, id est, qui et ejus in se eximiam amorem experiuntur et naturae bonitatem clarius cognoscunt, peccaverint ei? (At, vero, alii?) (2) interrogationem retinentes, (haud?) (3) tamen verborum ordinem: «Rogat Moyses: PECCAVERUNT EI? Respondet ipse sibi: non; ac mox subjicit: FILII EJUS IN SORDIBUS. Quasi dicat: Num, Deo peccando, maculam intulerunt ei? haudquaquam; ipsi se potius sordibus commacularunt (4).» Alii, autem, he-

(1) Desunt et verba graeca. Codex *A* id ita habet: «At, vero, Septuaginta interpretes aliter vertunt, scilicet: Peccaverunt...»

(2) Vix legi possunt haec verba, scissis foliis. PP. Augustiniani Matritenses ea praetermittunt.

(3) Neque id legi potest, eadem de causa. Praetermittitur etiam in exemplari PP. Augustinianorum Matritens., qui caetera hujus periodi verba transcribunt.

(4) Tota haec periodus, a verbis: *At vero alii*, additur ad marginem Ms. ex manu ipsius auctoris. In codice *A* tota praetermittitur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Universitaria y Tutelar

braica ipsa, ordine tantum commutato, sic ponunt: GENERATIO PRAVA ATQUE PERVERSA, QUI NON SUNT FILII EJUS IN MACULAM SUAM, id est, in ignominiam et detrimentum, CORRUPIT SE ILLI; quod sic explanatius: GENERATIO PRAVA, quae appositive non est filiorum ejus, hoc est, quae non habet Deum pro patre, CORRUPIT SE, id est, ingenium atque naturam suam, tot adeo cultam et instructam bonis, depravavit. Ac, certe, mihi ut videtur, his verbis Moyses illud Judaeorum peccatum proprie notat, omnium gravissimum et sceleratissimum, quod admiserunt, cum mortem intulerunt Christo. Nam, uti diximus, propositum est illi Deum, quod deserturus erat Judaeos, ab omni vindicare reprehensione atque culpa; quare decebat, ut ejus peccati illorum potissimum atque primum mentionem faceret, quo maxime illi Dei numen laeserant, quodque injustissime operati sunt: sic, enim, una et fidem Dei culpa vacare ostendebat, et ejus illustrabat justitiam: JUSTUS, ergo inquit, DEUS ET FIDELIS; at, vero, GENERATIO illa, quae Christum, ab se rejiciens, in crucem egit, PRAVA ET PERVERSA. Nam et Christus generationem aduiteram saepius nominat, et ex patre diabolo natos suae aetatis homines dicit. Haec, porro, generatio corrupisse se illi, in ignominiam suam dicitur; quia, quo illi incommodaret et quoque ipsum majori gravaret invidia, professa est se regi externo et gentili velle subjici, quod illi probrosum imprimis et ignominiosum erat; nec hoc solum professa est, sed re ipsa probra maxima, ea de causa, et miserias subiit sempiternas. Sequitur in eamdem sententiam:

6. — Haeccine reddis Domino, populе stulte et insipiens ¿numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, fecit et creavit te?

Nam in illo facto et interfectione Christi impia et crudeli Judaei maxime declaraverunt animi sui ingratitudinem et

caecitatem: ingratitudinem, quod maximorum bonorum atque vitae auctorem vita privarunt; caecitatem, quod quem maxime absentem expectabant, quemque summis expetebant votis, eum praesentem non agnoverunt. HAECCINE REDDIS DOMINO, POPULE STULTE ET INSIPIENS; id est, itane pro summo amore odium summum, pro maximis beneficiis maximas injurias, pro honore probra, pro vita denique impertita mortem ignominiosam et acerbam, gratiam, si licet, malam rependis. POPULE STULTE ET INSIPIENS. Recte stultitiae asiguat, nam ¿quis esset tam immanis, qui se prudens ac sciens tanto scelere commacularet? Itaque Petrus: «Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.» Sed, ut fuerit stultitiae, tamen negari non potest quin turpissima illa fuerit, et maxime detestabilis stultitia: in media, enim, luce constituti, lumini aditum intercluserunt, ad ipsos intrare volenti, seque reddiderunt caecos sponte sua cum, quae caecitatem pellunt, adessent illis omnia.

Quare jure Moyses: POPULE, inquit, STULTE ET INSIPIENS, aut ut significantius Graeci: καὶ ἄφρων σοφός, id est, non sapiens, Hebraicique similiter (1): נָבָל וְלֹא חָכָם Nam eo magis amplificatur stultitia Judaeorum; significatur, enim, quamvis suppeterent illis omnia, quibus eruditi atque sapientes effici homines possunt, cumque abundarent doctrina institutioneque coelesti, tamen sapientes non evasisse propter ipsorum cordis duritiem et a vero aversionem. Quod chaldaica planius explicarunt, in quibus sic: POPULUS, QUI SUSCEPERUNT LEGEM ET NON FUERUNT SAPIENTES. Quod, autem, additur: ¿NUMQUID NON IPSE EST PATER TUUS? adhuc magis ejus populi caecitatem amplificat, perinde atque dictum esset: Quod si minus eruditi ad Sa-

(1) Desunt in autographo tam verba graeca quam hebraica. Codex *A* ea in hunc modum legit: «Pro INSIPIENS *septuaginta* verterunt: NON SAPIENS, quomodo etiam est in hebraeo».

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

pientiam tanta Legis doctrina et institutione potuisti; at certe beneficia quibus a Deo affectus es, quae procul dubio innumera fuerunt atque maxima, accendere te in amore possent: et si, propter mentis hebetudinem, quis ipse esset et quam amari dignus, ne magistra quidem et eruditrice Lege assequutus es; at quae experiebare beneficia, quin paterno in te esset ille animo, dubitare non sinebant. ¿NUMQUID NON IPSE EST PATER TUUS? certe est pater, et subjicit probationem: QUI POSSEDIT TE, FECIT TE, ET CREAVIT TE. Nam singula verba, singula erga hebraeam gentem eximia Dei beneficia significant. Licet, enim, quod Judaei facti dicuntur a Deo, generale quiddam sit et ad homines pertinens universos, tamen peculiare est et eximium possessos et creatos esse dici, his verbis si quae vis subjecta est satis intelligatur.

Possidere, enim, in iis dicitur, qui geniti filii sunt, ut apparet ex illo: «*Possedi hominem per Deum*, et in illo:» «*Dominus possedit me in initio viarum suarum*» Creare, porro, hoc in versu, ex eo cujus loco ponitur interpretatum, non est facere ex nihilo, sed firmare et stabilire, et afficere, non levibus, sed in longum tempus permansuris ornamentis; id enim significat: עָשָׂה Ex quo non ad conditionem generationemve naturae referri hic debet, sed ad collationem potius justitiae et sanctitatis; nam et qui justi efficiuntur, creari dicuntur in his libris; ex quo Paulus: *Creati in operibus bonis quae praeparavit Deus, ut in ipsis ambulemus.* QUI POSSEDIT TE, FECIT ET CREAVIT TE. Ordo inversus; quod Euthymius et Glossa adnotarunt: nam prius, est facere; posterius, possidere; postremum, stabilire et firmare. Fecisse, enim, Deus illum dicitur populum, quod ipsum condidit; possedisse quod, ceu peculium suum, elegit sibi, hoc est, quod caeteris in ignorantiae et errorum tenebris jacere permissis populis, eum elegit unum, se qui et coleret et agnosceret: possedisse, igitur, dicitur quod ad sui cultum Deus hunc unum selegit populum; firmavisse, porro, quod

justitia ipsum auxit, caeterisque ornavit bonis, quibus beata efficitur et continetur vita. NUMQUID NON IPSE EST PATER TUUS QUI POSSEDIT TE, FECIT ET CREAVIT TE? Moyses ab hoc loco quod proposuit confirmare incepit. Constat autem tota confirmatio, ut diximus, enumeratione eorum beneficiorum, quae Deus illi contulit populo. Nam omnis hujus confirmationis argumentatio haec fere est: Deus semper benefecit tibi; tu, contra, ingratum te ei praebuisti semper; ergo quod te Deus abjecit et promissorum fidem non exsolvit, tua culpa, non illius fallacia aut judicii movilitate factum est sine dubio. Priorem, porro, propositionis partem hoc confirmat versu, cum dicit: NUMQUID NON IPSE EST PATER TUUS QUI POSSEDIT TE, FECIT ET CREAVIT TE? Id est, qui non solum maximis, sed etiam jugibus beneficiis te afficit continenter; qui nullum tempus a bene fruendo vacuum patitur praeterire. Nam conditio, possessio, confirmatio totam hominis vitam continent et ad omnes illius partes pertinent. Ac subjicit statim probationes singulorum, et quoniam condidisse constat, eo praetermisso, confirmat longa inductione possedisse et firmasse; itaque addit in eam sententiam:

7.—Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, majores tuos et dicent tibi.—8.—Quando dividebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.—9.—Pars autem Domini, populus ejus: funiculus haereditatis ejus.

Possessos a Deo Judaeos esse, id est, lectos ab ipso ex omnibus gentibus et caros praecipue habitos, ut in eis proprie dominaretur et eorum coleretur pietate et officiis, Moyses ut doceat, eorum annales citat testesque allegat eos ipsos, et eorum, quae meminissent et a majoribus accepissent suis, eos admonet: scire illos ac probe cognoscere,

quippe traditum a majoribus et sacris consignatum monumentis habent, orbe terrarum hominibus ad incolendum diviso et aliis alio dispersis, partem eis opimam, ut in ea postea se jactarent et dominarentur Judaei, sepositam eis a Deo et reservatam fuisse. Itaque ait: MEMENTO DIERUM ANTIQUORUM, COGITA GENERATIONES SINGULAS: INTERROGA PATREM TUUM ET ANNUNTIABIT TIBI, MAJORES TUOS ET DICENT TIBI. Quasi dicat: Quod si praesentia aut non vides, aut negligis, at saltem praeteritorum recordare; aut si ea per te non intelligis, fidem habe majoribus tuis. MEMENTO DIERUM ANTIQUORUM. — Recte: ANTIQUORUM. Nam ipsum benefacere Deo est, non solum usitatum, sed a primo institutum et, quam longe *retro repetere memoriam possumus*, semper usurpatum. De mane surgit ut benefaciat; sero, autem, ac vix tandem ad puniendum inducitur; quare, quia id aegre facit, non a primo facit, sed accidit illi quodammodo praeter solitum, estque illi non antiquum sed novum. Unde quod in psalmo legimus: *Miserationes ejus super omnia opera ejus*, sic etiam recte: *Miserationes ejus ante omnia opera ejus* (1); omne enim operandi principium Deus ducit a misericordia et amore. Et hoc est causae, quare libri Genesis scriptor (2) Moyses, ante scriptam hominis conditionem, nusquam Deo tribuerit nomen illud quadriliterum, quod Dei nomen proprium esse censetur, quodque, ut alibi memini me dixisse, proprie ducitur a significatione misericordiae et beneficentiae; idem, autem, postquam conditi hominis mentionem fecit (3), sta-

(1) Sequuntur in autographo aliqua ab ipso auctore deleta, quae etiam praetermittunt codex *A* et exemplar PP. Augustinianorum Matritens.

(2) In autographo legi videtur *scripti*. At PP. Matritens. legunt: *scriptor*. Codex autem *A* sic: « Unde et in Genesi, cap. II, statim atque homo narratur conditus a Deo, Deus appellatur *Joba* (sic), quo nomine antea nunquam appellatus erat. »

(3) Ad margin.: *Gen. 2.*

tim Deum iterum atque saepius יהוה nominarit; quo intelligeremus quam antiquum Deo est creasse homines, tam esse antiquum beneficum se ostendere ac misericordem. Homini, enim, in lucem edito, magnus campus oblatus est (1), in quo enitescere ac vires suas explicare divina posset misericordia. Unde et in Virginis cantico (2), misericordia Dei dicitur esse *a progenie et in progenies*, id est, dicitur ab ipsa prima rerum institutione exorsa et per omnes aetates diffusa pertinere usque ad saeculi finem; Paulusque *ad Corinthios* scribens (3), ob id ipsum declarandum, Deum vocat *Patrem misericordiarum*, nimirum, quod misericordias jugiter veluti spiret ac gignat, utque aquam ex se semper emittit fons perennis, sic ex illo misericordiarum rivi manant perenniter. Quam etiam ad rem significandam spectat id quod Moyses statim subjicit dicens: COGITA GENERATIONES SINGULAS. Nam Deus non sic uno benefacit tempore, ut aliis temporibus a benefaciendo desistat; ad generationes enim singulas si quis animum advertat, in singulis reperiet illustria documenta beneficentiae divinae; neque in singulis generationibus modo, sed diebus etiam atque horis singulis. Nam et ob id Paulus (4) *divitem in misericordia* appellat ipsum.

Quemadmodum enim divites divitias cupide ostentant suas, sic Deus, quaecumque illi occasio detur, eam arripit ad ostendendum quam sit ipse misericors; ex quo sequitur plurimos ut habeant suae largitatis testes per omnes generationes aetatesque. Quare additur: INTERROGA PATREM TUUM ET ANNUNTIABIT TIBI, MAJORES TUOS ET DICENT TIBI. Ecquis, enim, id non testetur? Severitatis enim et animadversionum divinarum rara in sacris litteris exempla exstant; ac bonitatis et indulgentiae innumera, eaque passim obvia, usque eo nemo ut sit, se modo respiciat ipse

(1) In margine: *patefactus est.* (2) Ad margin.: *Luc. 1.*
(3) *2 Cor. 1* ad margin. (4) In margine: *Eph. 2.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suamque secum vitam reputet, qui ex iis, quae expertus in se ipse est, non agnoscat, cum summa omnia in se habeat Deus, nulli virtuti ipsum magis quam bonitati et clementiae studere. Nam ut vere in psalmo dicitur (1): *Misericordia Domini plena est terra;* itaque, parentes filiis et majores minoribus et quisque sibi id annuntiare atque narrare possunt, nimirum, Deum omnium hominum providè curare res, tum praecipue se bonum atque munificum exhibere erga suos, e quibus populum Israeliticum precipuo amore dilectum ab ipso esse; nam, ut sequitur: QUANDO DIVIDEBAT ALTISSIMUS GENTES: QUANDO SEPARABAT FILIOS ADAM, CONSTITUIT TERMINOS POPULORUM JUXTA NUMERUM FILIORUM ISRAEL. Id est, jam inde a principio, quando terras dedit inhabitandas hominibus, eosque in omnes orbis oras Deus misit, quasi ad colonias deducendas, populo suo multa post saecula futuro oram unam selegit, omnium uberrimam; quod magni sine dubio erga illum amoris signum fuit.—QUANDO DIVIDEBAT ALTISSIMUS GENTES etc. quasi dicat: cum te ad majores tuos remitto, et eos ut roges postulo, eo postulo ut ab illis discas tuas res Deo curae fuisse multo antequam tu in lucem venisses; tibi enim uni quam incoleres et in qua postea dominarere, frugum atque vitum maximam certe parentem Chananaeorum reservavit terram (2). Nam ista re, prima ex omnibus, Moyses probat id quod proposuit, scilicet, Judaeos a Deo fuisse possessos, id est, peculiari amore prosecutos, quod scilicet jam a principio ipsis assignaverit, ad habitandum et incolendum, optimas et opulentissimas regiones. Quod, quidem, fuit maximum beneficium et illustre documentum amoris: primo, quia fuit gratuitum (nullis enim ipsorum meritis tributum est, quippe qui nondum

(1) Ad margin: *ps. 32.*

(2) Hucusque autograph. Quae sequuntur, ad finem usque expositionis, desumpta sunt ex codice *A*.

essent); deinde, quia illis attribuit non incultas aliquas regiones, sed quas alii habitatores prius coluissent et reddidissent urbibus frequentes, ut dicitur *Deuteron.* cap. VI; postremo, quia uni populo Israelitico data est et attributa ea terra quae sufficiebat septem gentibus. Quod beneficium continet imaginem quamdam praedestinationis sanctorum: nam, ut in illo beneficio primo ostendit Deus amorem suum erga Israelitas, sic in isto ostendit primo amorem suum erga sanctos; et ut in illo beneficio praeparavit Deus Israelitis terram et regionem, quam incolerent, sic in isto praeparavit sanctis regnum coeleste et terram viventium, quae vere promissionis terra est; et quemadmodum illis beneficium contulit gratis, sic hoc decrevit nullis bonis hominum meritis ad id decernendum compulsus; et sicut antequam eo introduceret filios Israel voluit ut illa regio habitaretur a Chananaeis, postea expellendis et exterminandis, sic malos atque impios, postea tandem perdendos, constituit nunc quasi in possessione suorum bonorum, dum illos sinit florere opibus et imperio et auctoritate; et sicut in illo facto Chananaei, qui fuerunt primi cultores illius regionis, profuerunt Judaeis in eo quod regionem ab illis cultam et urbibus frequentem illis tradiderunt, sic in isto beneficio praedestinationis, mali, qui nunc omnia videntur obtinere, sua ista potestate prosunt justis et sanctis hominibus, efficiuntque, illos varie exercendo, ut ipsis contingat major et melior haereditatis portio, unde verissime et acute dicebat divus Augustinus «quod boni sunt malorum opus.» QUANDO DIVIDEBAT ALTISSIMUS GENTES: QUANDO SEPARABAT FILIOS ADAM. Significat illud tempus, quando Deus confudit apud Babel linguas eorum qui turrim aedificabant, et eos dispersit per totum orbem, de quo agitur in *Genesi*, capite XI.

Recte autem in hoc loco, ubi fit mentio divisionis gentium a Deo factae, ipse nominatur Altissimus; nam tunc opposuit Deus suam altitudinem superbis hominum cogita-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tionibus, qui, erecta turri altissima, sperabant se posse pertingere ad coelum. Nam, profecto, qualesnos erga Deum sumus, talem se ipse nobis exhibet; unde dicebat divus Petrus in prima sua canonica, capite v.: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;* et in pso. XVII: *Cum sancto sanctus eris, et cum innocente innocens eris; et cum perverso perverteris;* et in pso. CXXXVII: *Quoniam excelsus Dominus et humilia respicit et alta a longe cognoscit*, id est, ad humiles dejicit suam altitudinem; at, vero, erga altos se ostendit altiorem. Quod ipsum et in hac divisione terrarum, de qua in hoc loco mentio fit, satis ostenditur in utramque partem; nam, quando Deus se ostendit altissimum et potentissimum erga illas gentes superbas et illas divisit per orbem, tunc, eodem tempore, CONSTITUIT TERMINOS POPULORUM JUXTA NUMERUM FILIORUM ISRAEL; id est, tunc simul declaravit suam dulcedinem et paternam charitatem erga populum Israeliticum futurum, illique assignavit regionem uberem et cultam aliorum opera atque industria. Itaque, aliis gentibus et populis fuit altissimus; istis, vero, suavis atque mitis: et cum reliquas gentes puniebat propter suam superbiam, providit populo Israelitico ut haberet regionem cultam et ab aliorum commercio separatam; et aliorum poenam convertit atque retulit in bonum populi sui. Ex quo intelligitur omnia referri atque ordinari in bonum eorum, quos Deus diligit, sicut Paulus scripsit: *Omnia propter electos*, et similiter: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, et psalmo I dicitur de justo: *Omnia quaecumque faciet prosperabuntur.* Caeterum, in eo quod dicitur: JUXTA NUMERUM FILIORUM ISRAEL, advertí debet quod hebraea atque chaldaica ita se habent, sicut illa vertit noster interpres; at, vero, a 70 interpretibus illa sunt paulilum immutata, nam verterunt hunc locum isto modo: CONSTITUIT TERMINOS POPULORUM JUXTA NUMERUM FILIORUM DEI, videnturque legisse *El* pro *Israel*. Quae etiam lectio rectum habet sensum, quemadmodum docent veteres

Patres, qui Hieronymum antecesserunt, atque etiam ipse divus Hieronymus, commentariis in VII caput Danielis et in caput XXVIII Ezechielis; nam significant quod illo tempore in quo Deus distribuebat gentibus, non solum regiones quas incolerent, sed etiam singulis illarum assignabat Angelos tutelares, tunc, inquam, populum Israeliticum futurum sibi unitum (1) regendum et conservandum reservavit. Unde sequitur in textu: PARS, AUTEM, DOMINI POPULUS EJUS: JACOB FUNICULUS HAEREDITATIS EJUS. —Nam juxta versionem 70, sententia hujus versus cum superiori conjungenda est, et ex illa pendet, scilicet isto modo: QUANDO DIVIDEBAT ALTISSIMUS GENTES, tunc qui erga alios ita se gessit ut pro numero illorum tot filios Dei, id est, tot Angelos assignaret, et illis eas gentes traderet regendas et custodiendas; at, vero (*sic*), erga gentem Israeliticam ita affectus fuit, ut eam sibi reservaret, tanquam propriam portionem et partem atque haereditatem.

Caeterum, juxta nostram versionem, hic versus continet causam ejus, quod dictum est in superiori: nam dixerat in orbis divisione Deum assignasse futuris Israelitis bonam et uberem regionem; at vero nunc dicit in isto versu hujus assignationis causam fuisse, quia PARS DOMINI POPULUS EJUS: JACOB FUNICULUS HAEREDITATIS EJUS, id est, quia a Deo decretum erat eam gentem, a caeteris separatam, sibi eligere in peculium et in proprium populum, quem induceret vera religione, et ex quo Messiam et ducem totius orbis servatorem futurum. PARS AUTEM DOMINI, POPULUS EJUS: FUNICULUS HAEREDITATIS EJUS. In psalmo LXXII ita scribitur: *Defecit cor meum et caro mea: Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum.* Et in *Lamentationibus*, cap. III, similiter: *Pars mea Dominus, dixit anima mea;* in quo ipsi justi significant se despicere omnia terrena et in uno Deo omnem suam spem collocare et amorem: idque minime mi-

(1) Sic, certe pro: *uni* vel *uni tantum*.

randum est illos facere; nihil enim utilius facere possunt. At, vero, in hoc loco non dicitur quod justi habeant Deum pro sua portione, sed e contrario dicitur quod Deus habet illos pro sua portione et haereditate. In quo admirari licet, primo, quam bonus sit Deus erga suos, quanti illos faciat; 2.°, licet considerare quam pari jure atque iisdem legibus cum illis agat. Nam, quantum attinet ad primum, cum Deus sit Dominus omnium gentium atque nationum, tamen istos solos, scilicet, justos vocat suam partem et suam haereditatem, et de illorum possessione laetatur et se quodammodo jactat atque divitem reputat; unde est quod in veteri lege saepissime vocat se ipsum *Deum Abraham* et *Deum Jacob* et *Deum Isaac*, aliis suis titulis praetermissis. Ex hoc etiam est quod apud Job, capite I, quodammodo gloriatur se habere unum servum Job, cum illi Satan posset opponere infinita millia hominum pessimorum atque malorum. Et in *Canticis*, capite IV (?), sub persona Salomonis, sponsus, cum possit jactare atque ostentare innumeras suas opes, solum ostentat ferculum et lectulum suum; quoniam istis nominibus figurate significantur sancti atque justi.

Quod autem attinet ad 2.m, manifeste colligitur ex hoc loco quam aequo atque pari jure Deus agat cum suis: nam, sicut illi ipsum habent pro sua parte et haereditate, ita similiter ipse illos appellat suam partem et haereditatem; et quemadmodum illi habent collocatas in Deo suas spes et suas divitias, ita ipse illos habet pro suis opibus et pro sua haereditate. Ex quo est illud: *Ego diligentes me diligo*, et: *Qui diligit me diligetur a patre meo*, et: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*, etc. similiter. Sequitur in textu:

10. Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastae solitudinis.....

Commemorat aliud beneficium Dei erga populum Israeliticum, ut amplius probet id quod superius proposuerat, scilicet, quod Deus possedit hunc populum, id est, prosequutus illum fuit peculiari cura et providentia et amore. Id autem beneficium est, quod cum illum invenisset in terra deserta oppressum gravi servitute, in libertatem vindicavit et induxit in terram promissam. INVENIT, inquit, EUM IN TERRA DESERTA.—Quam terram desertam vocet, alii aliter interpretantur. Nicolaus de Lyra et nonnulli alii sic interpretantur: INVENIT EUM, id est, patrem illorum, Abraham, IN TERRA Chaldaeorum, DESERTA ab omni cultu veri Dei. Alii sic interpretantur: INVENIT EUM IN TERRA DESERTA, id est, in Ægypto, ubi, tanquam si esset in deserto, ita erat male affectus ille populus, et ab omni auxilio desertus, propter iniquitatem et injustitiam Ægyptiorum. Sed nihilominus ea quae sequuntur postulant ut hoc dictum intelligamus de deserto Sinai et de ea solitudine, in qua filii Israel versati sunt per 40 annos. Sed, tamen, quaeret aliquis: Cum Deus induxerit Israelitas in eum locum, ¿quomodo dicitur ibi in eo loco illos invenisse? Ad hoc respondetur, quod illud INVENIT, secundum proprietatem verbi hebraici cui respondit, idem significat quod VENIT AD EUM; dicitur, autem, Deus venisse ad illum populum versantem in deserto, quia quamvis venisset antea ad illud educendum ex Ægypto, tamen in deserto maxime apparuit illi et manifestissimis signis, in nube, in igne, in monte Sinai se praebuit conspiciendum illi populo. 70 interpretes pro INVENIT, verterunt: SUFFICIENTIAM DEDIT EI IN DESERTO, id est, subministravit illis omnium rerum copiam in loco maxime sterili atque inopi; et verterunt etiam recte, nam verbum hebraicum *mazá* ad utramque significationem est

UNIVERSIDAD DE NAVARRA DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ambiguum. INVENIT EUM IN TERRA DESERTA, IN LOCO HORRORIS ET VASTAE SOLITUDINIS.—Singula verba hujus versus magis amplificant et ostendunt magnitudinem hujus beneficii. Nam primo magni amoris divini indicium erga illum populum fuit quod ipse (Deus) invenit illum, id est, non quaesitus ab ipsis nec inventus, ipse quaesivit et invenit illos, scilicet, permotus a suo amore erga illum populum. Deinde, etiam habet magni amoris significationem quod venit ad illum in terra deserta, id est, non quando ille populus opibus et felicitate florebat, sed quando versabatur in maximis angustiis; nam illud est veri amoris signum, non desercre in adversis juxta id quod dicitur in *Proverbiis*, capite XIX: *Dicitiae addunt amicos plurimos: a paupere autem etiam hi, quos habuit, separantur*, et *Ecclesiastici*, capite XII, in eamdem sententiam: *Non agnoscetur in bonis amicus, in tristitia et malitia amicus agnitus est.*

Sed adverti debet, quod quemadmodum illa superiora, scilicet: QUANDO DIVIDEBAT ALTISIMUS GENTES etc. continebant imaginem eternae praedestinationis electorum, sicut supra dictum est; sic ista, quae nunc dicuntur, continent imaginem vocationis eorumdem quae fit in tempore. Nam primo dicitur Deus invenire illos, sive ad ipsos venire, quando eos vocat, ad significandam nostrarum virium imbecillitatem et Dei amorem erga ipsos: imbecillitatem, inquam, quia ipsi per nos tendere non possumus ad illum; itaque, neccesse est, ut ipse prius ad nos accedat, sicut dicebat Sponsa in *Canticis*, capite I: *Trahe me: post te curremus.* Significat etiam Dei amorem erga electos: quia, nobis ad ipsum non contendentibus sed jacentibus in peccato, ipse venit prior nos liberaturus ab Ægypto, a peccato. Deinde, in eo quod additur: IN TERRA DESERTA, IN LOCO HORRORIS etc., mirifice declaratur ratio et natura peccati, a qua justi per vocationem abstrahuntur et revocantur; merito namque appellatur TERRA DESERTA atque vacua omni bono germine, non solum quia in futurum producit acerbos fructus poenarum, sed etiam quia in praesentia torquet animum variis modis atque rationibus. Et etiam LOCUS HORRORIS peccatum, quia exagitat conscientiam atque torquet perpetuo metu atque timore: est etiam VASTA SOLITUDO, quia pecatum, non solum ab aliis, sed etiam a se ipso deseruit (*sic*); nam peccatores se ipsos et suas conscientias fugiunt, qua solitudine nulla solitudo potest esse major aut flebilior. Unde et ipsa verba hebraica hujus versus, ad verbum conversa, hanc rem egregie declarant, nam ad verbum sic habetur: INVENIT EUM IN TERRA DESERTA, IN VASTITATE ULULATUS SOLITUDINIS.

Sed quid fecit Deus, quando venit ad populum suum in deserto, id sequitur in textu: CIRCUMDUXIT EUM ET DOCUIT: ET CUSTODIVIT QUASI PUPILLAM OCULI SUI. CIRCUMDUXIT, quia non recto deduxit atque introduxit in terram promissam, sed perduxit quadam circuitione; idque fecit propter multas causas, quarum una fuit, ut haberet plures occasiones declarandi amorem suum erga populum illum. ET DOCUIT, quoniam dedit eis legem atque praecepta in monte Sinai. CUSTODIVIT, autem, quoniam a multis periculis, quae evenerunt illi populo, summa cura illum servavit illaesum. Quod idem fit erga illos qui vocantur a Deo. Hos, enim, Deus non statim inducit in terram promissam, id est, in possessionem felicitatis, sed justificat illos prius, cujus justificationis ratio atque vis exprimitur istis nominibus: CIRCUMDUXIT, DOCUIT, CUSTODIVIT. Nam CIRCUMDUXIT illos Deus, id est, variis modis atque rationibus exercet; et INSTRUIT, perficiens ita illorum virtutem variis rerum experimentis; CUSTODIT etiam ipsos, quia illos liberat ab incursu malorum et a perseverantia in peccatis. Sequitur in textu:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

11.—Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, et portavit in humeris suis.

Declarat et amplificat hoc ipsum beneficium eductionis filiorum Israel ex Ægypto, et deductionis per desertum. Idque declarat aptissima similitudine; inquit, enim: Sicut aquila a naturali amore inducta pullos suos, ignaros ad volandum, provocat et interdum supra sese ipsos gestat; sic Deus illum populum, rudem et omnia paventem, quasi impositum suis humeris, perduxit per desertum. Utitur eadem similitudine ad declarandam eamdem rem Exodo, cap. XIX, dicens: *Portavit vos super alas aquilarum.* Et quamvis aliae volucres instituant pullos suos ad volandum, volitantes ipsae circum circa, tamen potissimum duxit Moyses similitudinem ab aquila, quia, ut docet divus Hieronymus, *Commentariis* super Esaiam in cap. XVI, aquilae dicuntur esse maxime amantes filiorum suorum, quamquam Plinius lib. X. *Naturalis historiae*, cap. III, contra existimat aquilas fugare pullos suos, nec ipsos educare velle; sed, certe, ex hoc loco colligitur et ex aliis S. Scripturae aquilas praecipuo amore prosequi suos pullos. Igitur, Moyses usus est potissimum hac similitudine, 1.°, propter causam dictam; 2.°, quia aquila altius atque velocius caeteris volat; atque etiam, 3.°, quia non solum instituit pullos suos ad volandum, ipsa circumvolitante, sed etiam interdum, supra se sublatis pullis, volat ipsa, qua ratione similitudo aquilae maxime apta et conveniens fuit ad declarandam eam diligentiam quam Deus adhibuit in educendo populum suum ex Ægypto.

SICUT AQUILA, PROVOCANS AD VOLANDUM PULLOS etc. Aquila, ut statim dicebam, et provocat ad volandum pullos suos ipsa volans, et praeterea adjuvat illos attollens ipsos supra se. Sic Christus Dominus eos, quos ad se vocat,

instruit et exemplo et auxilio: exemplo, quia nihil nobis praecipit, cujus ipse prius non ediderit illustre documentum; auxilio, quia vires suggerit. De primo dicit ipse: *Discite a me, quia mitis sum* etc., et alibi: *Si vis perfectus esse, vade et vende* etc. *et sequere me;* de auxilio, vero, in parabola ovis perditae apud Lucam, cap. XV, exstat clarum testimonium, quare dicitur quod portavit illam in humeris suis. Nam in figurato et arcano sermone Sacrarum Litterarum, ut docet Euthymius in hoc loco, humeri significant patientiam et tolerantiam et robur ad aliquid vel perficiendum vel perferendum: et sic Deus gestat nos in humeris suis, non solum quia imbecillitatem nostram sustentat, et vires nobis suggerit additque robur ad praeclare operandum; sed etiam quia perfert nostram ingratitudinem et nostra peccata, quemadmodum clarissimo exemplo docuit in illo populo. Sequitur in textu:

12.—Dominus solus dux ejus fuit: et non erat cum eo deus alienus.

Et hoc pertinet ad magis amplificandum id beneficium de quo agitur, propterea quod tota illa res administrata fuerit a Deo solo, sine cujusquam alterius dei concursu. Idque dicit Moyses, 1.°, ut evelleret ex animis Judaeorum opinionem quam reliquae gentes habebant de divinitate: nam sicut participantur divinitatem in plures deos, ita etiam dividebant potentiam; nec existimabant singulos deos omnia posse, sed aliis aliarum rerum efficiendarum potestatem tribuebant. Dicit, ergo, Moyses Deum non fuisse usum alterius dei adminiculo, ut doceret in ipso inesse omnium rerum potestatem, nec esse illum ex eo genere ex quo gentes existimabant suos deos esse, scilicet, finitae potestatis. 2.°, id dicit Moyses, ut Judaei, intelligentes se debere id beneficium uni Deo, ipsum etiam colerent unice atque venerarentur. Chaldaicus Paraphrastes in hoc versu

non arbitratur contineri commemorationem rei gestae, sed vaticinium et praedictionem rei postea gerendae; nam isto modo hunc versum convertit: DOMINUS COLLOCAVIT EOS SEORSUM IN SAECULO ILLO, QUOD IPSE RENOVATURUS EST; ET NON STABIT IN CONSPECTU EJUS CULTUS IDOLORUM. Id quod ad ista tempora Evangelii videtur pertinere, in quibus exhibetur cultus uni Deo, idolorum cultu sublato. Inquit, ergo: DOMINUS SOLUS DUX EJUS FUIT: ET NON ERAT CUM EO DEUS ALIENUS.

Hoc loco potest quaeri (id quod valde dignum est explicatione atque cognitione), utrum Deus per se et immediate et non aliquis angelus in persona Dei eduxerit populum Israeliticum ex Ægypto, et ei ducem praebuerit se in deserto, legem dederit et tandem induxerit in terram promissam. Nam Moyses in hoc loco videtur affirmare omnia ista facta fuisse a solo Deo sine cujusquam alterius ministerio, dum dicit: DOMINUS SOLUS DUX EJUS FUIT. Et, quidem, in utramque partem sunt efficacia argumenta desumpta ex Sacris Litteris; et ipsi veteres Patres variant inter sese. Et quod Deus ista perfecerit ministerio angelorum et non per se immediate, probatur, 1.°, isto modo: ille eduxit Israelem ex Ægypto et comitatus est ipsum in deserto, qui apparuit Moysi in rubo (*Exodi*, III); sed ille fuit angelus in persona Dei et non ipse Deus; ergo..... Et quod fuerit angelus probatur testimonio Divi Stephani (*Actorum* VII) dicentis de Moyse: *Et apparuit illi in deserto Sinai Angelus in igne flammae rubi*, et paulo infra: *Hunc Moysen, quem negaverunt, Deus principem et redemptorem misit cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo*. 2.°, idem probatur ex Paulo, qui (*ad Galatas*, cap. III) dicit de lege mosaica, quod fuit *disposita*, id est, tradita *per angelos in manu mediatoris*, id est, Moysis. 3.°, idem probo: idem Paulus (*ad Hebraeos*, cap. II) de eadem lege ita scribit: *Si enim qui per angelos dictus est sermo factus est firmus, et omnis praevaricatio et inobedientia accepit justam mercedis*

retributionem: quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? Quo in loco Paulus legem mosaicam vocat *sermonem factum per angelos*, id est, ab ipsis traditum ex persona Dei. Et ne dicat aliquis Angeli nomine saepe in Scriptura intelligi Verbum divinum et Filium Dei, ut postea dicemus, probatur quod ille in loco id nomen non fuerit usurpatum a Paulo in ea significatione; nam confert legem mosaicam cum Evangelica, quam vocat salutem, et ex eo quod transgressores legis mosaicae graviter puniti sunt, colligit gravissime puniendos esse transgressores legis Evangelicae: colligit, autem, argumentum ducens a minori, nam inquit: si is sermo, qui per angelos dictus est, non potuit violari sine gravi poena, sine dubio gravissime punientur violatores tantae salutis (*sic*), id est, legis Evangelicae, quae tantopere antecedit illam veterem sermonem. Ex quo aperte intelligitur, quod divus Paulus, quando Veterem Legem vocat *sermonem* et *factum per angelos*, intendit minuere atque deprimere auctoritatem Veteris Legis in comparatione ad Novam Legem, ut ex eo efficacius probet gravissime esse puniendos qui contra Novam deliquerint Legem; at, vero, si nomine angelorum significasset Filium Dei in eo loco, ea ratione non minuisset auctoritatem Veteris Legis, sed amplificasset. Idem videtur posse probari expresso testimonio Esaiae, cap. LXIII, ubi, agens de ista liberatione populi israelitici, dicit: *Et Angelus faciei ejus salvavit eos*. Item ultimo, videtur posse manifeste probari ex iis quae dicuntur in Exodo, cap. XXIII, nam ibi dicitur ex persona Dei ad Moysem: *Praecedet te angelus meus, et introducet te ad Amorrhaeum et Hethaeum*, etc.; et cap. XXXII, item dicit Dominus: *Vade et duc populum istum; angelus enim meus praecedet te;* et rursus, cap. XXXIII, inquit: *Et mittam praecursorem tui Angelum meum;* et paulo infra apertius inquit Deus: *Non enim ascendam tecum quia populus durae cervicis est, ne forte disperdam te in via*. Ex quibus videtur manifeste colligi et probari, quod Deus fuit

usus ministerio angelorum in deducendo illum populum per desertum.

Caeterum, pro parte contraria, nimirum, quod Deus per se et sine ministerio angelorum ista perfecerit, sunt gravia et efficacia argumenta. Et, 1.°, sic argumentor: Deus per se et non per Angelum locutus est cum Adam in paradiso et apparuit Abrahae (*Gen.*, cap. XVII et XVIII); igitur, et locutus est cum Moyse cum illum misit ut liberaret populum ex Ægypto. Consequentia videtur nota ex paritate rationis, nam non minus dignum persona Dei erat dare legem et educere populum ex Ægypto, quam promittere Abrahae futurum ut filium generaret, aut quam praecipere primo parenti ut abstineret a fructu arboris scientiae boni et mali. Sed probatur antecedens, quod ipse Deus per se apparuit Abrahae, nam *Actorum* cap. VII, ipse divus Stephanus, qui dixit angelum apparuisse Moysi, idem, inquam, agens de Abraham, inquit: *Deus gloriae apparuit Abrahae patri nostro cum esset in Mesopotamia.* Item, 2.° principaliter, sic argumentor (*Josue*, cap. V): Ille vir qui apparuit Josue stans et educto gladio, et dixit se esse ducem exercitus Dei, ille, inquam, vir erat ipse Deus et non angelus in persona Dei; igitur, idem praefuit Moysi in Ægypto et in deserto. Consequentia patet, et antecedens probatur, 1.°, quia ille vir rogatus a Josue quisnam esset, respondit: *Ego princeps exercitus Domini;* sed princeps exercitus Domini, id est, omnium angelorum, est Filius Dei, de quo Paulus *ad Colossenses*, cap. I, dicit: *Quoniam in ipso condita sunt omnia in coelo et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni sive Dominationes*, etc. 2.°, idem probatur quia *Exodi* cap. XXXIV, Dominus, posteaquam ostendit gloriam suam Moysi, promisit illi se per se ipsum ejecturum illas gentes quae obtinebant terram promissionis; igitur, is qui apparuit Josue sine dubio fuit ipse Dominus. 3.°, idem antecedens probari potest ex eo quod Josue statim dicitur pronus adorasse illum, et quod ille

non respuit hujusmodi cultum, sed potius dixit illi ut solveret calceamenta pedum, eo quod sua praesentia locus ille esset sanctificatus; in quo aperte videtur ostendisse se esse Deum et non angelum. 3.°, principaliter sic argumentor, et est efficacissimum argumentum: ille cujus faciem et cujus gloriam optavit videre Moyses (*Exodi* cap. XXXIII), dicens: *Ostende mihi gloriam tuam*, et cujus posteriora vidisse dicitur *Exodi* XXXIV *(sic)*, sine dubio erat Deus et non angelus in persona Dei; sed ille ipsemet promittit se ducturum populum Israeliticum per se et non per angelum; igitur..... Consequentia manifesta est, et major etiam est manifesta: nam Moyses (non) optabat videre essentiam alicujus angeli, sed ipsius Dei, nec si ille esset angelus dixisset Moysi: *Ego ostendam tibi omne bonum;* id enim dicere angelo superbum atque arrogans est, atque adeo Sancti qui tenent Moysem vidisse divinam Essentiam, id colligunt ex isto loco; igitur, ille Deus erat sine dubio et non angelus in persona Dei. Sed jam probatur minor propositio, scilicet, quod istemet deduxit populum Israeliticum per se, ex cap. XXXIII et XXXIV *Exodi*, ubi, cum Moyses peteret ab hoc ipso ut ipse per se et non per angelum deduceret illum populum, promisit se ita facturum; sic enim legitur in illo loco: *Dixit autem Moyses ad Dominum: Praecipis ut educam populum istum et non indicas mihi quem missurus es mecum;* et paulo infra dixit ei Dominus: *Facies mea praecedet te et requiem dabo tibi. Et ait Moyses: Si non tu ipse praecedas, ne educas nos de loco isto. In quo enim scire poterimus ego et populus tuus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum?.... Dixit autem Dominus ad Moysen: Et verbum istud faciam; invenisti enim gratiam in conspectu meo;* et rursus, cap. XXXIV, posteaquam Moyses vidit illius gloriam, dixit Domino: *Iterum obsecro ut gradiaris nobiscum*, cui Dominus respondit dicens: *Ego ipse ejiciam ante faciem tuam Amorrhaeum et Chananaeum* etc.; igitur, Dominus ipse et non angelus in

persona Dei deduxit populum illum. 4.°, principaliter sic argumentor: Div. Paulus in priori *ad Corinthios*, cap. X, aperte testatur, quod Christus, id est, Dei Filius, fuit comitatus illum populum in deserto, dicens: *Bibebant autem de consequenti eos petra: petra autem erat Christus;* igitur, DOMINUS SOLUS EJUS DUX FUIT. Et praeterea, 5.°, sic argumentor: Moyses, morti proximus, ut dicitur *Deuteronomii* cap. XXXIII, optat ut super Joseph veniat benedictio, qui ipsi apparuit in rubo, dicens: *Benedictio illius qui mihi apparuit in rubo veniat super caput Joseph;* sed tamen non optat illi alicujus angeli benedictionem, sed potius Dei; igitur, Deus erat et non angelus is qui apparuit illi in rubo. Item, ultimo, sic argumentor: *Esaiae* cap. LXIII, quo loco nostra editio habet: *Non est tribulatus, et Angelus faciei ejus salvavit eos*, Septuaginta interpretes sic verterunt: *Non legatus nec angelus, sed ipse Dominus salvavit eos, eo quod diligeret eos;* quam lectionem secuti sunt omnes veteres Patres qui Hieronymum antecesserunt; igitur, non angelus, juxta sententiam Septuaginta interpretum, sed ipse Dominus eduxit populum Israeliticum.

His argumentis fit, ut haec res in utramque partem valde dubia videatur. Et certe, Div. Augustinus, cum in libro II. *De Trinitate*, a cap. X et fere per totum III librum, longam disputationem fecisset de istis apparitionibus quae viris sanctis factae sunt in Veteri Testamento, et interdum videretur variare in sententia, tandem in capite ultimo tertii libri incunctanter asserit, nunquam in Veteri Testamento Deum apparuisse per se, assumpta aliqua forma visibili, sed omnes illas apparitiones factas fuisse per angelos, jussu Dei, in his corporibus quae ipsi assumebant ad eam rem. Et inducitur ad id affirmandum potissimum ex illis testimoniis quae supra retulimus ex *Actis Apostolorum*, et ex Paulo *ad Galatas* et *ad Hebraeos;* et eamdem sententiam tenet etiam in libro X *De Civitate Dei*, cap. XIII et XV. Et, certe, quod attinet ad apparitionem factam Moysi in rubo et ad

Legis dationem, quod illa facta sint ab angelo ex persona Dei et non ab ipso Deo, videtur tenere Œcumenius *Commentariis* in caput III Epistolae *ad Galatas* et in caput II Epistolae *ad Hebraeos;* et Burgensis idem tenet in additione super caput I. Epistolae *ad Hebraeos*, et Lyranus in eodem loco atque etiam capite II, et nonnulli alii ex recentioribus; et ego aliquando tenui istam sententiam. Sed, tamen, sunt pro contraria parte tot auctoritates Sanctorum, ut non sit facile statuere quid pro certo tenendum sit.

Quare ad hujus rei explicationem, 1.° notandum est, quod Basilides haereticus, ut refert Div. Irenaeus, libro *Contra haereses*, capite XXIII, et Theodoretus in libello *De haereticorum fabulis*, affirmavit Legem Veterem datam fuisse ab angelo Judaeorum principe, et ab eodem angelo eductos fuisse Judaeos a servitute aegyptiaca. Nec tamen quia id affirmat Basilides, veteres Patres, qui affirmarunt Veterem Legem datam fuisse per angelos, censendi sunt consentire cum Basilide, nam est magnum discrimen inter utrosque: nam Sancti affirmant datam fuisse illam legem ab angelo, sed tamen ab angelo ex persona Dei loquente, et non ab angelo quasi a praecipuo legislatore; at, vero, Basilides dicebat angelum ex sua persona legem dedisse, nam dicebat auctorem Veteris Testamenti non fuisse summum Deum, sed quemdam angelum praestantissimum inter reliquos elegisse se sibi illum populum atque illi fuisse pro Deo, ut docet Irenaeus loco citato. 2.°, notandum est, quod secunda Persona Trinitatis, Verbum ipsum, Unigenitus Dei Filius, in S. Scriptura saepe vocatur Angelus Dei, ut patet in illo *Esaiae*, cap. IX (?): *Magni consilii Angelus;* et similiter *Malachiae* cap. III: *Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* Appellatur, autem, isto modo: 1.°, quia per ipsum Pater regit atque gubernat universa, ut dicitur *ad Hebraeos*, cap. I: *Portans omnia verbo virtutis suae;* et 2.°, appellatur isto modo, quia ipsum Pater ab aeterno

mittere decrevit, atque adeo misit ad homines salvandos; et rursus, quia Christus Dominus, tam secundum naturam humanam quam secundum naturam Divinam, in S. Scriptura appellatur *facies Dei*, qui ut dicitur *ad Hebraeos*, cap. I, est *splendor gloriae et figura substantiae ejus*, et apud Joannem, cap. XIV, ipse dicit: *Philippe, qui videt me videt et Patrem meum*. Hinc fit ut appelletur etiam *Angelus faciei rum*, id est, angelus gestans in sese expressam imaginem Patris; quod etiam intellexerunt nonnulli ex veteribus doctoribus hebraeorum, atque etiam litteris tradiderunt, quorum unus fuit Moyses Gerundensis. Sic certe appellatur Christus ab Esaia loco citato, scilicet capitulo LXIII: *Non est*, inquit, *tribulatus, sed angelus faciei ejus salvavit eos;* nam omnes veteres Patres intelligunt hoc loco dici per Verbum Divinum, id est, per Christum servatum fuisse populum Israeliticum. 3.° et ultimo, notandum est, quod illa liberatio populi Israel ex Ægypto et deductio per desertum non fuit unum aut simplex opus, sed opus quod constitit ex multis partibus atque operibus, omnibus tamen relatis ad eumdem finem, scilicet, liberationem atque salutem illius populi: nam aliud fuit apparere in rubo, aliud plagis afficere Ægyptios, aliud interficere ipsorum primogenitos, aliud in columna nubis atque ignis illos praecedere, aliud mare dividere et aliud legem ferre ac reliqua omnia facere, quae erga eum populum facta memorantur in deserto per annos quadraginta. De quibus non potest ferri idem judicium: nam quaedam illorum sunt de quibus non potest dubitari, quin illa Deus perfecerit ministerio angelorum.

Unde de hac quaestione sit 1.ª conclusio: *Dei filius, immediate per se, in forma visibili, et non aliquis angelus, locutus est cum Adam in paradiso, et apparuit Abrahae (Genesis* cap. XVII et XVIII) *et luctatus est cum Jacob (Genesis* XXXII). Haec est veterum Patrum constans et certa sententia: nam 1.°, id tenet divus Clemens in *Constitutionibus apostolicis*, libro (VIII), cap. XII, et divus Justinus martyr in

Dialogo adversus Judaeos, et Tertullianus in libro *De Carne Christi* et in libro III *Contra Marcionem*, et Eusebius Caesariensis, libro I *Historiae Ecclesiasticae*, cap. II, et divus Athanasius sermone 2.° *Contra Arianos*, et divus Hilarius libro IV *De Trinitate*, et Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi* XI et XII, et divus Ambrosius libro I *De Abraham*, cap. V; et Leo Papa, in epistola XIII *ad Pulcheriam Augustam*, inquit isto modo: *Poterat quippe omnipotentia filii Dei sic ad docendos et justificandos homines apparere, quomodo Patriarchis et Prophetis in specie carnis apparuit, cum aut luctamen iniit, aut sermonem conseruit, aut hospitalitatis officia non abnuit, aut etiam appositum cibum sumpsit. Sed illae imagines hujus hominis erant indicia, cujus veritatem ex praecedentium Patrum stirpe sumendam significatione mystica designavit.* Et tandem, in Concilio Sirmiensi, canone XIV sic dicitur: «Si quis contra Jacob non Filium tanquam hominem luctatum esse, sed ingenitum Deum aut patrem Ejus dixerit, anathema sit;» et canone XV et XVI (1) idem Concilium definit, ipsum Filium Dei apparuisse Abrahae et descendisse ad subvertendam Sodomam.

2.ª Conclusio: *Dei Filius immediate per se apparuit Moysi in rubo, et dedit Legem in monte Sinai, et loquebatur cum Moyse, et locutus est cum Josue et fuit dux illius populi.* Hoc etiam affirmant multi ex veteribus Patribus: Div. Chrysostomus id apertissime testatur atque defendit *Commentariis* in secundum caput Epistolae ad Hebraeos, et Œcumenius idem tenet *in Acta*, cap. VII; et Glossa interlinearis in eodem loco, in illa verba: *Apparuit angelus Moysi in flamma ignis* etc. inquit: «*Angelus*, scilicet, Michael in persona Domini, vel certe ipse *Angelus magni consilii.*» Idem tenet Div. Justinus loco supra citato, et Eusebius, et Athanasius, et Hilarius in locis supra citatis, et Theo-

(1) Ita in codice. At relatae Concilii sententiae ad canon. XV, XVI et XVIII potius pertinent. Vid. Collect. Labbe.

phylactus, *Actorum* capite VII; et ex recentioribus nonnulli id etiam tenent. Et, sine dubio, ex argumentis quae supra fecimus nonnulla id probant satis efficaciter.

Ultima conclusio: *Plagas, quas Deus intulit Ægyptiis, et occisionem primogenitorum eorumdem, et columnam nubis atque ignis quae populum praecedebat in deserto, divisionem maris rubri, tonitrua et fulgura et sonitum buccinae et speciem ignis, quae apparuit in cacumine montis Sinai, et alia hujusmodi Deus operatus est ministerio angelorum.* Id ita affirmat Chrysostomus loco citato et nonnulli alii. Et de plagis, quas Deus intulit Ægyptiis, dubitari non potest: 1.°, quia semper Deus in puniendo utitur ministerio aliorum, non enim pertinet ad illius clementiam nec dignitatem ut ipse per se aliquem afficiat supplicio; et 2.°, id aperte dicitur in psalmo LXXVII, ubi agens David de istis plagis, inquit: *Misit in eos iram indignationis suae, indignationem et iram et tribulationem: et immissiones per angelos malos.* Et quod attinet ad interitum primogenitorum eorumdem, probatur aperte ex eo quod dicitur *Exodi* cap. XII; inquit: *Transibit enim Dominus percutiens Ægyptum: cumque viderit sanguinem in superliminari et in utroque poste, transcendet ostium domus et non sinet percussorem ingredi.* Et de columna nubis atque ignis, quae praecedebat Judaeorum castra, aperte dicitur *Exodi* cap. XIV: *Tollens se Angelus Domini, qui praecedebat castra Israel, abiit post eos et cum eo pariter columna nubis* etc. Et de sonitu buccinae et de aliis signis editis in monte Sinai ipsa ratio idem probat: nam, quamvis certum sit quod in die Judicii venturus est ipse Dominus, ipse per se ad judicandum, tamen nihilominus etiam certum est quod multa tunc efficientur ministerio angelorum; nam sonitus tubae, qui tunc exaudiendus est, efficietur ab angelo, dicente Paulo in prima *ad Thessalonicenses*, cap. IV: *In sono tubae, in voce Archangeli;* et etiam tunc Angeli exituri sunt et collecturi malos de medio justorum, ut dicit Christus apud Matthaeum, cap. XIII. Et

praeterea divus Chrysostomus, loco supra citato, id aperte affirmat, scilicet, illa signa quae edita sunt in monte Sinai ministerio Angelorum perfecta esse.

Sed restat ut dissolvamus argumenta quae facta sunt pro contraria sententia. Et ad primum argumentum, concessa majori, ad minorem, scilicet, qui apparuit in rubo fuit angelus, respondetur 1.° quod appellatur angelus, quia illa flamma ignis, quae apparuit, effecta est opere et ministerio alicujus angeli, aut erat angelus prae se ferens speciem ignis visibilis, ita ut in rubo et esset Filius Dei loquens cum Moyse, et etiam esset angelus illam flammae speciem excitans in rubo atque illo modo tamquam disponens et efficiens locum, in quo erat Dominus; id videtur dicere Div. Augustinus libro II. *De Trinitate*, cap. XIII. Vel 2.°, respondetur, et melius, quod ipse Filius Dei vocatur angelus, quia consilia Patris annuntiat hominibus, ut supra dictum est. Ad secundum argumentum, ex Paulo (*ad Galatas*, III.) dicente, quod lex Mosaica fuit disposita per angelos, 1.°, nonnulli respondent, quod Paulus vocat angelos ibi Moysem et Aaron et reliquos sacerdotes, quorum ministerio illa lex tradebatur et executioni mandabatur, nam certum est sacerdotes vocari angelos in S. Scriptura; id constat ex illo *Malachiae*, II: *De ore ejus requirunt scientiam, quia Angelus Domini est;* hanc interpretationem sequitur divus Thomas *Commentariis* in eamdem epistolam, in eodem loco, atque etiam Œcumenius. 2.°, respondetur, quod illa lex dicitur a Paulo exposita per angelum, quia, ut supra dictum est, in 3.ª Conclusione, Filius Dei, quando tulit illam legem in monte Sinai, usus est ministerio multorum angelorum ad efficienda ea signa quae ibi facta sunt; quod divus Chrysostomus loco citato affirmat istis verbis: «¿Quid ergo dicemus, nisi quia praesentes angeli erant, quibus fuerat gens illa commissa, et ipsi erant qui tubis atque buccinis personabant et caetera faciebant, hoc est, ignem, fumum et nebulas?» Et eodem modo respon-

detur ad aliud argumentum ex epistola ad Hebraeos, II, ubi lex vocatur sermo factus per angelos: vel, 2.°, respondetur, ut etiam respondet divus Chrysostomus loco citato, quod ibi Paulus non loquitur de lege, sed de aliis rebus, quas Angeli jussu Dei annuntiaverunt Patribus Veteris Testamenti; nam, ut inquit Chrysostomus loco citato, plurima alia praeter legem sunt mandata Patribus per angelos qui mittebantur ad id ministerium, sicut missi sunt ad Lot in monte et ad Judices et ad Sansonem; et propterea, inquit, non dixit Paulus *lex*, sed *sermo qui factus est*. Ad ultimum argumentum, ex Esaia, respondetur, quod ex illo potius probatur nostra sententia: nam *angelus faciei*, ut dictum est, vocatur ipse Filius, propter causam superius expositam; idque secuti Septuaginta interpretes recte ad sensum transtulerunt: *Non legatus neque Angelus, sed ipse Dominus salvavit eos*. Et ad ultimam confirmationem, ex eo quod in Exodo multis locis dicit Dominus Moysi se missurum angelum qui comitetur et inducat in terram promissam populum Israeliticum, ad hoc respondetur: 1.°, quod, quemadmodum ex ipso textu constat, illa dicuntur a Domino irato propter peccatum vituli; sed idem, postea placatus, ad preces Moysis promittit se futurum ducem illius populi, ut supra ostensum est; nam tandem, ultimo, dixit: *Praecedet te facies mea*, id est: Ego ipse vel certe Verbum meum, quod *facies Dei* appellatur in S. Scriptura, ut supra diximus. Sed jam revertamur ad expositionem. Sequitur in textu:

13. — Constituit eum super excelsam terram: ut comederet fructus agrorum, et sugeret mel de petra et oleum de saxo durissimo.

Hoc est aliud atque tertium beneficium illi populo exhibitum a Deo, quod tandem illum constituit in possessionem terrae jam olim illi assignatae. Non erat autem hoc

beneficium exhibitum illi populo quando ista Moyses canebat, sed praedixit exhibendum; et ita ista praeterita: CONSTITUIT etc, pro futuris accipienda sunt, more prophetarum. CONSTITUIT EUM SUPER EXCELSAM TERRAM: UT COMEDERET FRUCTUS AGRORUM. — Ita proponit Moyses hoc beneficium, ut simul ipsum amplificet a terrae ubertate et qualitate atque etiam a modo, quo in ejus possessionem missi sunt Judaei. Inquit, ergo, primo: CONSTITUIT SUPER EXCELSAM TERRAM illum, quod, ad verbum ex hebraeo redditum, verti potest: EQUITARE aut ascendere FECIT SUPER EXCELSAM TERRAM; in quo significatur plena et justa possessio, nam sicut eques circumagit equum suo arbitratu, sic tota illa regio fuit in pleno dominio illius populi. Aut, certe, id dicit, quia sequitur: SUPER EXCELSAM TERRAM, nam quia ascenderunt in locum altum et excelsum, idcirco dicuntur inequitare; nam qui inequitant sublimes in equis feruntur. Dicitur autem Palaestinae regio terra excelsa, quia montuosa est, atque etiam quia respectu Ægypti est altior; vel nomen excelsum, non tam ad loci situm, quam ad virium robur (refertur), ad quod respexisse videntur Septuaginta interpretes, qui transferunt hoc loco: TRADUXIT EOS IN FORTITUDINEM TERRAE; nam illa regio habebat urbes natura munitissimas et habitatas a propugnatoribus fortissimis. Ex quo, magis ostenditur magnitudo hujus beneficii: non enim solum illis concessit Deus terram uberem, sed etiam eam eripuit a viris fortissimis, qui eam obtinebant ut daret illis. UT COMEDERET, inquit, FRUCTUS AGRORUM. — Id est, ut secure atque laete ejus terrae bonis potirentur; nam verbum comedendi in S. Scriptura saepe significat usum rerum securum atque laetum. ET SUGERET MEL DE PETRA ET OLEUM DE SAXO DURISSIMO. — Id est, dedit illis terram adeo uberem ut illius loca, quae maxime sterilia videbantur, scilicet, montana et petrosa, mel atque oleum funderent, ut, inquit, apes construerent favos inter saxa et rupes praeruptae oleas ferrent.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Atque illud, quidem, praestitit Deus illi populo. Cui non est dissimile id, quod confert iis hominibus quos ad se vocat atque justificat: nam, 1.°, CONSTITUIT ILLOS SUPER EXCELSAM TERRAM, id est, per gratiam illos mittit in possessionem et facit dominos suorum corporum et eorum affectuum, qui ex corpore procedunt; qui affectus jure dicuntur TERRA, quia nascuntur a corpore terreno et ad bona terrena referuntur, et jure etiam appellantur TERRA EXCELSA, id est, terra ardua et ascensu difficilis, quia non superantur nisi summa difficultate atque labore; ex quo etiam virtus dicitur esse collocata in loco arduo et difficili ad ascendendum. Igitur, justi, in hac terra constituti et effecti domini suorum corporum et corporearum cupiditatum, comedunt FRUCTUS AGRORUM, ET SUGUNT MEL DE PETRA ET OLEUM DE SAXO DURISSIMO; quia ager sui corporis non jam profert illis spinas et tribulos, sed fructus suavissimos germinat, quibus laeti fruuntur. Nam virtute gratiae et exercitatione virtutis fit, ut sensus ipsi corporis conspirent cum ratione ad amorem Dei, sicut dicitur in psalmo: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum;* et divus Paulus, ad hoc respiciens, in epistola *ad Romanos*, capite VI, ipsos adhortatur dicens: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem.* Nam fructus corporis est illud cujus causa nobis datum est a Deo; datum est autem corpus, ut serviat animo in illis officiis et muneribus obeundis, quae ratio praescripserit. Et hunc fructum soli justi percipiunt, et ideo dicuntur comedere fructus agrorum; vel, certe, dicuntur comedere fructus agrorum et sugere mel de petra, ut significetur his metaphoris ipsos in utraque fortuna esse felices et ex utroque capere fructus dulcissimos: comedunt fructus agrorum, id est, quando res succedunt illis pro voto et quando feliciter germinant cuncta, ex eo ipsi capiunt summam laetitiam, summam utilitatem; ubi, autem, illis objicitur aliqua conditio et

fortuna durior, tunc ex PETRA IPSA atque SAXO DURISSIMO eliciunt mel atque oleum, id est, tunc illud ipsum adversum et acerbum illis valet ad summam utilitatem et jucunditatem. Unde aptissime ad istam sententiam Moyses in isto loco usus est sugendi verbum: nam res asperae et adversae, non ipsae ex sese proferunt aut sua sponte effundunt OLEUM et MEL, id est, suavitatem atque laetitiam, nam sunt suapte natura amarae atque fugiendae; sed justi ex illis per patientiam et tolerantiam et obedientiam erga Deum sugunt atque eliciunt suavitatem et dulcedinem, praeter aliorum opinionem atque spem. Ex quo in S. Scriptura illa dulcedo atque voluptas, qua justi a Deo perfunduntur, Deo vocatur abscondita et occulta dulcedo, ut in illo psalmi: *Quam magna est multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te;* dicitur enim abscondita et minime conspicua, non solum quia interior est, sed etiam quia saepe percipitur ex eo, ubi minime inesse creditur aut putatur, OLEUM DE SAXO DURISSIMO ET MEL DE PETRA. Sequitur in textu:

14.—Butyrum de armento et lac de ovibus, in adipe agnorum et arietum filiorum Basan: hircos cum medulla tritici, (ut) sanguinem uvae biberent meracissimum.

Amplificat adhuc magis id beneficium de quo agit, scilicet, terrae illis traditae ubertatem et copiam omnium rerum, enumeratque particulariter omnia bona illius terrae. BUTYRUM, inquit, DE ARMENTO.—Repetendum est superius verbum, ut sit sensus: Et ut comederet BUTYRUM DE ARMENTO ET LAC DE OVIBUS CUM ADIPE AGNORUM ET ARIETUM FILIORUM BASAN. Vocat autem arietes et agnos FILIOS BASAN, propterea quod mons Basan et campi circumjacentes erant maxime apti ad haedos alendos et abundabant gregibus ovium, ut constat ex *Numerorum* libro. Dicit Moyses, quod Deus collocavit illum populum in terra, non

solum abundante melle et oleo, sed etiam armentis et gregibus. Sed, tamen, quaerit Euthymius in hoc loco, quomodo verum sit quod hic dicitur, scilicet, illis datum fuisse a Deo ut comederent adipem agnorum, cum constet ex Levitico illis prohibitum fuisse a Deo vesci adipe, propterea quod adeps erat Deo offerendus. Hoc autem ut dissolvat Euthymius, relicta littera, confugit ad allegoriam; sed tamen, nihilominus, potest dici id dictum fuisse figurate ad significandam pinguedinem agnorum, id est, dictum non ut significaret Moyses licitum esse adipe vesci, sed ut doceret et ostenderet quam pingues essent agnorum carnibus illi vescebantur. HIRCOS ET MEDULLA TRITICI.—In hebraeo est in eodem sensu: CUM ADIPE RENIS TRITICI; vocant autem hebraei grana tritici figurate renes. Itaque, *adeps granorum tritici* significat farinae partem selectissimam. ET SANGUINEM UVAE BIBERENT MERACISSIMUM.—Sic vocat vinum figurate sanguinem uvae propter colorem. Veteribusque magis in usu fuit, ut ex Homero potest colligi. Chaldaicus Paraphrastes omnia ista accepit dicta esse non proprie, sed metaphorice; itaque, agnos et armenta et hircos occisos refert ad illas gentes, quas bello vicerunt et deleverunt Judaei, cum ingressi sunt terram promissam; et sanguinem uvae interpretatur de cruore effuso in ejusmodi praelio. Caeterum, ad spiritualem sensum ista relata, significant omnes irrationalis animae partes servire menti et rationi in hominibus justis, et ex illis partibus per gratiam justificatis et mortificatis justos capere non minimas utilitates; in vino autem et tritico significantur omnia Charismata Spiritus S., quibus alitur exhilaraturque noster animus.

15.—Incrassatus est dilectus, et recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.....

Posteaquam Moyses exposuit beneficia quae Deus contulit in illum populum, jam nunc exponit ejus populi adversus Deum ingratitudinem, tandem expositurus poenas, quas illi propterea daturi erant. INCRASSATUS EST DILECTUS.—Pro *dilecto*, verbum quod est in hebraeo significat *rectus*, et attribuitur id nomen nonnumquam populo Israelitico tanquam proprium; unde Septuaginta hoc in loco verterunt: PINGUIS FACTUS EST JACOB. Quamquam et videri potest id nomen positum esse a Moyse ironice in hoc loco, quasi ita dicat: Ergo ille bonus, ille gratus, respondens Deo, INCRASSATUS RECALCITRAVIT, id est, pro beneficio accepto malam ipse gratiam retulit. INCRASSATUS, RECALCITRAVIT. Sumpta est methapora ab equis, quos obesitas ferociores reddit; et valet hoc ad magis exaggerandam ingratitudinem illius populi: non enim solum fuerant impii in Deum, cum ipse fuisset in eos pius et beneficus, sed etiam ipsa illa bona et dona Dei, quibus provocabantur ad ipsum amandum, ab illis *(sic)* ipsi sumpserunt causam recedendi a Deo et ipsum negligendi. IMPINGUATUS RECALCITRAVIT.—Id est, quia impinguatus erat, quia plenus bonorum, quia affectus a Deo innumeris beneficiis, idcirco RECALCITRAVIT, id est, non solum recessit a Deo, sed etiam ipsum contumelia affecit; est enim contumeliosum calcibus incurrere in aliquem. Caeterum, aptissime dixit Moyses recalcitrare, quod est brutorum et ratione expertium animantium, ut significaret quantum illa ingratitudo illius populi fuisset aliena ab omni ratione recta, quam indigna hominis, quam propria brutorum animantium; nihil enim est adeo irrationale, quam discedere a Deo et tali ac tanto benefactori ingrate respondere. Ex cujus rei indignitate considerata, Moyses, quasi admiratione quadam affectus,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

iterata oratione et saepius repetitis verbis, ad majorem exaggerationem adjecit: INCRASSATUS, IMPINGUATUS, DILATATUS DERELIQUIT DEUM FACTOREM SUUM. Id est, cumulatus omnibus beneficiis quae quis dicere vel animo potest fingere, tamen recessit a Deo; itaque, repetit ter illud verbum INCRASSATUS, ut ostendat nullum genus beneficii fuisse, quod Deus in illum populum non contulerit, sicut ipse testatur apud Esaiam, cap. v, dicens: *¿Quid potui facere vineae meae, et non feci?* Vel repetit ter idem verbum, ad significanda tria tempora in quibus Deus maxime ostendit suam beneficentiam erga eum populum: primo, quando ipsum eduxit de Ægypto; 2.°, quum induxit in terram promissam; 3.° et ultimo, cum misit ad illos Christum filium suum. Igitur, iste populus, tot beneficiis affectus a Deo, DERELIQUIT DEUM FACTOREM SUUM, et recessit a Deo salutari suo. Prius exposuit causam peccati; nunc ponit ipsum peccatum, quod inde ortum est: nam, sicut docet divus Chrysostomus in homilia quadam in II lib. *Paralipomenon*, saepè in S. Scriptura quando fit mentio peccati aliquorum hominum, etiam commemorantur causae ex quibus ad id peccatum inducti sunt, ut patet Esaiae cap. XIV de Rege Babyloniae, et Ezechielis XXXII de Rege Ægypti; de quo videte Martinez, lib. X. *Hypotyposeon*, regula 29. Facit autem hoc S. Scriptura, ut qui hujusmodi peccatum vitare voluerint, cognitis causis atque fontibus, facilius vitent.

Igitur, hujus peccati Judaeorum, de quo agimus, causa exstitit copia et abundantia omnium rerum et felicitas terrena. Ex quo intelligitur quam periculosa sit fortuna prospera et secunda; nam quos res adversae studiosos virtutis faciunt, et res secundae eos inaniter efferunt aut luxu dissolvunt: sic David, quamdiu fuit in metu atque fuga, non legitur peccavisse adversus Deum; at vero idem, regno potitus, saepius peccavit. Quod idem evenit illi populo: nam quotiescumque ipsum opprimebant hostes sui,

Deum religiose colebat; ubi autem, liberatus ab hostibus, pace atque copia fruebatur, cultum exhibebat idolis, ut constat ex libro *Judicum*. Quam ob causam inquit Moyses: DILATATUS cum esset, DERELIQUIT DEUM FACTOREM SUUM ET RECESSIT A DEO SALUTARI SUO. Ita exponit illorum peccatum, ut simul etiam id amplificet fere in singulis verbis: DERELIQUIT, inquit, DEUM FACTOREM SUUM; in quo, non solum dicit Deum dereliquisse, sed eum a quo factus atque conditus est, ut intelligatur, non solum illos fuisse ingratos, eo quod dereliquerunt conditorem suum, sed etiam fuisse caecos et sibi ipsis perniciosos. Nam si conditor est, necesse est ut sit etiam conservator; in ipso enim *et vivimus et movemur et sumus*; unde qui ipsum derelinquit, quantum in se est, fugit ipsam vitam et sibi advocat certam perniciem. Quod ipsum magis explicant quae sequuntur: ET RECESSIT A DEO SALUTARI SUO; id est, dum Deum ingrate fugit, suam ipsius salutem quodammodo odio habuit. Quamquam ista duo videntur pertinere posse ad significanda atque praedicenda duo maxima Judaeorum peccata, scilicet, peccatum idololatriae et peccatum negationis et occisionis Christi: do 1.°, inquit: DERELIQUIT DEUM, FACTOREM SUUM, id est, cultum quem debebat Deo creatori suo tribuit idolis; de 2.°, autem, dicit: RECESSIT A DEO, SALUTARI SUO, id est, negavit Christum, salvatorem suum, nam in hebraeo ad verbum est: RECESSITA PETRA SALUTARI vel SALUTIS SUAE, et Christus in S. Scriptura proprie appellatur utroque nomine, scilicet, appellatur *petra* et appellatur *salutare Dei*. Sed sequitur in textu:

16.—Provocaverunt eum diis alienis, et in abominationibus concitaverunt.

Deos alienos aut extraneos vocant S. Scripturae idola et falsos deos: primo, quia colebantur ab alienis nationibus, divisis a populo Israelitico; 2.°, appellantur sic, ut intelli-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gatur illos esse falsos deos et alienos a divinitate. Nam verbum hebraicum, quod ponitur hoc loco, interdum significat id quod adulterinum est, ut in illo *Oseae*, cap. v, ubi dicitur: *Quia filios alienos genuerunt; filios alienos*, id est, adulterinos, aut certe susceptos ex feminis gentilibus, cum quibus Judaeis non licebat congredi. PROVOCAVERUNT EUM IN DIIS ALIENIS.—Provocare, in hoc loco, non tam significat ira inflammare, quam afficere zelotypia (1), ut liquet ex verbo hebraico quod hoc loco ponitur, quod sonat: ZELARE ME FECERUNT etc., et est verbum amatorium. In quo, primo, ostenditur et declaratur magnitudo divini amoris erga illum populum, atque adeo erga universos homines; non enim tanguntur zelotypia, nisi qui vehementer amant: igitur, ut intelligatur quantum Deus diligat nos, dicitur zelo affici, cum ipsi convertimus amorem nostrum ad alias res. 2.°, ex eodem ostenditur et amplificatur nimius amor Judaeorum erga falsos deos; ita enim studiose illos colebant, ut Deus ipse, si capax invidiae esse posset, zelo et invidia tangeretur ex eo quod illi dii tam studiose colerentur a populo suo. Sed addit: IN ABOMINATIONIBUS SUIS AD IRACUNDIAM CONCITAVERUNT. Quasi dicat: amorem et cultum Deo debitum ad idola transtulerunt, et in eo Deum accenderunt zelotypia; caeterum, modus atque ratio idola colendi tam turpis et abominabilis fuit, ut ex eo Dei iracundiam in se provocarent. Quod ut magis explicet atque amplificet, subjungit quod sequitur in textu:

17.—Immolaverunt daemoniis, et non Deo, diis quos ignorabant: novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.

Quos supra appellaverat alienos deos, hos nunc appellat daemonia. In quo, declarat quae sit vis et significatio

(1) Ad margin.: «ponere celos».

illius vocis *alieni:* sunt, enim, alieni, quia sunt daemonia, nullo foedere, nulla amoris conjunctione copulata cum suo populo; immo potius, hominum generi inimica et infesta. ET NON SUNT DII, id est, sunt expertia totius divinitatis. DIIS, inquit, QUOS IGNORABANT; in quo etiam auget peccatum Judaeorum, quasi dicat: cultum exhibuerunt illis, a quibus nunquam affecti sunt aliquo beneficio, quorum vires atque beneficentiam nunquam fuerunt experti; itaque (id quod fuit argumentum summae illorum impietatis et dementiae), relicto Deo vero, cujus erga se amorem et benevolentiam ipsis oculis videbant tot et tam claris signis, se contulerunt ad eos deos colendos, quos vix noverant de nomine nec ipsi nec majores ipsorum. Quare addidit: NOVI RECENTESQUE VENERUNT, QUOS NON COLUERUNT PATRES EORUM; quasi dicat, nec illud saltem poterunt dicere ad excusandum peccatum suum, quod, scilicet, sui majores illos deos aliquando coluissent; nam venerunt NOVI atque RECENTES, id est, nunquam antea culti a suis majoribus. Sequitur in textu:

18.—Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini Creatoris tui.

Haec dicuntur per admirationem, converso sermone ad ipsos Judaeos. Itaque, multa sunt in his verbis, quae plurimum valent ad amplificandum, scilicet, admiratio, conversio sermonis et ejusdem sententiae repetitio. DEUM, inquit, QUI TE GENUIT, DERELIQUISTI, ET OBLITUS ES DOMINI CREATORIS TUI.—Minus est derelinquere et majus est oblivisci, nam his gradibus peccando descenditur; nam prius mens avertitur a Deo, sed ita ut conscientia et recordatio sceleris torqueat animum; deinde, peccando sensim afficcitur et occupatur quodam stupore, et fere extinguitur in illo omnis sensus recti atque honesti.

OBLITUS ES DOMINI CREATORIS TUI. Id est, oblitus es

ejus, cujus nemo potest oblivisci, qui saltem sui recordetur et se ipsum contempletur, scilicet, oblitus es ejus per quem vivis atque spiras; ex quo maxime ostenditur illorum sceleris magnitudo, qua effectum est, ut non viderent ea quae in oculos incurrebant, et ut oblivioni darent cujus memoriam nemo est qui non retineat, nam nulla gens est tam fera nec tam barbara, quae non agnoscat et recordetur eorum a quibus genita est. Sed etiam in verbo hebraico hoc loco quiddam latet, quod valde pertinet ad magis declarandam magnitudinem hujus peccati atque oblivionis, nam pro eo quod dicitur: OBLITUS ES DOMINI CREATORIS TUI, ad verbum sic potest verti: OBLITUS EST DOMINI PARTURIENTIS TE: PARTURIRE, autem, et verbum quod huic respondet in hebraeo est eniti cum dolore atque cruciatu, quod translatum ad Deum significat multiplicem et sollicitam illius providentiam atque curam erga illum populum. Itaque, dicit Moyses: oblitus es Dei, qui non solum te in lucem edidit, sed qui quasi te parturiret cum dolore et cruciatu, ita ipse adhibuit erga te summam curam et sollicitudinem atque adeo etiam summis suis laboribus atque cruciatibus te salvum atque incolumen esse voluit. Quod referri potest ad ea, quae Christus Dominus in humanitate suscepta gessit atque passus est pro hominum salute. Sequitur in textu:

19.—Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est: quia provocaverunt eum filii sui et filiae.

In nonnullis exemplaribus Vulgatae editionis, ut in complutensi et in regiis bibliis, non legitur FILII SUI, sed FILII ET FILIAE tantum; filios autem et filias hebraei sine additto vocare solent homines et mulieres in genere, ut in illo *Proverb.*, ult.°: *Multae filiae congregaverunt sibi divitias*, etc., id est, multae feminae. Caeterum, hebraea atque graeca exemplaria et pleraque latina legunt FILII

SUI ET FILIAE; itaque, ista lectio retinenda est et exponenda. Igitur, Moyses, posteaquam exposuit et amplificavit peccatum populi Judaeorum, jam aggreditur praedicere supplicium, quod Deus de illo populo erat sumpturus. In eo, autem, praedicendo servat mirabilem ordinem: nam 1.°, inquit: VIDIT DOMINUS, ET AD IRACUNDIAM CONCITATUS EST; prius enim est videre in Deo, quam irasci; non, enim, Deus aliquem abjecit sua sponte aut ex solo suae voluntatis proposito, sed quia videt illius peccata futura. Idque ex hoc loco intelligitur, quia, ut dicitur *Sapientiae* I: *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione viventium. Creavit, enim, omnia ut essent, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum: et non est in illis medicamentum exterminii nec inferorum regnum in terra.* Unde et recte Glossa interlinearis in hoc loco dicit: «AD IRACUNDIAM CONCITATUS EST, non ex se, sed quia PROVOCAVERUNT EUM FILII SUI»; et in hebraeo ad verbum sic legitur: VIDIT DOMINUS, ET REPROBAVIT.

Quod, autem, sequitur: PROVOCAVERUNT EUM FILII SUI ET FILIAE, id Euthymius in hoc loco ita exponit, quasi Moyses dixerit Deum iratum fuisse Judaeis, propter ea quae faciebant crudeliter erga suos ipsorum filios, immolando illos idolis; nam apud Chananaeos, quibus successerunt Judaei in possessione terrae Palaestinae, in more erat sacrificare idolis filios suos charissimos, quos postea imitati sunt Judaei, ut constat ex psalmo CV: *Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Unde et legit Euthymius versiculum hunc isto modo: ET CONCITATUS EST PROPTER IRAM FILIORUM EORUM ET FILIARUM, id est, propter saevitiam, quam exercuerunt in ipsorummet filios; sed verior sensus est, quem verba ipsa latina prae se ferunt, scilicet, quod Dominus abjecit eum populum provocatus ab ipso, propter iram, quam concepit ipse Deus in suosmet filios. Nec, vero, sine causa Moyses hoc loco populum judaicum appellavit *filios Dei*, sed id fecit, ut in-

telligeretur non aut levitate, aut sententiae mutatione, aut quod Deus odio haberet Judaeos, sed ipsorum Judaeorum magna culpa factum esse, ut Deus illos abjiceret atque spernoret; nam naturale est, ut quisque suos filios valde diligat, et ut toleret prius peccata illorum multa, quam ipsos repellat a se. Sequitur in textu:

20.—Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum: generatio enim perversa est, et infideles filii.

Posita superius cognitione peccati et ira Dei adversus peccatum, nunc ponit sententiam a Deo latam contra ipsos peccatores. In quo, considerationc dignum est, quam paulatim et quam cunctanter progrediatur Deus ad puniendos peccatores; non enim Moises dixit: VIDIT DOMINUS, et statim delevit illos, sed VIDIT primo; deinde, IRA CONCITATUS EST; tertio, sententiam protulit, tandem post multa saecula executioni mandandam. Sed videamus quam sententiam Deus proferat adversus illos. ABSCONDAM, inquit, FACIEM MEAM AB EIS.—Facies in S. Scriptura ponitur pro favore et gratia Dei, ut patet ex illo psalmi XII: *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me?* vocatur, autem, *facies* ipsa gratia Dei, tum quia est quaedam similitudo divinitatis, tum etiam quia, cum Deus nobis favet, veluti videmus ipsum vigilantem in custodiam et salutem nostram. Igitur, hoc primum est in hac sententia, ex quo tamquam fonte proficiscuntur reliqua omnia mala, quibus peccatores a Deo afficiuntur: primum est, continere Deum favorem suum et nolle nos protegere auxilio gratiae suae; nam, quando aliquis destituitur divino favore, statim quasi uno agmine incurrunt in illum mala universa, id quod satis intelligens, dicebat *Genes.* IV: *Ecce ejicis me hodie a facie terrae, a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, interficiet me.*

Caeterum, quod additur: ET CONSIDERABO NOVISSIMA EORUM, id ambiguum est ad varios sensus; itaque, multipliciter potest exponi. Primo, CONSIDERABO NOVISSIMA EORUM; id est, videbo quid tandem illis, destitutis meo favore, evenerit; videbo, inquam, quomodo sine meo auxilio mala poterunt a se propulsare, quod dicitur non sine ironia et tacita quadam irrisione et comminatione. Qui sensus videtur simplicissimus; cuique suffragantur hebraica, quae ad verbum sic: ET VIDEBO QUID NOVISSIMUM ILLORUM, di est, quid illis evenerit videbo. Caeterum, Septuaginta id videntur aliter intellixisse, nam verterunt: ET OSTENDAM QUID ERIT ILLIS IN NOVISSIMIS, id est, quemadmodum exponit Euthymius, dicam illis quas in futurum poenas perpessuri sint, ut, scilicet, non solum doleant quando ipsa mala advenerint, sed multo antea torqueantur metu et formidine eorum malorum. Alii aliter exponunt, sic: ABSCONDAM FACIEM MEAM AB EIS, ET FAVOREM AUFERAM, QUIA CONSIDERABO NOVISSIMA EORUM, id est, quia video atque considero futura et novissima peccata ipsorum et ingratitudinem: in quo intelligunt id peccatum Judaeorum, quod fuit gravissimum omnium et tanquam ultimum ad illorum perniciem, quod adversus Christum commiserunt; nam hujus peccati merito potissimum abscondit Deus faciem suam ab illis. In quo peccato satis declaraverunt id quod sequitur in textu, scilicet, se esse GENERATIONEM PERVERSAM ET INFIDELEM, quippe qui dixerunt: *Hic est haeres, venite; interficiamus eum, et erit nostra haereditas.* Hunc sensum videtur secutus Paraphrastes chaldaicus; sic enim vertit hunc versum: AUFERAM MAJESTATEM MEAM AB EIS; NOTUM ENIM EST CORAM ME QUID ERIT IN NOVISSIMIS EORUM, QUONIAM GENERATIO PERVERSA EST, ET FILII IN QUIBUS NON EST FIDES. Vel potest aliter exponi, scilicet: ABSCONDAM FACIEM AB EIS, id est, velabo oculos meos, quando mala in ipsos invadere coeperint, ne illorum afflictio, a me perspecta, me provocet ad misericordiam; at vero IN NOVISSIMO, id est, quando jam ipsa

mala illos extinxerunt et confecerunt, tunc VIDEBO, id est, tunc retegam oculos ut videam illos misere extinctos, pro eo quod meriti sunt; quod dicitur metaphorice et per similitudinem ductam ab iis, qui, quamvis volunt atque capiunt peccatores puniri, tamen, dum puniuntur, recusant videre illorum cruciatus, eo quod sint animo misericorde. Vel, certe, hunc locum sic interpretemur, et erit ultima expositio: ABSCONDAM FACIEM MEAM AB EIS, ET CONSIDERABO NOVISSIMA EORUM, id est, primo levius illos puniam, postremo gravissime puniam: primo, inquam, continebo favorem meum, et permittam illos exagitari variis malis, sed non penitus adjiciam, quod et factum est tempore Judicum atque Regum, ut patet ex S. Scriptura; at vero tandem considerabo aut videbo novissimum eorum, id est, tandem ad ultimum satiabo plene iram meam in illis, et sumam de illis justam vindictam. Nam videre in S. Scriptura, cum dicitur de inimicis, significat magnam voluptatem capere de illorum supplicio et plene vindicare se, ut alibi a nobis dictum est. Appellat, autem, NOVISSIMUM EORUM id tempus, quod a Christi morte decurrit usque ad consummationem saeculi; in quo tempore Judaei, regno spoliati et eversi a Romanis, simul cum regno amiserunt fidem et veram religionem et charismata Spiritus S., et ea omnia translata sunt ad gentes. Nam isto tempore Deus effudit in illos omnem suam iram, et tractavit eos plane digne pro suis meritis. Unde convenientissime ad hanc sententiam et expositionem, sequitur in textu:

21.—Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt me in vanitatibus suis: et ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos.

Id est, tunc, in novissimo, par pari referam: nam sicut illi me, non solum spreverunt propter idola vilissima quae non sunt dii, sed ita coluerunt illa idola ardenter atque officiose, ut quantum in illis fuit, si in me posset cadere invidentia, inviderem illis idolis, eo quod tam religiose colerentur; sic, ad eumdem modum, ego tandem, in novissimo tempore, eligam populum qui non est populus, id est, populum abjectissimum et carentem vera religione et cognitione Dei, scilicet populum gentilem eligam, et istos relinquam vacuos vera religione et vera fide. Nec solum, inquit, eligam gentes et Judaeos abjiciam, sed ita amanter cum illis agam, sic ipsos locupletabo donis Spiritus S., ut ex eo Judaei maxima invidia torqueantur; nam hoc, inter alia, fuisse Deo propositum, quando transtulit ad gentes cultum verae religionis cum fide Christi, hoc, inquam, fuisse propositum Deo docet D. Paulus *ad Rom.* XI, dicens: *Sed numquid Deus repulit plebem suam? Absit... Sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos aemulentur.*

Sed quaeret aliquis: Cur Moyses gentiles vocat NON POPULUM? Euthymius in hoc loco dicit, quod fideles ex gentibus vocantur NON POPULUS, quia non pertinent proprie ad aliquam peculiarem gentem, sed congregantur ex pluribus gentibus; sed isti sententiae refragatur quod statim additur, quasi explicationis causa: ET IN GENTE STULTA IRRITABO ILLOS, praeterquam quod in nonnullis latinis exemplaribus legitur: PROVOCABO EOS IN EO, QUI NON EST POPULUS MEUS. Quare dicendum est, ut docet Theodoretus *quaestionibus selectis* in Deuteronomium, quod gentiles vocantur NON POPULUS, primo, quia non erat populus Dei, id est, populus Deo familiaris et ab ipso custoditus peculiari providentia, sicut populus Judaeorum, quomodo *Oseae* capite I vocatur propter eamdem causam; 2.°, appellatur NON POPULUS, secundum opinionem et existimationem Judaeorum, nam ipsi pro nihilo ducebant gentiles, et vitabant eorum congressus tanquam immundos et profanos; 3.° et ultimo, dicitur NON POPULUS, quia carebant vera religione et cognitione Dei, et erant contaminati mul-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
930160

tis flagitiis; ex quo intelligitur apud Deum nihil esse in pretium, praeter veram religionem atque virtutem. Sequitur in textu:

22.—Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima: devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet.

Praedixerat Moyses sententiam quam laturus erat Dominus contra populum judaicum, propter eorum erga ipsum ingratitudinem; nunc magis in particulari praedicit, quo modo, qua ratione haec sententia executioni mandanda esset per iram et indignationem Dei, cujus magnitudinem describit figurate et elegantissime. IGNIS, inquit, SUCCENSUS EST in FURORE MEO. Id est, cum advenerit tempus exequendi ea, quae contra ipsos decreta sunt, tunc ira mea ejusmodi incendium excitabit, ut illo penitus assumatur iste populus. Caeterum, cum populus judaicus bis fuerit excisus ab hostibus suis, primo a Babyloniis et secundo a Romanis, potest dubitari atque quaeri, utri harum devastationum et captivitatum conveniant ea, quae dicuntur hic; nam hebraeorum doctores, quos sequitur Jacobus Christopolitanus, episcopus Valentinus, omnia ista interpretantur de captivitate Babyloniae et de prioris templi excidio. Cui sententiae suffragatur 1.°, quod in hoc toto Cantico solum fit expressa mentio ejus peccati, quod commiserunt Judaei in cultu idolorum, in cujus peccati poenam (constat) delerí sunt a Babyloniis; nam tempore secundi templi, quod exciderunt Romani, Judaei non fuerunt idololatrae, sed excisi sunt propter mortem, quam Christo intulerunt. 2.° Probatur, quia in extremo hujus *Cantici* praedicitur futurum, ut Deus populum Israeliticum, in libertatem assertum, restituat in terram suam; quod plane videtur pertinere ad captivitatem babylonicam, a qua Judaei liberati sunt et in patriam restituti per Cyrum, ut dicitur I. *Esdrae*, 1.°; non, autem, possunt pertinere ad secundam captivitatem per Romanos factam, quae durat usque nunc et a qua nunquam videntur liberandi. At, vero, Glossa ordinaria videtur referre pleraque hujus *Cantici* ad tempora Romanorum et ad eversionem secundi templi: et certe, nullo modo videtur verosimile, quod Moyses, cum illi propositum (fuerit) vaticinari mala quae eventura erant Judaeis propter ipsorum peccata, dicere pretermisisset maximum et gravissimum malum, quod illis eventurum erat, quale fuit excidium, quod passi sunt a Romanis.

Quare existimo probabilius esse dicere, quod Moyses in hoc *Cantico* agit de utroque excidio et de utraque captivitate, non quidem separatim, ita ut una pars hujus vaticinii pertineat ad primam captivitatem et altera pars ad secundam; sed conjunctim agit et ratione quadam communi, quatenus ratio utriusque captivitatis quodammodo fuit similis: nam ab utrisque, scilicet, Babyloniis atque Romanis, victi et in captivitatem ducti sunt; et utroque tempore urbs Jerosolymorum capta fuit et eversa, et templum incensum; et prima captivitas fuit imago et figura secundae captivitatis; et quamvis posterior captivitas sit multo miserior et diuturnior quam prior, tamen sicut tunc restituti sunt in terram suam, liberati a Babylone urbe idolorum cultrice, sic nunc in fine saeculi, liberati ab impietate et infidelitate in qua versantur, restituentur ad Ecclesiam, et ad possessionem spiritualium bonorum, et ad regnum coeleste, per fidem Christi. Unde ad primum argumentum in oppositum, respondetur 1.°, quod, quamvis in hoc cantico solum fit expressa mentio peccati idololatriae, tamen tacite et occulte nonnullis in locis insinuatur illud peccatum quod Judaei in Christum commiserunt, sicut a nobis supra demonstratum est: et quemadmodum in prima captivitate, tanquam in imagine continetur secunda, sic in uno peccato, in peccato idololatriae, inest imago alterius peccati quod commissum est adversus Christum; nam si-

cut in idololatria negaverant Deum Judaei, sic in altero peccato abnegaverunt Christum, qui et ipse est Deus. Vel 2.°, respondetur, quod in peccato idololatriae, de quo fit mentio in isto *Cantico*, continetur tanquam in fonte atque causa peccatum negationis et occisionis Christi; nam propter peccatum idololatriae et propter suam ingratitudinem adversus Deum, Judaei meruerunt ut Messiam venientem non agnoscerent, et caligarent in media luce, sicut Esaias testatur et vaticinatus est, cap. VI: *Excaeca cor populi hujus, ut videntes non videant, et audientes non audiant*, etc. Ad secundum argumentum respondetur, quod quamvis haec posterior captivitas sit multo gravior et diuturnior quam prima, tamen, ut dictum est, populus judaicus est liberandus ab illa, quando in fine mundi plene fuerit conversus ad Christi fidem.

Igitur, inquit Moyses: IGNIS SUCCENSUS EST IN FURORE MEO. Familiare est in Scriptura nomen ignis transferre ad significandam gravissimam aliquam calamitatem, a Deo irato in homines immissam; vocatur, autem, ignis 1.°, propter efficacitatem, cui non potest obsisti; 2.°, propter celeritatem, nam quamvis Deus est cunctator in puniendo, tamen posteaquam semel decrevit punire, momento temporis cuncta evertit; 3.°, dicitur ignis, quia sicut ignis ea quae sunt materiae solidae purgat, sicut aurum, sic poenae illatae a Deo ad bonum valent iis qui illas patienter tolerant. ET ARDEBIT inquit USQUE AD INFERNI NOVISSIMA.—Perseverat in metaphora; nam ignis vehemens, incidens, v. g., in aliquam domum, illam consumit usque ad fundamenta infima. Quamquam potest videri hoc non esse dictum sine quadam hyperbole, sicuti et ea quae sequuntur, scilicet: DEVORABIT TERRAM CUM GERMINE SUO, ET MONTIUM FUNDAMENTA COMBURET; quibus omnibus significatur summum quoddam gentis Judaeorum excidium, neque solum gentis sed etiam ipsius terrae atque urbium eversio atque vastatio. Quod et factum est: nam non solum judaei per Chaldaeos atque Romanos deleti sunt, sed etiam ipsa terra prope redacta est ad solitudinem; sed pergit (ut) sequitur in textu:

23.—Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis.

Non enim, inquit, uno aut altero malo illos afficiam, sed in ipsos congeram mala omni genere. ET SAGITTAS MEAS COMPLEBO, id est, consummabo; nam est metaphora ducta a sagittatoribus iis, qui studio aliquod configendi omnia sua tela expromunt et emittunt; et tale est quod dicitur apud Job, XXX: *Pharetram suam aperuit, et afflixit me.* Caeterum, vocat SAGITTAS suas Moyses illas maledictiones quas comminatus est Deus in populum, et habentur *Deuteronomii* cap. XXVIII et *Levitici* cap. XXVI. Quod ipsum adhuc magis explicat, dicens:

24.—Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram atque serpentum.

Pro eo, quod nos legimus: DEVORABUNT EOS AVES MORSU AMARISSIMO, quidam ex hebraeo sic interpretantur: DEVORABUNTUR A PRUNIS ET AB EXCIDIO AMARISSIMO; nam verbum hebraicum in hoc loco utrumque significat, et avem et prunam. Ex quo transfertur ad significandam calidam aegritudinem, qualis est carbunculus aut pestis, quomodo sumitur id nomen Abacuc, cap. III. Unde, secundum hanc interpretationem, in istis verbis commemorantur tria mala gravissima, quae Deus immittere solet, cum Deus aliquam gentem vult delere, scilicet, famen et pestem et bellum: fames significatur, cum dicitur: CONSUMENTUR FAME, sive ut in hebraeo ad verbum est: EXURENTUR FAME, quo significatur gravissima fames; pestis, autem, commemo-

ratur, cum dicitur: DEVORABUNTUR PRUNIS ET EXCIDIO AMARISSIMO, id est, febribus ardentibus et pestilentibus; bellum, autem, significatur cum dicitur: DENTES BESTIARUM IMMITTAM IN EOS, CUM FURORE TRAHENTIUM, etc.; nam his nominibus metaphorice significantur hostes Romani atque Chaldaei armati, quos merito vocat Moyses bestias et serpentes venenatos, tunc propter saevitiam et nocendi vim, tunc etiam propterea quod illa imperia bestiis comparantur in S. Scriptura apud Danielem et Zachariam. Sed si legamus, ut certe legendum est: DEVORABUNT EOS AVES MORSU AMARISSIMO, etiam AVES pro hostibus accipiendae sunt Romanis, quos etiam ipse Moyses supra, cap. XXVIII, vocat aquilas dicens: *Adducet Dominus super te gentem de longinquo et de extremis terrae finibus, in similitudinem aquilae volantis;* et certe, quando Hierusalem obsessa fuit á Romanis, Judaei conficiebantur simul a fame, a peste et a bello, ut refert Josephus in libris *De bello judaico*. Sequitur:

25. —Foris vastabit eos gladius, et intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.

Nam caedebantur ab externo hoste Romano, et intra urbem vigebat seditio; itaque, non minus metuebant domesticos, quam hostes. Ex quo factum est ut fere omnes interirent, juvenes, virgines, pueri, senes; atque haec fuit poena qua Deus praedicit Judaeos esse puniendos, propter ipsorum scelera et ingratitudinem. In quo, primo notandum est, quam horrendum sit incidere in manus Dei et in iram divinam: nam Deus, quemadmodum est largus et liberalis in benefaciendo, et eos quibus misereatur afficit vario bonorum genere; sic in puniendo adeo est severus et acerbus, ut non sit contentus punire uno aliquo genere poenarum, sed alia aliis malis semper accumulat, quemadmodum in hoc loco fieri videmus. Nam 1.°, faciem

suam abscondit, id est, subtrahit tutelam suam; deinde, expoliat donis Spiritus S., et ea dona transfert ad alias gentes; 3.°, invidentia excruciat illorum animos; 4.°, immittit vastitatem terrae illorum, et urbibus eversionem, et quasi quodam incendio universa populatur (1) et absumit; 5.°, fame, peste, bello, ferarum morsibus, externo hoste, domestico dissidio nihil praetermittit ad omnem saevitiam. Nam hoc esse ingenium Dei et conditionem, scilicet, ut sit largus in benefaciendo et severus in puniendo, ipse Moyses supra, cap. XXVIII, testatur, agens de hac ipsa Judaeorum punitione, nam dicit: *Sicut ante laetatus est Dominus super vos, vobis benefaciens*, id est, sicut antea Dominus vobis benefecit variis modis (nam laetari in aliquo opere, proprietate hebraica significat id copiose atque prolixe facere; nam qui operantur aliquid cum voluptate et laetitia, libenter morantur atque detinentur in eo); igitur, *sicut laetatus est Dominus super vos, vobis benefaciens, vosque multiplicans; sic laetabitur, disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam*. Cujus etiam irae divinae imago exstat summo artificio descripta apud Job, cap. XIX; inquit: *Saltem nunc intelligite, quia Deus afflixerit me, et flagellis suis me circuierit. Ecce clamabo, vim patiens, et nemo audiet: vociferabor, et non est qui judicet. Semitam meam circumsepsit, et transire non possum, et in calle meo tenebras posuit. Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo. Destruxit me undique, et pereo, et quasi evulsae arbori, abstulit spem meam*, et caetera quae sequuntur usque ad finem capitis.

Secundo, ex hoc licet conjicere (2) atque perspicere omnia esse inimica et infesta iis qui recedunt a Deo, et ipsos manere expositos cujusvis injuriae, et facillime posse

(1) Ita etiam PP. Matrit. Codex, autem, scribit mendose: *copulatur*.

(2) In codice legi videtur: *confidere*, quod nullum habet sensum.

violari: nam, ut dicitur hic, aves eos dilacerant, et bestiae morsu conficiunt; denique, ab omni natura contra illos insurgit, et sicut membra, cum luxata sunt, id est, mota a suo loco, ad omnes offensiones sunt opportuna, sic qui ordinem justi deserunt peccatores ab omni, quamvis minima, re laeduntur atque offenduntur. Cujus rei significandae causa, Deus afflixit Ægyptios per Moysem rebus vilissimis et maxime natura infirmis, pulice, musca, cimice atque hujusmodi aliis, ad quod plane pertinet illud, quod dicitur *Sapientiae* v: *Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum*, et paulo infra: *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulgurum, et tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur... Et a petrosa iva plenae emittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus... venti...* Ex quo, etiam peccatores comparantur pulveri in S. Scriptura, ut patet in psalmo I: *Non sic impii, non sic; sed tanquam pulvis* etc., quia sicut pulvis, quamtumvis minimo, flatu tollitur atque dispergitur, sic peccatores quamvis minima re laeduntur.

Tertio et ultimo, considerandum est, quod ad eumdem modum atque exemplum, quo hic Judaei dicuntur puniendi, puniuntur a Deo reprobi peccatores, et in hac punitione Judaeorum continetur imago punitionis illorum. Nam, primo, abscondit ab aeterno suam faciem ab eis Deus, propter ipsorum pravisa peccata; id est, statuit illis ad ultimum non dare sua auxilia copiosa, quibus converterentur. Ex quo statim sequitur, ut consideret novissima eorum; id est, ut discernat tormenta, quemadmodum exponit Glossa interlinearis, quibus puniendi sunt in novissimo, id est, post istam vitam finitam. Tunc, etiam, PROVOCABIT EOS IN NON POPULO; id est, excruciabit dolore atque invidia, ex praespecta felicitate eorum, quos pro nihilo ducebant in hac vita, sicut dicitur *Sap.* v: *Dicentes intra se, et poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos ali-*

quando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Deinde, igni perpetuo addicti, TERRA EORUM CUM GERMINE SUO EXURETUR, id est, ut exponit Glossa interlinearis, corpus ipsorum quod, tanquam terra male culta, protulit tribulos et spinas igne cremabitur, ut dicitur *ad Hebraeos*, capite VI, sub eadem metaphora: *Terra, proferens spinas ac tribulos reproba est, et maledicto proxima; cujus consummatio in combustionem.* Dicitur, autem, ista terra igne devoranda cum germine suo, non solum quia germen ipsius, id est, opera carnis peribunt et evanescent, sed etiam quia ad cruciatum et ad poenam valebunt; itaque, non solum dicuntur exuri, quia erunt inutilia illa opera, sed quia afferent poenam atque cruciatum. Quod idem significatur in eo quod additur, scilicet: ET MONTIUM FUNDAMENTA COMBURET, nam in illa die judicii atque supplicii illa omnia corruent in quibus nitebatur spes superborum; et tunc ipsa res docebit, quam levia et infirma illa fuerunt, quoniam sic dicitur *Sapientiae* v: *Spes impii tanquam lanugo est, quae a vento tollitur: et tanquam spuma gracilis, quae a procella dispergitur: et tanquam fumus, qui a vento diffusus est.* Ex quo sequitur id quod additur, scilicet, ut, constituti in vita miserrima, fame contabescant, et avium atque bestiarum, id est, daemonforum a quibus torquebuntur, morsibus pateant, ut exponit Glossa interlinearis. Sed sequitur in textu:

26. — Et dixi: Ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam ipsorum. — 27. — Sed propter iram inimicorum distuli: ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent: Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit haec omnia.

ET DIXI, id est: et dixissem; nam quia Hebraei carent his modis, indicativa apud illos continent eorum vim. Ergo, inquit, cum eos affecero his malis, quos supra dixi, adhuc ulterius fuissem progressurus adversus illos, ut eos peni-

tus delerem et extinguerem, nisi me cohibuisset causa justa. ET DIXI: UBINAM SUNT? id est, non sint; pereant illi scelerati! nam est expressio et imitatio hominis irati et in ipso punitionis actu saevientis et excandescentis; sic, enim, cum ira fervent, solent dicere: ¿Ubinam sunt illi scelerati? ET DIXI: UBINAM SUNT? Id est, in iram effusus, et dum poenas infero, quadam cupiditate accensus majores poenas inferendi, parum aberit ut me geram adversus illos quomodo interdum se gerunt hi, qui flagellis caedunt servos suos; ut semel effusam iram continere non valentes, modum in caedendo non teneant, sed caedant usque ad necem. Sed, quamvis id exigeret et postularet et scelus Judaeorum et ira divina, scilicet, ut illos penitus deleret, tamen continuit se Deus propter justas causas, quas exponit statim, dicens: SED PROPTER IRAM INIMICORUM DISTULI: NE FORTE SUPERBIRENT HOSTES EORUM, ET DICERENT, etc. Deest in hoc loco conjunctio *et*; itaque, supplenda est isto modo: SED DISTULI, PROPTER IRAM INIMICORUM, *et* NE FORTE SUPERBIRENT HOSTES EORUM. Nam duas causas proponit, propter quas iram suam cohibiturus est: una, est ira inimicorum: altera, superbia eorumdem, ne, scilicet, suis viribus tribuerent quod Judaeos penitus extinxissent.

Et quantum attinet ad priorem causam, potest dubitari, quam iram intelligat: iram Dei erga inimicos Judaeorum, vel potius iram ipsorum inimicorum adversus Judaeos; id est, potest dubitari, utrum dicat se Judaeos non deleturum, propterea quod iratus sit ipsorum hostibus, et nolit eos afficere eo gaudio, quod percepturi erant de interitu Judaeorum, vel potius dicat, eo quod ipsi hostes Judaeorum plus justo irati essent adversus Judaeos, et odio atque ira praecipites ferrentur, ideirco noluisse ipsorum injusto odio atque indignationi servire. Euthymius amplectitur priorem sententiam, scilicet, quod Deus continuit suam indignationem, ne gratum faceret inimicis

Judaeorum, quibus ipse Deus erat iratus; nam sic scripsit Euthymius: «Delevissem eos, nisi me continuissem, ob meam iram erga impios eorum inimicos.» Neque ab ista sententia videtur abhorrere Glossa ordinaria; sed, nihilominus, melius intelligatur de ira inimicorum adversus Judaeos, ut sit sensus: quod Deus, ne videretur obsequi voluntati et cupiditati eorum, qui injusto odio persequebantur Judaeos, pepercit illis, nam in hebraeo ad verbum sic dicitur: NISI IRAM INIMICORUM TIMEREM. Valet, autem, haec ratio apud Deum plurimum, propter duas causas: primo, ne aliquomodo videatur favere aliorum injustae voluntati et cupiditati. Ex quo intelligitur, quanto odio prosequatur Deus inhumanitatem et immisericordiam, siquidem remittit poenas alioquin debitas, quando ministri, qui illas exequuntur, voluptatem ex eo capiunt et inducuntur ad exequendum odio et prava voluntate: nam, quemadmodum ipse Deus quodammodo coactus poenas infert, sic vult suos ministros similiter affectos esse; et quemadmodum ipse cum poena semper miscet misericordiam, sic vult ut ministri in exequendo non adhibeant odii acerbitatem, sed potius utantur commiseratione. Quod si contra faciunt, melius judicat Deus abstinere a puniendo, quam obsequi tan inhumanae cupiditati; ad quod pertinet illud quod dicitur *Proverbiis*, XXIV: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne laetetur cor tuum. Ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam.* Altera causa est, quia cum ministri divinae irae odio incitantur in eos, in quos animadvertunt, nesciunt servare modum in puniendo, sed progrediuntur ulterius quam justum et equum est, quae res efficit, ut Deus citius remittat iram suam; ad quod pertinet illud, quod dicit Dominus apud Zachariam, I: *Et ira magna ego irascor adversus gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi adjuverunt in magnum*, et statim subdit: *Propterea haec dicit Dominus: Revertar ad Jerusalem in misericordiam.* Quod, autem, se-

quitur: ET NE FORTE SUPERBIRENT HOSTES EORUM, ET DICERENT: MANUS NOSTRA EXCELSA, ET NON DOMINUS, FECIT HAEC OMNIA, id continet aliam causam, propter quam Deus solet se continere a puniendo, scilicet, cum ministri non arbitrantur se esse ministros, sed auctores praecipuos, idque tribuunt sibi et suis viribus; tunc, enim, Deus satius judicat esse peccatoribus poenam remittere, quam aiere aut tolerare ejusmodi superbam arrogantiam. Nam ista superba persuasio, primo, minuit gloriam Deo debitam, cujus gloriae ipse studiosissimus est; secundo, magna ex parte inutilem reddit ipsam divinam animadversionem. Nam quando Deus in aliquem animadvertit, duo intendit: 1.°, correctionem ejus, in quem animadvertit; 2.°, ut caeteri ex eo cautiores et meliores reddantur; qui secundus finis perit, quando homines judicant hujusmodi poenas non mitti a Deo, sed eas tribuunt suis viribus atque consiliis. Sequitur in textu:

28.—Gens absque consilio est, et sine prudentia.—29.—Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent.—30.—Quomodo persequebatur unus mille, et duo fugarent decem millia? Nonne ideo quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos?

GENS ABSQUE CONSILIO EST. Dubitari potest, de quo ista dicantur, utrum de gente Judaeorum, an potius de Judaeorum inimicis: nam ad utrosque ista verba possunt referri; et certe expositores, alii sequuntur alias sententias. Nam Glossa interlinearis, et Lyranus, et Euthymius id exponunt de Judaeis, quos dicunt carere consilio atque prudentia, quia cum experti essent et amorem et severitatem Dei erga se, tam male consuluerunt suis rebus; alii, vero, haec pertinere arbitrantur ad gentes Judaeorum inimicas. Quorum sententia verior videtur et magis superioribus consentanea: nam dixerat superius Deus, se continuisse a delendis

Judaeis, ne hostes ipsorum id sibi arrogarent, id est, quia praevidebat futurum, ut suis viribus tribuerent, quod hostes delevissent atque vicissent. Sed posset aliquis dicere: ¿quanam ratione fieri possit, ut quisquam adeo superbus possit esse et arrogans? cui quaestioni atque objectioni respondens, assignat causam hujus rei, dicens: GENS ABSQUE CONSILIO EST, ET SINE PRUDENTIA, nam superbia et arrogantia ex hoc fonte, scilicet, ex ignoratione sui semper nascitur. Unde Deus, quando nos revocare cupit a superbia ad humilitatem, objicit nosmetipsos nobis conspiciendos, ut in illo: *¿Quid superbis, terra et cinis?*

GENS ABSQUE CONSILIO EST. In hebraeo sic ad verbum habetur: GENS EST, QUAE PERDIDIT CONSILIUM, id est, inconsultissima, scilicet, quae non solum caret consilio, sed etiam, dum arbitratur se inire atque suscipere salutaria consilia, init consilia sibi perniciosissima; nam etiam latinorum usu perdita consilia poni solent pro pravis et perniciosis consiliis. Idque rectissime dicitur de hostibus Judaeorum, atque adeo de hostibus quorumcunque piorum hominum: impii, enim, ineunt consilia illos perdendi, idque sibi atque suis rebus utile futurum putant, ut nemo sit qui illorum sceleratam vitam, aut voce aut exemplo, condemnet; at, vero, hujusmodi consilia Deus convertit in perniciem ipsorummet, qui ea inierunt. Itaque, verissime de illis dicitur: GENS EST, QUAE PERDIDIT CONSILIUM, quandoquidem suis consiliis, non solum non assequuntur quod optant, sed etiam sibi conciliantur id quod maxime metuunt atque fugiunt. Quorum hominum imago, perfecte descripta, proponitur *Sapiae*, II, quo loco impii inducuntur sic loquentes: *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis et contrarius operibus nostris, et improperat nobis peccata legis*, et caetera quae sequuntur, et tandem concludit Sapiens: *Et nescierunt sacramenta Dei, nec mercedem speraverunt justitiae;* et *Job*, cap. V, de eodem ita dicitur: *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissi-*

pat; et in eamdem sententiam, quamvis alia orationis figura, dicitur *Proverb.* I: *Comedent igitur fructus viae suae, et suis consiliis saturabuntur*, id est, ex suis consiliis eos fructus percipient, qui illis moveant nauseam; et proprie de hostibus Judaeorum et de eorum consiliis atque conatibus, habentibus contrarium exitum ejus quod sibi proposuerunt efficere, dicitur Zachariae XII: *Et erit: In die illa ponam Jerusalem sicut lapidem oneris cunctis populis: omnes qui levabunt eum concisione lacerabuntur.*

GENS SINE CONSILIO EST, ET SINE PRUDENTIA. Vox hebraica in hoc loco significat eam partem prudentiae, quae consistit in excogitatione et collatione mediorum; itaque, dicit illos carere ista collatione et consideratione, nam si omnia recte perpendissent, et contulissent ultima cum primis, facile possent cognoscere errorem suum. Unde ad id magis explicandum, adjecit statim: UTINAM SAPERENT, ET INTELLIGERENT AC NOVISSIMA PROVIDERENT, id est, utinam viderent et considerarent quis exitus illos maneret, id quod facile potuissent conjectura colligere ex miseriis ipsorum Judaeorum; nam Deus qui tam severus esset in filios suos, ut potestatem faceret impiis hominibus in illorum vitam atque fortunas? Qui, sine dubio, aliquando tandem gravissime animadversurus erat in ipsosmet impios et verae religionis inimicos. Aut si ex hoc argumento minus possent intelligere summam potentiam et severitatem Dei, certe possent id intelligere ex eo, quod statim sequitur, scilicet: ¿QUOMODO PERSEQUEBATUR UNUS MILLE, ET DUO FUGARENT DECEM MILLIA? id est, ex nimio timore et consternatione animorum Judaeorum in certamine potuissent hostes ipsorum cognoscere, illis Deum esse adversum et inimicum, eamque rem geri, non viribus humanis, sed divina potentia; nam quomodo posset fieri, ut mille aut etiam decem mille viri armati non potuissent sustinere impetum duorum aut unius inimicorum suorum, nisi QUIA DEUS SUUS VENDIDIT ILLOS, ET DOMINUS CONCLUSIT ILLOS,

id est, nisi quia Deus ipse illorum vires atque animos debilitavit. Nisi QUIA DEUS SUUS, id est, Deus, cujus sub cura atque tutela erant constituti: VENDIDIT ILLOS, id est, penitus nudavit suo praesidio; est, enim, metaphora ducta ab iis, qui merces suas pretio vendunt, nam illi abdicant a se earum rerum, quas vendunt, omnem potestatem atque jus et plene tradunt in dominium alterius. Ex qua proprietate sermonis hebraici id verbum solet transferri ad significandum aliquem, ita constitutum in alterius potestate, ut penitus a Deo desertus videatur: sic divus Paulus *ad Rom.* VII, ex persona hominis constituti sub tyrannide peccati, inquit: *At ego carnalis sum, venundatus sub peccato*, id est, penitus addictus peccato, tamquam mancipium; et III libro *Regum*, XXI, dicitur de Achab: *Veruntamen non fuit similis Achab, qui venundatus est ut faceret malum in conspectu Domini;* et in eodem capite: *Et dixi: quod venundatus sis ut faceres malum.* Quamquam etiam haec metaphora potest videri ducta ab iis, qui pretio atque mercede amicos aut cives suos per fraudem hostibus produnt; ex quo, etiam in hispano sermone utimur verbo vendendi pro infide agere (1) atque decipere. Ergo, ut ostendat Moyses hostes Judaeorum facile potuisse cognoscere non suis viribus vicisse Judaeos, dixit quod Deus, non solum subtraxit favorem suum a Judaeis, sed etiam, tanquam qui mercem vendit, aut qui suos cives securos pretio hostibus tradit, sic ipse Deus adhibuit studium atque operam, ut Judaei venirent in potestatem inimicorum suorum. Ad quam rem magis explicandam, adjecit: ET DOMINUS CONCLUSIT ILLOS. Id est, ne aliquis ipsorum posset effugere dominatum inimicorum suorum, quibus venditi erant, adeo obstruxit illis omnem additum, et quemadmodum pastores solent facere, quando oves quas vendiderunt ei cui vendiderunt numerare volunt, ut eas intra ovile aut

(1) Ad margin.: «decimos acá: que me ha vendido el traydor.»

alio hujusmodi loco concludat; sic Deus, non solum a se repulit Judaeos et hostibus tradidit, sed etiam eripuit illis omnem fugam.

Septuaginta hunc locum aliter vertunt; atque etiam chaldaica Paraphrasis diversa est et a Septuaginta et a latino interprete, quamvis omnes fere in eamdem sententiam concurrant. Septuaginta sic vertunt: ET DOMINUS TRADIDIT EOS; Paraphrasis chaldaica sic: ET DOMINUS RETRIBUIT EIS. Orta est, autem, haec diversitas ex varia significatione verbi hebraici, quod hoc loco ponitur; nam id verbum interdum significat *claudere*, interdum autem *dare* aut *tradere*; ex quo chaldaicus intellexit positum esse pro *dare mercedem*, id est, retribuere. Omnia, autem, eo tendunt, ut intelligatur Judaeos superatos fuisse, non quidem virtute hostium suorum, sed quia Deus illos vel conclusit, vel tradidit hostibus, vel, certo, quia peccatis ipsorum dignam poenam retulerit. Et quoniam posset aliquis dicere, id non factum fuisse Dei voluntate atque opera, sed potius impotentia et imbecillitate, eo quod non potuisset servare eum populum, superatus a numine deorum quos colebant hostes Judaeorum; idcirco, addidit Moyses id, quod statim sequitur:

31.—Non enim est Deus noster, ut Dii eorum: et inimici nostri sunt judices.

Id est, neque vero aliquis illud dicat aut existimet, Deum nostrum superatum fuisse a diis inimicorum nostrorum, et ob eam causam, Deo nostro invito et repugnante, nos venisse in potestatem inimicorum nostrorum, nam supra quam dici potest Deus noster potentia superat ipsorum deos; non, enim, est Deus noster sicut dii ipsorum, cujus rei atque veritatis vel ipsi inimici nostri testes esse possunt. Quod idcirco dicit Moyses, quia saepe ante id tempus hostes Judaeorum experti contra se potentiam

Dei, ejus magnitudinem agnoverunt et professi sunt, ut patet ex illo *Exodi*, XIV, quando in transitu maris Rubri Ægyptii dixerunt: *Fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eo contra nos.* Nam hoc potuisse objici Deo, et illo tempore non defuisse, qui tale aliquid existimarent et qui calamitates Judaeorum assignarent imbecillitati et impotentiae Dei ipsorum, id, inquam, facile potest intelligi: primo, ex statu religionis saeculi illius, nam cunctis gentibus suos et proprios deos colentibus, consentaneum rationi erat, ut unaquaeque gens suos deos potiores et potentiores esse arbitrarentur; et 2.°, id aperte colligitur ex illo quod Moyses memoratur dixisse, cum Deo loquens, *Numerorum* XIV: *Quod si occideris tantam multitudinem, quasi unum hominem, dicent gentes: Non poterat introducere populum in terram pro qua juraverat; et idcirco, occidit eos in solitudine.* Igitur, huic tacitae objectioni respondit, cum dicit: NON ENIM EST DEUS NOSTER SICUT DII EORUM. Quae etiam res, praeter alias, fuit causa Deo, ne funditus deleret Judaeos, ne, scilicet, crederetur imbecillus atque impotens a gentibus; nam certe, sine dubio, qui hunc populum, in tanta calamitate constitutum et tam odiosum cunctis nationibus, conservat per tot annorum millia, multo facilius satis demonstrat se potuisse illum conservare, quando pollebat viribus atque potentia, nam majus est abjectum et inopem et captivum ab injuria defendere quam florentem et regnantem tueri. Quamquam hic quod dicit: ET INIMICI NOSTRI SUNT JUDICES, non solum videri potest dictum propter illa, in quibus Judaeorum hostes ante illud tempus experti sunt divinam potentiam, sed multo magis propter illa, quae postremis temporibus experturi erant adversum se, documenta divinae potentiae atque magnitudinis, ita ut quod dicitur: ET INIMICI NOSTRI SUNT JUDICES sit positum pro: ET INIMICI NOSTRI ERUNT JUDICES, juxta morem prophetarum, ut paulo post magis declarabimus. Nam sequitur in textu:

32.—De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhae: uva eorum, uva fellis et botri amarissimi.—33.—Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.—34.—Nonne haec condita sunt apud me, et signata in thesauris meis, etc.

In quibus versibus dubitari potest, quid significetur illis translationibus verborum; et deinde, ad quos proprie ista pertineant, utrum ad Judaeos, vel potius ad Judaeorum inimicos. Nam utraque Glossa, et Lyranus, et Euthymius, et nonnulli alii haec dici arbitrantur de Judaeis, quos dicunt appellari DE VINEA SODOMORUM ET DE SUBURBANIS GOMORRHAE, ad significandum illos genus ducere a Sodomitis et ipsorum filios esse: non, quidem, quod ab illis oriundi, sed quia imitarentur eorum studia atque mores. Nam in S. Scriptura quorum quis mores imitatur, eorum filius esse dicitur, ut apparet in illo: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere; et desideria*, inquit, id est, quia desideria patris vestri vultis perficere; et certe, propter istam causam sic saepe nominata est Judaeorum gens, ut constat ex illo Esaiae, 1: *Audite, principes Sodomorum et populus Gomorrhae.* Igitur, quod dicit: DE VINEA SODOMORUM VINEA EORUM, Euthymius sic explanat: DE VINEA, id est, de stirpe et genere Sodomorum; VINEA EORUM, id est, genus Judaeorum ducitur: UVA EORUM UVA FELLIS, id est, opera illorum consentanea sunt stirpi, unde genus ducunt, hoc est, prava sunt et scelerata; FEL DRACONUM VINUM EORUM, VENENUM ASPIDUM INSANABILE, id est, verba et sermones eorum noxii sunt et venenati.

Caeterum, quamvis ista sint vera ipsa per se, nec aliena a consuetudine sermonis Sanctarum Litterarum; tamen, ut mihi videtur, non satis convenlunt huic loco; nam continent sententiam parum, aut, certe, nullo modo cum superioribus congruentem. Quocirca, chaldaicus Paraphrastes et nonnulli alii haec omnia referunt ad gentes Judaeorum inimicas, et arbitrantur his verbis significari atque praedici earum gentium calamitates et interitum; sic, enim, chaldaica Paraphrasis hos versus interpretatur: *Quoniam* SICUT VINDICTA POPULI SODOMORUM ERIT VINDICTA IPSORUM, ET PERCUSSIO EORUM SICUT POPULI GOMORRHAE. Quam ego sententiam veriorem et aptiorem arbitror esse; quod liquebit ex ipsa serie atque ordine rerum, supra memoratarum: nam Moyses, supra agens de Judaeorum gente, exposuit 1.°, beneficia quae Deus in illam contulit; 2.°, peccata ipsorum erga Deum; postremo, severitatem Dei adversus illos. De qua severitate atque ira cum multa dixisset, tandem affirmavit futurum fuisse, ut Deus penitus deleret Judaeos, nisi continuisset iram suam; continuisse, autem, propter tres causas: 1.ª, ne gratum faceret Judaeorum inimicis et eorum injusto odio obsequi videretur; 2.ª, ne ex eo, superbia elati, Judaeorum hostes suae virtuti tribuerent quod Judaeos delevissent; 3.ª et ultima, ne saltem suos deos arbitrarentur esse potentiores, et se esse infirmum et imbecillum, quod suos cultores non possit tueri. Nunc, autem, quia ista persuasio perniciosissima erat et multum derogabat divino honori, ut illam magis eximeret ex hominum mentibus, Moyses non contentus verbo solum affirmasse divinam potentiam supra caeteros deos, dicens: NON ENIM EST DEUS NOSTER SICUT DII EORUM, eamdem confirmat firmissimo argumento, nimirum, testimonio atque judicio ipsorummet qui illos colebant deos, quod testimonium ipsi, poenis edocti atque ipsa experientia, daturi erant futuris temporibus. Unde dicit: ET INIMICI NOSTRI SUNT JUDICES. DE VINEA SODOMORUM VINEA EORUM, quasi dicat: et quod Deus noster non sit imbecillis, aut quod sunt ipsorum dii, qui nec suos servare possunt nec animadvertere in hostes, ipsi inimici nostri testes atque judices erunt; id est, ipsi aliquando fatebuntur, quando scilicet nihil adjuti a suis diis, et ipsi et ip-

sorum dii poenas sustinebunt, quales Sodomitae atque Gomorrhei sustinuerunt, id est, acerbissimas et nullo tempore finiendas. In quo Moyses, et idolorum casum et infidelitatis extinctionem et denique inimicorum populi Dei interitum, nunquam postea finiendum, vaticinatus est; et ex eo tacite ducit argumentum ad confirmandam Dei potentiam supra caeteros deos, idque dupliciter: 1.°, sic: inimici populi Dei poenas dabunt in futuro tempore graves et acerbas, nec quominus dent, illorum dii poterunt prohibere; igitur, quod isto tempore superaverint populum Dei, id non factum est Dei imbecillitate, sed potius voluntate atque permissu. 2.°, sic argumentatur: inimici nostri in mala incident, non qualia passurus est populus Dei, quae, scilicet, felici exitu terminanda sunt, sed qualia fuerunt Sodomorum et Gomorrhaeorum, a quibus nunquam liberari poterunt; igitur, aperte ex eo colligitur, et deos illorum esse infirmos, et Deum nostrum inter omnes esse potentissimum.

De vinea inquit, Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhae. *Vinea* pro vino quod ex ea legitur. Vinum, autem, in S. Scriptura cum translate ponitur, variae significationis est; sed inter alia, saepe significat ultionem Dei et poenam gravem atque acerbam, ut apparet in illo psalmi LXXIV: *Quia calix in manu Domini, vini meri plenus misto*, et psalmi LIX: *Potasti nos vino compunctionis*, et *Jeremiae*, cap. XXV: *Sume calicem vini furoris;* nam quemadmodum vinum, cum largiter sumitur, reddit ebrium, sic dolor qui percipitur ex acerbitate poenarum adigit homines ad dementiam. Igitur, inquit Moyses: De vinea Sodomorum, id est, de supplicio Sodomorum, vinea eorum, id est, supplicium eorum, hoc est, hoc supplicium natum et propagatum est ex illo supplicio, ut ex eo constet simile futurum, nec nunquam finiendum esse, sicut et illud caret termino atque fine. Et, rursus, idem alia ratione repetens, inquit: Et de suburbanis Gomorrhae, id est, vinea aut

vinum eorum legitur ex suburbanis Gomorrhae, id est, ex vinetis Gomorrhae, nam vineta seri solent in primis locis civitatis; quod, etiam, magis explicans, dicit: Uva eorum uva fellis et botri amarissimi. Nam vinea, uva et botrus in hoc loco idem significant, scilicet, poenam atque supplicium; quae, cum dicuntur esse amarissima et felle imbuta, declaratur eorum suppliciorum gravitas et acerbitas. Sed, tamen, quamvis supplicia atque mala acerba sint, tamen esse possunt sanabilia; imo, inquit Moyses, insanabile erit istorum supplicium et cui non possit adhiberi medicina, sicut venenum insanabile est; unde addit: Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. Et ut magis confirmet hanc suam praedictionem, addidit ex persona Dei: ¿Nonne haec condita sunt apud me et signata in thesauris meis? Nam persistit in incepta vini metaphora: nam quemadmodum vina condi solent et diligentius asservari addito signo aut sigillo, sic, inquit, haec omnia, id est, ista supplicia condita sunt apud me, Et signata in thesauris meis; signata, id est, sigillo obserata, id est, diligentissime observata apud me et firmo atque immutabili decreto definita. Nam ista similitudine thesauri reconditi significatur divini decreti certitudo; nam sicut ea, quae in thesauro recondita sunt, latent quidem, sed diligentissime asservantur, suo tempore expromenda; sic, quod Deus apud se certo statuit atque decrevit aliquando facere, id dicitur habere recondito in thesauro, quoniam neque excident neque quisquam eripiet illi illam mentem atque sententiam. Sed sequitur in textu

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

35.—Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum: juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora.

Ultio in hoc loco ponitur pro jurisdictione et poenarum atque praemiorum distributione; igitur, haec tanquam conclusio sequitur et colligitur ex superiori confirmatione et argumentatione. MEA EST ULTIO: nam si aliorum deorum munus id esset, certe non afficerent cultores suos poena insanabili et perpetua; unde, si idolorum cultores poenas subituri sunt sempiternas, ut dictum est, certe planum est, quod non eas expectunt ab ipsis sua idola. Igitur: MEA EST ULTIO, id est, ad me solum pertinet jus dicere et poenas de peccatoribus sumere. Ex quo, concluso atque constituto, colligitur rursus, quod ipse est verus Deus; et ita etiam his verbis confirmat auctoritatem suam supra caeteros deos; id quod propositum erat Moysi facere. Nam qui judicat omnes, et qui distribuit praemia atque poenas, is sine dubio superat cunctos; nam id est proprium principis atque summi rectoris. MEA, inquit, EST ULTIO, ET EGO RETRIBUAM, id est, non aliorum deorum, sed meum est animadvertere in peccatores; ex quo intelligetis, nec vestros deos mecum conferendos esse, neque vestris aut ipsorum viribus, sed mea voluntate atque sententia, Judaeos vobis traditos in servitutem.

MEA EST ULTIO. Est hoc proprium Dei; unde qui illud sibi arrogant, Dei officium usurpant, unde Paulus dicebat *ad Romanos*, XII: *Non vos defendentes, charissimi, sed date locum irae, sicut scriptum est: Mihi vindictam, et ego retribuam.* Sed videamus quod sequitur: EGO RETRIBUAM EIS IN TEMPORE, UT LABATUR PES EORUM. Id est, quia MEA EST ULTIO, hoc est, quia pertinet ad munus meum punire peccatores, EGO RETRIBUAM ILLIS IN TEMPORE. Sed potest dubitari, ad quosnam ista pertineant, et quibus dicat se retributurum et relaturum dignam vicem et poenam pro suis factis: utrum Judaeis, an Judaeorum inimicis, de quibus statim superius dicebat: DE VINEA SODOMORUM, VINEA EORUM. Ad quod respondetur, hunc versum ad utrosque posse referri: ad hostes Judaeorum, quia de illorum supplicio proxime superius agebat; ad Judaeos, vero, potest etiam referri isto modo, quasi dicat: quia igitur MEA EST ULTIO, id quod ex tota superiori oratione collegi et probavi, ex hoc vos intelligetis non vestris viribus delendos esse Judaeos, sed me solum futurum qui eis retribuam in tempore, scilicet, cum advenerit tempus illorum puniendorum. Sed quid est, quod additur: UT LABATUR PES EORUM? Nam, quemadmodum verba prae se ferunt, significare videtur Moyses in eum finem puniendos esse, ut poena sit illis pro offendiculo et ea efficiantur deteriores, nam lapsus pedis in S. Scriptura saepe ponitur pro peccato; at, vero, Deus numquam aliquid facit eo animo, eo fine, ut nos inducat ad peccandum. Haec res dubitatione caret, si sic versus legatur quomodo Septuaginta et chaldaicus Paraphrastes transtulerunt; sic, enim, dicunt: EGO RETRIBUAM EIS IN TEMPORE, QUANDO NUTABIT PES EORUM, id est, retribuam, quando advenerit tempus opportunum eorum interitus atque extinctionis. In hebraeo neutra particula est, nec *ut* neque *quando*, sed ad verbum sic legitur: RETRIBUAM, IN TEMPORE NUTABIT PES EORUM, ut sit repetitio ejusdem sententiae, hoc modo: RETRIBUAM, id est, IN TEMPORE NUTABIT PES EORUM, quasi dicat: haec erit retributio, quod, tempore opportuno adventante, nutabit pes eorum, id est, corruent in interitum. Sed et particula *ut* potest retineri duplici ratione: 1.°, si non denotet causam, sed tantum rerum consequentiam hoc modo: RETRIBUAM, UT LABATUR PES EORUM, id est, ex quo fiet ut eorum pes labatur. Nam mali atque peccatores poenas, quibus corrigendi erant, eas convertunt in suam perniciem propter impatientiam et obstinationem animi; ex quo dicitur in *Proverbiis:*

Impii in malum corruent, id est, corruent, non ut eo fiant meliores, sed ut illis male sit. Vel, 2.°, possumus dicere, quod lapsus ille pedis hoc loco significat, non quidem lapsum culpae, sed potius poenam gravissimam atque postremum interitum; eritque sensus: EGO RETRIBUAM IN TEMPORE, id est, ita severe puniam illos, UT EORUM PES LABATUR, id est, ut illos evertam et praecipites dem in interitum sempiternum.

Sed quod dicit: IN TEMPORE, quaeret aliquis, utrum eo significetur unum aliquod tempus certum et definitum, vel potius in universum significet quemcumque diem definitum peccatoribus puniendis. Qui hunc versum referunt ad Judaeos, dicunt significari illud tempus, quando Judaea eversa est armis Romanorum; ita interpretatur Euthymius dicens: RETRIBUAM, QUANDO LAPSUS FUERIT PES EORUM; id est, quando lapsi fuerint in gravissima peccata, scilicet, in necem Domini, tunc immitti coeperunt supplicia adversus illos. Quod etiam tempus apellatur dies ultionis a Moyse *Exodi* XXXII, ubi dicit ex persona Dei: *In die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum;* et certe, sive hic loquatur Moyses de poena Judaeorum, sive de supplicio inimicorum ipsorum, tempus ejus supplicii inferendi fuit sine dubio illud quod Euthymius dicit; nam ab eo tempore ex quo primum coeptum est praedicari Evangelium, et Judaei sunt exclusi a regno et hostes Judaeorum, scilicet, cultores idolorum, extingui coeperunt. Unde addit Moyses: JUXTA EST DIES PERDITIONIS, eorum, scilicet, inimicorum populi Dei, qui omnino perdendi sunt. Quorum perditionis dies dicitur esse in proximo: 1.°, quia prophetis omnia videntur proxima, quia illa vident tanquam praesentia; 2.°, quia quidquid continetur in sua causa, jam determinata ad id efficiendum, propter eventus certitudinem, jam quodammodo dicitur esse in rerum natura. Peccata, autem, sunt causa certissima excidii atque interitus futuri; et, certe, ex eo die quo quis peccat, ex eodem incipit luere poenas,

quoniam poena est comes individuus culpae, juxta illud quod dicitur *Genesis* IV: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* 3.°, dicitur id ad significandam temporis velocitatem, volat enim dies; et ita adjecit: ET ADESSE FESTINANT TEMPORA. Sequitur in textu:

36.—Judicabit Dominus populum suum et in servis suis miserebitur...

Id est, hostes populi sui, idolorum cultores, afficientur plaga insanabili, et perdet illos Deus quemadmodum Sodomitas perdidit, nunquam postea restituendos; at vero populum suum ita judicabit, ut illius tandem aliquando misereatur. Nam dicuntur haec per contentionem ad superiora: VINEA enim populi Dei inimicorum DE VINEA SODOMORUM, id est, plaga eorum plaga insanabilis; at, vero, judicium et animadversio in populum Dei tandem concludetur exitu pleno misericordiae. Nam Moyses, sicut et caeteri vates faciunt, post comminationes et post denuntiationem rerum tristium et adversarum, convertit orationem suam ad praedictionem rerum laetarum atque felicium; et ita, dicit futurum, ut tandem Deus misereatur populi Judaeorum, quod fiet ultimo mundi tempore, quando is populus convertetur ad fidem Jesu-Christi et recipietur in Ecclesiam. Vocat, autem, Moyses eum populum populum Dei, quamvis nunc sit infidelis, 1.° quia quando ista dicebat Moyses, vere erat populus Dei populus fidelis; 2.°, appellatur sic, propter patres a quibus ducebat originem, sicut et Paulus docet *ad Rom.* XI, dicens: *Inimici quidem propter Evangelium: secundum electionem autem charissimi propter patres.*

JUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM. Hujus verbi judicandi varius usus est in S. Scriptura: nam, primo, significat jus dicere et regere atque gubernare, quae est propria illius

significatio, ut apparet in illo *Exodi*, XVIII: *Praefice illis principes, qui judicabunt populum omni tempore*, id est, qui jus dicent populo et lites eorum terminabunt. 2.°, significat disceptare atque in judicio alterius partis causam agere atque defendere, quomodo patroni et causidici pro suis clientibus altercantur apud judices, ut patet in illo psalmi XLII: *Judica me, Deus, et discerne causam meam*, nam hoc posterius exponit quid intelligat per *judicare*, id est, discernere, hoc est, agere atque suscipere causam meam, et eam disceptando tueri apud judices contra accusatores, et similiter *Threnorum* III: *Judicasti, Domine, causam animae meae, redemisti vitam meam*, id est, egisti sicut patronus apud judicem causam meam, et causam in qua agebatur de vita mea, et similiter *Esaiae* XLIII: *Judicemur simul: narra tu ut justificeris*, id est, disceptemus inter nos tanquam in judicio uter nostrum, quis nostrum verum dicat. 3.°, significat punire atque animadvertere in aliquem, ut in illo *Genesis*, XV: *Gentem, cui servient, judicabo ego: et postea egredientur cum substantia*, id est puniturus sum Ægyptios, et I *Regum*, III: *Judicabo ego domum istam usque in saeculum*, id est, poenas repeturus sum de illa familia in perpetuum. 4.°, id verbum significat ulcisci alterius injurias de altero, ut apparet in illo (I *Regum*, 25): *Benedictus Deus, qui judicavit causam opprobrii mei de Nabal*, id est, qui ultus (est) injuriam, qua me Nabal affecit; et *Jeremiae* LI apertissime: *Ecce ego judico causam tuam, et ulciscor ultionem tuam*, nam posterior pars hujus versus priorem interpretatur. Caeterum, in hoc loco hoc verbum positum est ita, ut possit accipi omnibus his modis: JUDICABIT, inquit, DOMINUS POPULUM SUUM, id est, tandem Deus suum populum, revocatum ab infidelitate, reget atque tuetur; item, JUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM, id est, tandem conversus Dominus ad illius defensionem, causam ejus suscipiet et pro illo disceptabit; item, JUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM, id est, puniet populum suum pro ratione

peccatorum ipsorum, sed non extinguet, nam miserebitur servorum suorum, item, ultimo: JUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM, id est, delebit idolorum cultores, qui ipsi populo semper fuerunt inimici infesti et acerbi, et, illis extinctis, injurias sui populi ulciscetur, et cum plene ultus fuerit, ipsum ista ratione tandem ad se misericorditer revocabit.

Quare adjecit: ET IN SERVIS SUIS MISEREBITUR. Et statim subjungit id, ex quo Deus inducetur ad misericordiam erga suum populum, dicens: VIDERIT QUOD INFIRMATA SIT MANUS, ET CLAUSI QUOQUE DEFECERUNT, RESIDUIQUE CONSUMPTI SUNT. Id est, videbit miseram statum ad quem redactus est populus suus, adeo ut pene sit exstinctus atque deletus. Quae res illum tandem flectet ad misericordiam; nam qui omnes cupit felices esse, consentaneum est ut doleat, cum videt afflictos atque miseros. Ex quo mirum est, quam facile ignoscat Deus miseris et afflictis; de quo David dicebat in psalmo L: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies*, et *Esaiae* LXVI ex persona Domini: *¿Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum, et trementem sermones meos?* cujus rei illud est illustre exemplum, quod scribitur lib. III *Regum*, 21, de Achab, rege sceleratissimo; nam cum ille, eo quod audivisset ab Elia futurum, ut Deus deleret ipsius familiam propter ipsius peccata, cum inquam id audisset, et scidisset vestimenta sua, et cilicium induisset, et ambulasset tristis et demisso capite, statim Deus quasi mutata sententia dixit ad Eliam de illo. *¿Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.*

VIDERIT QUOD INFIRMATA SIT MANUS.—*Manus* pro fortitudine saepe ponitur in S. Scriptura, ut in illo Esaiae, XIII: *Omnis manus dissolvetur et cor contabescet.* CLAUSI QUOQUE DEFECERUNT.—CLAUSI, id est, captivi et in custodia conclusi; sic exponit Glossa interlinearis, et erit sensus: Mise-

rebitur Deus populi sui, eo quod videbit illo rum robur usque adeo debilitatum, ut nemo illorum fere supersit etiam ex iis, qui captivi adducti sunt; vel aliter: CLAUSI QUOQUE DEFECERUNT, id est, clausi in arcibus (sic exponit Lyranus et nonnulli alii), quasi dicat: Miserebitur populi sui eo quod videbit, usque eo illorum vires esse debilitatas, ut nullas habeat arces, nullos in arcibus propugnatores, eo quod omnes arces sint expugnatae et eversae; vel potest etiam sic exponi: CLAUSI QUOQUE DEFECERUNT, clausi, id est, nobiles principes, sic enim principes viri ab Hobraeis appellantur, eo quod non facile ad eos aditus patcat, sed per janitores et interpretes, et est sensus: Vidit Dominus eorum robur dissolutum, et perisse clausos illorum. ET RESIDUOS CONSUMPTOS ESSE.—Id est, nobiles et optimates eorum perisse, extinctos esse, et similiter et promiscuum vulgus fere extinctum esse; nam vocat homines de plebe residuos aut derelictos, id est, spretos et nullius pretii homines. Sequitur in textu:

37.—Et dicet: Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?—38.—De quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum: surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant.

Prius dicemus nonnulla de verbis, et posterius explanabimus sententiam. ET DICET.—Plura exemplaria latina habent multitudinis numero: ET DICENT; caeterum, emendatiora exemplaria habent: ET DICET, cui lectioni suffragantur hebraea et chaldaica et graeca omnia. DE QUORUM VICTIMIS COMEDEBANT ADIPES.—Adeps victimae non comedebatur, sed immolabatur, atque adeo esus adipis omnino erat interdictus Judaeis, ut constat *Leritici* III, ubi dicitur: *Omnis adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus et cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem nec adipem omnino comedetis;* ex quo manifestum est, ista dici, non secundum ritum sacrificandi Deo, sed juxta morem sacrificiorum, quae fiebant idolis. ET BIBEBANT VINUM LIBAMINUM.—Libare idem est quod degustare aut decerpere, ex quo in sacrificiis, cum aliquid vini effundebatur aut super hostiam aut super altare, libari dicebatur; propterea quod illud quasi decerperetur a reliquo vino, et daretur degustandum Deo, cui sacrificabatur. Libabatur autem vinum et Deo et idolis: de primo liquet *Exodi* cap. XXIX, et *Numerorum* XV, quo in loco dicitur: *Et vinum ad liba facienda ejusdem mensurae dabitur in holocaustum sive in victimam. Per agnos singulos...*; idolis etiam libabatur vinum, et ratio libandi varia erat, sed illa erat frequentior, quando post convivium super mensam aliquid vini effundebatur in honorem alicujus dei. De qua ratione Virgilius in I dixit: *Et in mensa laticum libarit honorem;* tunc, enim, pars quaedam vini in mensa effundebatur, et ea pars dicebatur libari Deo; reliquam vero partem bibebant et hauriebant ii, qui libabant. Quam nunc partem vocat hic Moyses VINUM LIBAMINUM, id est, vinum, ex quo jam aliquid erat effusum atque libatum Deo. Caeterum, comedere adipem sacrificiorum et bibere vinum libaminum, idem significat quod colere et venerari deos, et profiteri se esse eorum cultores et amicos religiosos; nam, quemadmodum docet D. Paulus in I *ad Corinthios*, X: *Qui edunt hostias, participes sunt altaris,* ex quo concludit D. Paulus abstinendum esse ab iis, quae idolis immolantur, dicens: *Quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum.* Atque haec de verbis.

ET DICET: UBI SUNT DII EORUM, IN QUIBUS, ETC. Septuaginta sic vertunt: ET DIXIT DOMINUS: UBI SUNT DII EORUM? ex quo Euthymius et caeteri graeci expositores haec verba accipiunt quasi dicta ex persona Dei, et exponunt sic: Et tunc, cum Deus viderit Judaeos redactos ad summam miseriam, quasi exprobrans illis suam caecitatem et studens illos revocare ad meliorem mentem, dicet illis: Ergo ubi

nunc sunt illi vestri dii, quibus cultum exhibebatis, me spreto atque derelicto? num potuerunt vos vel defendere vel liberare a malis et calamitatibus? videte, ergo, et aliquando tandem cognoscite, quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me. Quam etiam expositionem quamvis a quibusdam latinis expositoribus sequatur, haec verba possunt accipi dicta quidem a Deo, sed non ad Judaeos, sed potius ad Judaeorum hostes, hoc scilicet modo: dixerat superius Moyses, agens de hostibus Judaeorum, et de illorum supplicio non finiendo: DE VINEA SODOMORUM VINEA EORUM et caetera quae sequuntur, et addiderat: MEA EST ULTIO, EGO RETRIBUAM EIS (IN) TEMPORE, ET JUXTA EST DIES PERDITIONIS: quibus dictis, per parenthesim interseruit illa: JUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM, ET IN SERVIS SUIS MISEREBITUR, quibus declaravit sui populi poenas atque supplicia fore dissimilia, id est, non perpetua, sicuti illorum, sed misericorditer finienda; et statim, rediens ad interruptum sermonem, subjungit: ET DICET: UBI SUNT DII EORUM? Quasi sic Moyses loquatur: et cum tempus perdendi advenerit; quod quidem tempus propediem futurum est, nam JUXTA EST DIES PERDITIONIS; tunc inquam Deus, quando illas dabit in interitum gentes, dicet ipsis: UBI SUNT DII EORUM, IN QUIBUS HABEBANT FIDUCIAM? Nam Moysi propositum erat hoc ipsum docere, scilicet, deos illorum imbecillos esse et nulla ratione comparandos cum vero Deo, ne arbitrarentur illorum potentia factum esse, ut Judaei superarentur; nam sic proposuit in principio, quando in hunc sermonem ingressus fuit: NON ENIM EST DEUS NOSTER, SICUT DII EORUM: ET INIMICI NOSTRI ERUNT JUDICES, id quod confirmavit statim ex dissimilitudine supplicii, quo gentiles et quo Judaei afficiendi erant. Unde postquam id satis confirmavit, confirmationem concludens, iterum repetit quod ab initio proposuerat, dicens: UBI SUNT DII EORUM? et: VIDETE, QUOD EGO SIM SOLUS ET NON SIT ALIUS DEUS PRAETER ME.

Caeterum, Vulgata editio, cui suffragantur hebraea et chaldaica exemplaria, non habet: ET DICET DOMINUS, sed absolute: ET DICET. Ex quo utraque Glossa et Lyra et fere omnes expositores existimant hic loqui, non Deum, sed Judaeorum hostes, et Moysem his verbis imitatum fuisse sermonem inimicorum populi Dei, sermonem, inquam, quo exprobrabant Judaeis Dei ipsorum imbecillitatem, quod ipsos passus esset ita opprimi; unde exponunt: ET DICET (scilicet, Judaeorum hostis, exprobrans Judaeis Dei ipsorum imbecillitatem): UBI SUNT DII EORUM, IN QUIBUS HABEBANT FIDUCIAM? Et sic repetendum est a communi illud verbum superius, scilicet, VIDEBIT, isto modo atque sensu: VIDEBIT quod infirmati sunt et pene ad nihilum redacti, et videbit etiam quod eorum hostis, contemnens illorum religionem, dicet illis: UBI SUNT DII EORUM? nam isto modo loquebatur contra Judaeos, et illos irridebat dux exercitus Sennacherib regis Assyriorum, ut commemoratur lib. IV. *Regum*, XVIII. Quod, autem, dicunt inimici Judaeorum: UBI SUNT DII EORUM? cum tamen Judaei non colerent nisi unum Deum, id factum est a Moyse ex recta imitatione sermonis ipsorum; nam loquuntur tanquam ignari religionis Judaeorum et ex sua religione et modo colendi plures deos, aliorum religiones similiter nescientes et judicantes ita, quia ipsi plures deos colebant, et convertebant in usum suum adipes sacrificiorum et vina libaminum, sic arbitrabantur Judaeos facere, et ideo dicebant: UBI SUNT DII EORUM? etc. Nam et Philistaei, ut dicitur, I *Regum*, IV, quando intellexerunt arcam Dei venisse auxilio illis in castra populi Israelitici, sic dicuntur locuti: *Vae nobis. Quis salvabit nos de manu Deorum sublimium ipsorum? Ili sunt Dii, qui percusserunt Ægyptum*, etc. Igitur, quia dicebat Moyses superius futurum, ut Deus misereretur populi sui, et quia exponebat causas, quibus inducendus erat ad misericordiam, quarum causarum una fuit, quod videret illos pene consumptos et ad summam miseriam redactos; nunc exponit

aliam causam, scilicet, superbiam et arrogantiam inimicorum suorum et illorum impias voces, quibus detrahebant divino honori atque potentiae; itaque, et sui populi miseria et sui honoris periculo, propter arrogantiam inimicorum, dicitur Deus finem impositurus calamitatibus populi Israelitici. Cum qua sententia et interpretatione valde consentiunt ea, quae sequuntur, scilicet:

39.—Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me: ego occidam, et ego vivere faciam: percutiam, et ego sanabo: et non est qui de manu mea possit eruere.

Nam his verbis Moyses inducit Deum, loquentem et respondentem dictis superbis inimicorum populi sui, quasi ita dicat Moyses: Et quidem, inimici nostri, eo quod nos videbunt victos a se et oppressos calamitate, nos irridentes, sic loquentur: Ubi sunt dii vestri? etc., arbitrantes, scilicet, una nobiscum se vicisse Deum nostrum; at, vero, Deus noster, tunc nostra miseria tunc sui honoris injuria inductus, nostram fortunam in melius commutabit, et tunc dicet inimicis nostris: VIDETE, QUOD EGO SIM SOLUS, ET NON SIT ALIUS DEUS PRAETER ME, id est, si ratione non potestis, saltem ipsa re et experimentis cognoscite, non solum me esse superiorem vestris diis, sed potius me unum esse Deum, vestros autem nec deos quidem esse: tantum abest, ut mecum conferendi sint. EGO OCCIDAM ET EGO VIVERE FACIAM, id est, si, quia cultores mei victi sunt et a vobis superati, male de mea potentia judicastis; nunc, quando videtis illos saluti atque felicitati restitutos, vobis atque vestris diis repugnantibus, cognoscite clarissimo argumento, mea voluntate utrumque gestum fuisse. EGO OCCIDAM ET EGO VIVERE FACIAM: PERCUTIAM ET EGO SANABO; id est, percussi ego populum meum, non vos percussistis; quod ex eo cognoscetis, quia ego, sine vestra opera, illum ad sanitatem et incolumitatem restituam. ET EGO SANABO: NON EST QUI DE MANU MEA POSSIT ERUERE; ego sum Dominus vitae atque necis et mortis, apud me est omnis potestas, nihil fit sine meo vel permissu vel imperio: et quemadmodum eos, quos diligo, quamvis primo castigatos et afflictos, tandem revoco ad bonam fortunam et felicitatem; sic, vos et idola vestra cum punire coepero, nemo erit qui possit vos eruere de manu mea, id est, afficiam vos sempiterno supplicio. Et, ut magis constet ita futurum esse, Moyses inducit Deum, id ipsum confirmantem juramento; itaque, sequitur:

40.—Levabo ad coelum manum meam, dicam: Vivo ego in aeternum.

Nam hoc habitu corporis *(este alzar la mano)* uti solitos legimus eos, qui jusjurabant, ut patet *Genes.* cap. XIV; quod, autem, ista verba contineant vim et significationem jusjurandi, Septuaginta docuerunt, qui haec sic sunt interpretati, scilicet: LEVABO AD COELUM MANUM MEAM, JURABO IN DEXTERA MEA, DICAM: VIVO EGO IN AETERNUM. Jurat, autem, Deus hoc loco per se ipsum et per suam vitam, quia nullus major ipso est, per quem possit jurare, ut docet Paulus *ad Hebraeos*, VI. Sed videamus quid jurat.

41.—Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea: reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam.

Si interdum accipitur in S. Scriptura pro *quia* vel *quod*, ut patet in illo *Actorum*, cap. XXVI: *Nihil aliud dicetis praeter ea, quae Prophetae praedicaverunt futura esse et Moyses: si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus erat populo et gentibus. Si passibilis Christus*, id est, *quia* passibilis Christus. Et isto etiam modo haec particula accipi debet in hoc loco, ut tradunt fere omnes expositores.

SI ACUERO UT FULGUR GLADIUM MEUM. Hebraice, ad verbum, legitur: SI ACUI, de praeterito, id est, juro me acuisse gladium meum, hoc est, acuturum (praeteritum pro futuro, more prophetico, ut saepe dictum est). Metaphorice, autem, vocat gladium suum iram suam et poenas, quas inmissurus erat in suos hostes; et quemadmodum gladius, vagina eductus, acutus et splendens, tanquam fulgur suo splendore oculos praestinguit, sic Deus dicit se aliquando exprompturum suam iram, quam penes se reconditam habet, quae cum exprometur, formidabilior erit omni gladio, quamvis splendido. Et est similitudo sumpta a viris fortibus, qui cum in acie, educto gladio, irruunt in hostes, dicuntur fulgurare et fulminare, etiam secundum consuetudinem latini sermonis; ex quo poeta dicebat:

Caesar dum magnus ad altum fulminat Euphratem.

SI ACUERO UT FULGUR GLADIUM MEUM. In hebraeo sic habetur: SI ACUI FULGUR GLADIUM MEUM, id est, gladium meum, quod appositive est fulgur. Dicitur, autem, FULGUR ira et vindicta Dei, vel quia saepissime Deus utitur his naturae partibus, scilicet, fulminibus, vento atque igne pro armis adversus impios atque sceleratos homines, sicut dicitur *Sapiae*. cap. V; vel, certe, appellatur FULGUR ira Dei, propterea quod fulguris atque fulminis naturam imitatur: primo, quia quemadmodum fulmine saepe tanguntur loca altissima et superiora, sic ira et vindicta Dei maxime incumbit in superbos, juxta illud: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 2.°, quia quemadmodum ille ignis penetrat ad omnes partes interiores, et ea quae magis recondita et firma (sunt), ea magis comminuit, ita ira Dei atque vindicta interiores vires impiorum et eorum arcana consilia, quibus maxime fidunt atque nituntur, praecipue ad nihilum rediget; quae interiora et arcana consilia impiorum sunt illis pro ossibus atque fundamentis, et ita in S. Scriptura figurate appellantur, ut in

illo, *Threnorum* I: *Misit ignem in ossibus meis;* et psalm. LII: *Dominus dissipavit ossa eorum, quibus placent.* 3.°, apellatur *fulgur*, quia, quemadmodum saepe videmus in iis, quos fulmina feriunt, nullum plagae vestigium exterius apparere, ipsos tamen, interius exustos, mortuos jacere; sic saepe impii atque flagitiosi secundum externam speciem valere et florere videntur, tamen, percussi a Deo, interius multis malis miserrime laborant. Postremo, appellatur *fulgur*, quia, quemadmodum fulmina cadunt praeter spem et maxime tempore aestatis, quando aer multo minus nubilosus est quam in hieme; sic, ira Dei impios opprimit necopinantes atque saepe eo tempore, quando vernat tellus, id est, quando omnia illis videntur esse maxime laeta atque felicia; de quo dicitur in I *ad Thessalonicenses*. V (inquit Paulus): *Cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*, et ad idem pertinet quod dicitur in psalmo XXXVI: *Vidi impium superexaltatum super et elevatum super cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat*, et similiter *Job*. V dicitur: *Vidi stultum firma radice, et maledixi statim pulchritudini illius*, id est, statim vidi calamitatem jam jam illi imminentem, vidi, inquam, fore ut brevi corrueret atque interiret, quia, ut dicitur in *Proverb*. XVI: *Ante ruinam exaltabitur spiritus.*

Ex qua etiam ratione exponendus est locus obscurus in epistola Jacobi, qui pertinet ad hanc sententiam; nam in I capite illius epistolae sic dicitur: *Glorietur frater humilis in exaltatione sua. Dives, autem, in humilitate sua;* nam in secunda parte hujus orationis repetendum est verbum contrarium ei verbo, quod positum est in prima parte, isto modo, scilicet: *Glorietur frater humilis in exaltatione sua*, id est, frater humilis, positus in tribulatione, gaudeat in exaltatione sua, id est, gaudeat, quia post illam tribulationem certo sequetur exaltatio, nam tribulatio, patienter tolerata, pro certissimo argumento habenda est mox futurae exaltationis; at, vero, dives, id est, ille, qui secunda

fortuna utitur, cui omnia pro voto succedunt, non glorietur quidem, sed, quod huic contrarium est, tristetur et pudefiat *in humilitate sua*, id est, propter ruinam in quam paulo post incidet ex illa felicitate, nam ex eo ipso quod sibi videtur esse felix atque beatus, debet facere conjecturam certissimam fore, ut brevi incidat in miseriam sempiternam. Unde addidit Jacobus, ejus rei explicandae gratia: *Exortus est sol cum ardore et arefecit fenum, et flos ejus decidit: ita dives in itineribus suis marcescet; in itineribus*, inquam, *suis*, id est, in ipso cursu rerum laetissimarum et prosperarum corruet atque cadet; vere, enim, dixit quidam poeta graecus: «Magna fortunae dona, non sine metu sunt; et splendor eximius periculo non vacat; denique, nihil altum inter homines tutum est.» Quod si vere dicitur de universis hominibus, qui constituti sunt in sublimi loco, multo verius dicetur de iis, qui per flagitia et per scelera ad id fastigium pervenerunt; nam, ut dicitur *Sapiae.* V: *Spes impii tamquam spuma gracilis, quae a vento dispergitur.* Idque fiet subito et praeter spem illorum; id quod explicat Moyses in eo, quod sequitur, cum dicit: ET ARRIPUERIT JUDICIUM MANUS MEA, nam in arripiendo celeritas quaedam et vis illata praeter spem significatur; unde et Glossa interlinearis in illo verbo sic dicit: ARRIPUERIT, scilicet ex improviso. Nam, quamvis Deus multo ante denuntiat per Scripturas et per alia signa ea mala, quae missurus est in homines, et iram suam adversus peccatores, tamen dicitur illos opprimere praeter spem et subito, propterea quod ipsi, propter caecitatem animi sui, non attendunt ad id, aut certe futurum non credunt: nam, sicut dicitur de justo: *Beatus homo qui semper est pavidus*, et sicut Job, IX, dicebat de se ipso: *Verebar omnia opera mea;* sic, contra, impii atque scelerati ista nec cogitant nec metuunt, et idcirco subito et praeter spem ipsorum opprimuntur. Ex quo, ira Dei et judicii dies respectu malorum appellatur *fur in nocte;* respectu, autem, bonorum, non ita appellatur, ut docet D. Paulus in I *ad Thessalonicenses*, V, dicens: *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies ille sicut fur comprehendat. Omnes, enim, vos filii lucis estis, et filii diei*, quasi dicat: quia estis filii diei, id est, constituti in luce et in die, non dormietis, sed vigilabitis, nam qui dormiunt, inquit, nocte dormiunt; quod si vigilatis, dies ille non adveniet vobis imparatis aut *sicut fur in nocte*, sed illis adveniet sicut fur, qui dormiunt; dormiunt, autem, omnes qui in tenebris peccatorum constituti jacent securi; et illis adveniet.

SI ACUERO UT FULGUR GLADIUM MEUM, ET ARRIPUERIT JUDICIUM MANUS MEA: REDDAM ULTIONEM, etc.—Possunt etiam haec verba proprie et recte interpretari de adventu Christi ad judicium; qui Christus, quatenus homo, metaphorice appelletur gladius et manus Dei: gladius, propterea quod quia illo utatur Pater, tanquam gladio, ad judicandos et delendos impios, ut dicitur in psalmo II: *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos*, et ipse de se ipso dicit apud Matth., X: *Nolite arbitrari, quoniam veni pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.* Erit igitur sensus: CUM ACUERO SICUT FULGUR GLADIUM MEUM, id est, quando mittam Christum ad judicium faciendum (nam tunc apparebit *sicut fulgur*, quemadmodum dicitur apud Matth., cap. XXIV: *Sicut, enim, fulgur exit ab Oriente, et pertingit usque ad Occidentem sic, erit adventus filii hominis)*; igitur, quando is gladius sic apparuerit et quando MANUS MEA, id est, idem Christus, qui in S. Scriptura appellatur brachium et manus Dei, JUDICIUM ARRIPUERIT, id est, praeter spem malorum ad judicium venerit; TUNC REDDAM ULTIONEM HOSTIBUS MEIS, ET HIS QUI ODERUNT ME RETRIBUAM. Hostes suos vocat omnes impios et infideles, qui unquam adversati sunt populo suo, populo, inquam, in ipsum credenti et religiose ipsum colenti. Et exponit statim, quae et quanta futura sit ista retributio; unde sequitur:

42. — Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum, de captivitate nudati inimicorum capitis.

Nam his metaphoris et allegoriis mira et elegante ratione describit magnitudinem malorum, quae Dominus illaturus est in suos hostes. Nam sagittas atque gladium vocat metaphorice, ipsa mala quae in inimicos immittet, ducta metaphora a rebus bellicis, nam hujusmodi armis adversus hostes certatur; tribuit, autem, sagittis atque gladiis, scilicet, rebus inanimatis inebriari sanguine et devorare carnes hyperbolice et plane tragice, ad magis declarandam magnitudinem et acerbitatem irae et animadversionis divinae in hostes suos. Sed quod additur, scilicet: DE CRUORE OCCISORUM, DE CAPTIVITATE NUDATI INIMICORUM CAPITIS, obscurum est et valde involutum; quod Septuaginta sic verterunt: A CRUORE OCCISORUM ET CAPTIVITATE, A CAPITE PRINCIPIS INIMICORUM. Ex quo Euthymius, secutus hanc interpretationem, sic exponit hunc locum: INEBRIABO SAGITTAS MEAS SANGUINE, scilicet, SANGUINE OCCISORUM; ET GLADIUS MEUS DEVORABIT CARNES, scilicet carnes CAPITIS PRINCIPIS INIMICORUM, id est, carnes regum atque principum et eorum qui praesidebant hostibus meis. Caeterum, Lyranus et alii sic exponunt: INEBRIABO SAGITTAS MEAS SANGUINE, scilicet, DE CRUORE OCCISORUM inimicorum; ET SATURABO ULTIONEM MEAM DE CAPTIVITATE NUDATI INIMICORUM CAPITIS, id est, de inimicis meis captivis, qui incedent nudato capite, nam servi antiquo more caput radebant in servitutis signum. Dicit, ergo, Moyses, secundum hanc expositionem, quod Deus ex hostibus suis, alios interficiet; alios, captivos ducet: nam servitus, praesertim homini ingenuo, morte deterior est; itaque, ut declaret Moyses nullum malum esse, cujus acerbitatem hostes Dei experturi non essent, idcirco dicit futurum, ut alios interficiat, alios adducat captivos. Caeterum, alii sic interpretantur et exponunt: INEBRIABO SAGITTAS MEAS SANGUINE, sanguine, scilicet, qui fluet e corporibus occisorum, et qui fluet e capitibus inimicorum captivis et occisis; ita ut caput nudatum appellet caput occisum et a corpore separatum. Sumitur, praeterea, in S. Scriptura *nudari* pro *ulcisci et evertere funditus*, ut apparet in illo psalmi CXXXVI, ubi quo loco nos legimus: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea*, ad verbum sic habetur: *Nudate, nudate usque ad fundamentum*, etc., id est, penitus evertite; ex quo, alii hunc locum sic vertunt et exponunt: INEBRIABO SAGITTAS MEAS SANGUINE, scilicet, sanguine occisorum; ET GLADIUS MEUS DEVORABIT CARNES, scilicet carnes capitum; IN ULTIONIBUS INIMICI, id est, manducabit carnes capitum occisorum inimicorum, quando in ipsos ultus fuero.

Sed, quoniam haec dicuntur, metaphora ducta a rebus bellicis, idcirco hujus loci sensus petendus est ex iis, quae accidunt in pugna atque certamine; constat, autem, commisso certamine et altera parte victa et superata, victores saepe, et maxime quando praecipuo odio ferantur in hostes et natura saevi atque crudeles sunt, quando diripiunt spolia caesorum, si quos reperiunt adhuc spirantes atque vivos trucidant, et corpora caesa atque nudata dilacerant crudeliter; et saepe etiam ex iis, quos captivos ducunt, nulla idonea causa plurimos interficiunt. Igitur, ad magis amplificandam ultionem atque caedem, quam editurus erat Dominus in hostes suos, inquit Moyses ex persona Dei: INEBRIABO SAGITTAS MEAS SANGUINE, et iterum repetit: SANGUINE OCCISORUM, id est, inebriabo, non solum sanguine, qui in ipso praelio effundetur, sed etiam SANGUINE OCCISORUM DE CAPTIVITATE, id est, eorum, quos, jam victos et in meam potestatem redactos, tamen sagittis meis conficiam; ET GLADIUS MEUS DEVORABIT CARNES, carnes, inquam, devorabit, non solum propterea quod in ipso praelio plurimos interficiat, sed etiam quia post comparatam victoriam,

quando spolia detrahentur occisis, plagas inferet nudatis corporibus, et capita eorum abscindet; unde ad verbum in hebreo sic habetur: ET DE CAPITE IN NUDATIONIBUS INIMICI. Et, ut intelligeretur ista dici, non tam ad significandam ipsam victoriam, quam ad declarandum hoc additamentum victoriae atque ultionis et saevitiae, idcirco apte usus est verbis *inebriandi* et *devorandi*; nam inebriantur, non qui bibunt id quod satis est, sed qui modum in bibendo excedentes, serviunt libidini et non necessitati; et sic, illa additamenta victoriae, quae in certamine fiunt, cum hostes desaeviunt in corpora mortuorum, magis fiunt ex quadam nimia et immodica ulciscendi cupiditate, quam ex aliqua idonea aut necessaria ratione.

INEBRIABO SAGITTAS MEAS SANGUINE, etc. Huic simile est, quod dicitur *Habacuc*, III, scilicet: *Percussisti caput de domo impii: denudasti fundamentum ejus usque ad collum. Maledixisti sceptris ejus*, etc.; nam uterque propheta loquitur de ea vindicta, quam sumpturus est Deus de hostibus populi sui, et utrobique fit mentio capitis, et uterque dicit fore, ut nudetur illud caput, quoniam re ipsa, certe secundum rei veritatem, in hac vindicta, quam Deus sumit atque sumpturus est de inimicis populi sui, primo percussit caput ipsorum, id est, diabolum ejusque ministros, deinde animadvertet in illius membra. Nam Christus in morte sua vicit hoc caput et condemnavit, ut ipse dixit apud Joannem, dicens: *Nunc judicium est mundi: nunc princeps mundi hujus ejicietur foras;* et post mortem suam, toto progressu praedicationis evangelicae, executioni mandatur illud judicium atque illa ejectio, scilicet, eversis idolis et illorum cultu; et tandem, postremo judicii die includendus est ille ignibus sempiternis simul cum membris ipsius, scilicet, cum inimicis et hostibus populi Dei, quos inimicos per singulas mundi aetates, ab initio saeculi usque ad consummationem saeculi, ita Deus denudat, id est, conterit atque extinguit, ut alios post alios ita deleat, ut illorum generis atque nominis nullum prorsus vestigium relinquatur. Sic, inquam, Chaldaeos delevit, inimicos populi, et ante illos de medio sustulit Assyrios, et postea Medos atque Persios, atque deinde Macedones, tandem Romanos ipsos penitus extincturus; qui omnes adversati sunt populo fideli. Sic, etiam, singulas nationes idolis servientes, quantum attinet ad idololatriam, ita delevit, ut cum homines earum nationum partim adjunxisset ad populum suum, partim omnino extinxisset, nunquam postea sunt reversae ad eum cultum, nec unquam reversurae sint. Sic, denique, extremo judicii die hujusmodi inimicos suos denudabit, id est, afficiet poena sempiterna; nam nuditatis nomen in S. Scriptura transferri solet ad significandam eam ignominiam, qua illo die notandi sunt omnes impii ad memoriam sempiternam, ut liquet Apocalypsis III et XVI. Sequitur in textu:

43.— Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur: et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terrae populi sui.

Septuaginta in hoc loco aliquanto aliter hunc locum *(sic)* interpretantur, dicentes: LAETAMINI GENTES CUM PLEBE EJUS. Verbum, autem, hebraicum, quod hoc loco ponitur, proprie significat cantu personare, canere, quod fit et cum alios laudamus atque etiam cum ipsi laetamur: ex quo utrique, et Septuaginta et noster interpres, recte transtulerunt.

LAUDATE GENTES POPULUM EJUS, QUIA SANGUINE SERVORUM SUORUM ULCISCETUR. Tandem Moyses hoc carmen comminatorium et plenum tristissimarum rerum denuntiatione concludit fine laetissimo, praedicens futurum, ut Deus redeat in gratiam cum populo suo et ejus injurias ulciscatur. LAUDATE, inquit, GENTES POPULUM EJUS, etc., id est, quoniam quemadmodum praedixi, Deus inebriaturus est

sagittas suas sanguine inimicorum suorum, id est, ipsos penitus est deleturus; idcirco, gentes omnes LAUDATE POPULUM EJUS, hoc est, in pretio habete et suspicite atque laudibus celebrate populum ejus, propter eximiam benevolentiam Dei erga illum. Quidam haec referunt ad reditum Judaeorum de babylonica captivitate, cum restituta est illis sua libertas per Cyrum regem; sed, quemadmodum supra diximus, qui hanc sententiam sequuntur errant in eo, quod existimant hoc Cantico atque his verbis solam significari illam liberationem de captivitate Babyloniae. Caeterum, alii arbitrantur his verbis significatam esse atque praedici vocationem gentium, scilicet, illis verbis: LAUDATE GENTES POPULUM EJUS; quibus favet Paulus, qui *ad Rom.* XV, inter alia, etiam citat hunc locum ad probandum gentes vocandas fuisse ad fidem. Nec potest dubitari, quin in illo: LAUDATE GENTES POPULUM EJUS, aut, sicut verterunt Septuaginta: LAETAMINI GENTES CUM PLEBE EJUS insit, inquam, adhortatio quaedam et invitatio ad gentes, ad adjungendum cum populo Dei et removendum a caeteris hominibus sui generis, qui in impietate remanserant, quae etiam invitatio continet vim praedictionis atque vaticinii.

Sed quod gentes vocentur ad fidem in hoc loco, et quod praedicetur earum conversio, id nihil obest, nihil obstat nostrae interpretationi et expositioni, sed eam potius adjuvat; quod liquebit si haec verba pluribus verbis exponamus. LAUDATE GENTES POPULUM EJUS, inquit, quasi dicat: quoniam Deus repeturus est poenas de inimicis populi sui, et in eos et in ipsorum caput severissime animadversurus; idcirco vos, gentes, qui ad eum populum non pertinetis et hostili odio illum prosequimini, jam prospicite vobis rebusque vestris, et, sociorum vestrorum atque gentilium impietate relicta, vos transferte in familiam atque nomen nostrum, futuri participes nostrae laudis atque laetitiae. Nec vos, inquit, ab eo deterreri debet, quod Deus saepe

permittit, ut hostes nostri superiores sint, quia tandem, inquit, SANGUINEM SERVORUM SUORUM ULTURUS EST, id est, repetiturus est rationem laborum et aerumnarum omnium (quae nomine *sanguinis* appellantur et comprehenduntur in S. Scriptura) ab iis, qui fuerunt earum auctores; et VINDICTAM RETRIBUET IN HOSTES EORUM, id est, mala quae intulerunt in populum suum, in ipsorum qui ea intulerunt caput vertet; ET PROPITIUS ERIT TERRAE POPULI SUI, id est, non solum suos, sed etiam omnia ipsorum favore atque largis muneribus prosequetur: nam, quemadmodum, cum castigabat suos et poenis eorum purgabat scelera, terrae atque urbibus ipsorum visus (est) quodammodo irasci, scilicet, urbes diruens et loca culta devastans; sic contra, quando ipsis placatus fuerit, et eorum terrae erit propitius et effundet in ipsam magna sua fecunditatis dona. Et quoniam hoc vaticinium praecipue respicit extrema mundi tempora, quando, populo Judaeorum in Ecclesiam intromisso et saeculis finitis, universus Dei populus revocabitur ad vitam, victurus in laetitia et omnium bonorum copia et felicitate sempiterna; idcirco, haec verba: ET PROPITIUS ERIT TERRAE POPULI SUI, rectissime pertinebunt ad corpora justorum, quae eo tempore resurgent gloriosa, et quae in arcano sermone S. Scripturae saepe appellantur terra. Quibus corporibus recte dicitur Deus tunc propitius futurus: primo, quia multae et magnae causae erant, quare illis esset iratus, scilicet, eo quod omne fere peccandi initium atque irritamentum ab ipsis corporibus existat, et quod non solum fuerunt auctores ad peccandum, sed etiam fuerunt peccatorum ipsorum satellites atque ministri; 2.°, recte dicitur futurus PROPITIUS TERRAE POPULI SUI, quia ea bona atque dona conferet nostris corporibus, quae mirum in modum superant atque excedunt naturam et conditionem corporum, nam rei torpenti et gravi, quale corpus terrenum est, tribuet summam agilitatem in illa nova vita, et rei crassae et obscurae natura sua tribuet claritatem coe-

lestem, et corpori maxime opportuno corruptioni atque dissolubili tribuet impassibilitatem et immortalitatem, et id quod natura sua sibi vindicat infimum locum, collocabit atque constituet supra omnes aethereos orbes. Itaque, vere erit PROPITIUS TERRAE POPULI SUI; efficiet, enim, ut ea terra jam non germinet spinas et tribulos, quibus animi cruententur, sed ut ferant lignum vitae, quemadmodum dicitur *Apocalypsis* ultimo: *Proferens fructum quotannis duodecimum;* id est, fructificans jugiter vitam et quietem et laetitiam nullo aevo et nullo fine terminandam: ET PROPITIUS ERIT TERRAE POPULI SUI.

Sed quoniam hoc Canticum, quemadmodum diximus initio hujus expositionis, praecipue institutum est ad Judaici populi scelerates mores et ingratitudinem exagitandam, et ad praedicendum quemadmodum illum populum, propter sua peccata, Deus privaturus erat gratia et favore suo, et erat illis praelaturus alias gentes et homines alterius generis, et quoniam, Deo ipso disponente atque volente, traditi sunt hostibus suis diripiendi, vexandi; idcirco, cum haec ita sint, merito potest quaeri atque dubitari, qua ratione eos ipsos Judaeos nunc in hujus Cantici fine appellet servos suos Deus et filios, et praedicet et profiteatur futurum, ut hostes eorum eripiat, et exigat ab illis poenas acerbissimas pro malis quae intulerunt populo suo. Non, enim, ista satis videntur constare inter sese; et, certe, et in hoc loco et in nonnullis aliorum Prophetarum vaticiniis ista res miras difficultates facit. Quare, ut id vere intelligatur, adverti debet, universos homines qui unquam fuerunt aut futuri sunt, quod attinet ad praesens propositum, ad duos tantum populos pertinere: quorum unus, semper dictus est populus Dei; alter vero, huic oppositus et inimicus, Deo ingratus et infensus populus dicitur. Quos populos D. Augustinus in libris *De civitate Dei* appellat duas civitates, et earum diversas rationes late persequitur toto illo opere; nam, certe, non solum nominibus inter

sese, sed multo magis re ipsa differunt, scilicet: et genere, et religione, et partibus, et successu, et tandem rerum fine atque exitu.

Nam, ut primum dicamus de populo Dei; hoc, enim, intellecto, facile intelligetur cujus generis atque conditionis sit alter populus: igitur, omnis populus Dei genere pertinet ad Abraham et in ejus posteritate numeratur, vel nativitate vel, ut ita dicam, adoptione, id est, vel quia ab ipso Abraham genitus et propagatus est, vel quia fidei imitatione ad ejus genus et familiam et nomen adjunctus est. Quam ob causam, et ipse Abraham sic a Deo appellatus est, aucto nomine, scilicet, *pater multarum gentium*, propterea quod earum omnium gentium, quarum nomen et gloria permansura est, quaeque vere futurae sunt, pater ipse est et generis auctor; nam gentes quae ad ipsum neutro modo pertinebunt, neque adoptione neque nativitate, tandem de medio sublatae et inclusae in infernis locis, sic erunt tanquam si non essent. Et propter eamdem causam etiam Abrahae dictae sunt repromissiones, id est, facta est illi promissio de aeterna haereditate atque justitia, et de Christo, justitiae auctore, propterea quod in illius persona atque fide repraesentaretur et contineretur persona eorum hominum, qui illam haereditatem possessuri erant, omnesque numerabantur in illius semine. Quam rem D. Paulus, cap. III epistolae *ad Galatas*, saepius docet atque inculcat, nam de eo, quod haereditas sit promissa Abrahae et semini ejus, ita dicit: *Nam si ex lege haereditas, jam non ex promissione. Abrahae autem per repromissionem donavit Deus*, et iterum: *Abrahae dictae sunt promissiones et semini ejus;* de eo, autem, quod omnes qui participes sunt earum promissionum, omnes qui pertinent ad populum Dei, etiam pertineant ad posteritatem Abrahae eo modo, quo dictum est, ita etiam scribit Paulus: *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae. Videns autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, praenuntiavit*

Abrahae: Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur, qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Et cap. IV ejusdem epistolae, disserens de duobus filiis Abrahae, altero genito ex ancilla, altero ex libera, qui dicitur etiam natus secundum promissionem, docet Paulus omnes fideles isto promissionis genere pertinere ad Abraham, dicens: *Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus*, et iterum: *Itaque, fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae: qua libertate Christus nos donavit.* Qua de re copiose et doctissime D. Augustinus disserit in epistola ad Asellicum, quae est numero ducentesima, ubi probat omnes fideles, omnes qui connumerantur in populo Dei, pertinere ad Abrahae genus, et quamvis non sint nominandi et appellandi Israelitae aut Judaei, ne propter ambiguitatem vocabuli videamur profiteri ea quae sunt inimica nomini christiano, tamen omnes fideles esse Israelitas et Judaeos spirituales, et secundum spiritum fidei semen Abrahae; sicut et Paulus *ad Romanos*, II, ipsos appellat (quod etiam testimonium citat D. Augustinus), nam Paulus dicit: *Non enim qui in manifesto Judaeus est: nec qui in manifesta carne est circumcisus. Sed qui in abscondito Judaeus est: et circumcisio cordis, quae spiritu est, non littera; cujus laus, non ex hominibus, sed ex Deo est.* Et in libro *De catechizandis rudibus*, cap. XIX, idem affirmat, et *Contra Faustum*, lib. XXII, cap. XXXII.

Hujus populi, praeterea, alius status atque alia ratio fuit ante Christi adventum et alia post Christi adventum: nam ante Christi adventum, is populus maxima ex parte constitit ex iis, qui non solum fidei et religionis professione pertinebant ad Abraham, sed etiam nativitate ab illo genus ducebant; qui, autem, sola imitatione fidei et tanquam adoptione pertinebant ad Abraham, pauci tunc erant, quorum alii conjungebantur cum illo populo simul et fide et mosaicae religionis observantia, quales erant proselyti, alii vero conjungebantur sola fide, quales erant illi,

qui inter gentes colebant unum Deum et in Messiam futurum conferebant suam spem, vel implicite vel explicite. Contra, autem, post Christi adventum, hujus populi Dei multo maxima pars refert genus suum ad Abraham per solam imitationem fidei, quales sunt omnes conversi ex gentilitate; qui, autem, sola nativitate genus ducunt ab Abraham, pauci nunc sunt; qui, autem, utroque simul modo, et nativitate et fide, sunt filii Abrahae, sunt multo pauciores, illi, scilicet, qui conversi sunt ad fidem ex judaismo. Praeterea, in utroque tempore et statu non fuit una ratio omnium eorum, qui in hoc populo continentur, sed varia atque diversa: nam eorum quidam sunt justi, quidam peccatores; et ex peccatoribus, quidam sunt hactenus peccatores, ut tamen fidem religionis puram et incontaminatam conservent, quidam, vero, qui illam conjunctione alterius religionis maculant; nam qui eam fidem penitus abjiciunt, jam videntur plane in aliam familiam degenerare et in alium populum, contrarium populo Dei. Quam diversitatem hominum ejusdem generis atque populi videtur significavisse Deus *Genesis* XXII, quando promisit Abrahae futurum, ut esset pater multarum gentium; tunc, enim, dixit ei: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli, et sicut arenam, quae est in littore maris;* in quo praedixit alios futuros, tanquam stellas, virtutibus claros et illustres; alios, autem, futuros in hoc populo Dei et in hac posteritate Abrahae, propter morum impuritatem, adeo viles et abjectos, ut est vilis arena quae est in littore maris. Sic in primo hujus populi statu, fuerunt inter Judaeos viri justissimi; et alii peccatores, sed tamen permanentes in unius Dei cultu fideles; et fuerunt alii, qui, quamvis colebant unum Deum et credebant Messiam futurum, tamen conjungebant cum ejus cultu aliorum deorum cultum atque religionem, quales fuerunt plurimi ex decem tribus sub regibus Israelitis. Sic etiam, post Christi adventum, hic populus Dei, qui genere ad Abraham pertinet, varias habet partes: alii, enim, sunt jus-

ti; alii peccatores, integre tamen retinentes professionem fidei, quales sunt omnes christiani; alii vero, qui unum Deum nobiscum colunt et spem suam collocant in Christo, sed tamen errant in eo, quod nondum venisse credunt, sed sperant venturum; quales sunt Judaei, qui ab Ecclesia hac de causa divisi sunt, sed tamen genere pertinent ad Abraham, nec prorsus negliguntur a Deo, sed inter varia et maxima pericula conservantur et castigantur variis laboribus, quoadusque, errore suo cognito, in fine saeculi, conversi ad fidem Jesu Christi, unum cum reliquis fidelibus corpus efficiant.

Sed quamvis hic populus e variis partibus constet, tamen fere omnibus illis hoc semper fuit commune, ut in felicitate terrena parum felices essent in comparatione ad eam felicitatem, qua praestant inimici ejus populi; atque omnibus illis fuit semper commune, ut eos persequeretur odio atque omnibus malis alter ille populus Deo infensus et inimicus, Deo scilicet sic permittente et ordinante, (ut) per varios labores atque tribulationes perficeret populum suum. In quo certamine atque pugna, hostes populi Dei maxima ex parte evadunt superiores; sed quamvis superiores evadant, tamen nunquam possunt populum Dei delere et extinguere: adeo, ut procedente tempore, ipsi victores paulatim, alii alio tempore, penitus extinguantur; populus, autem, Dei persistat invictus et perseveret. Cujus pugnae atque eventus est imago id, quod in *Genesi*, capite XXV, dicitur de illis gemellis fratribus, Esau et Jacob, quos Rebecca mater in utero inclusos continebat; nam certabant inter sese in ipso utero; qua de causa mater oraculum consuluit, eique responsum est isto modo: *Duae gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex utero tuo dividentur, et populus populum superabit*. Nam quemadmodum Esau prius natus est, et tamen illi praelatus fuit Jacob; sic hostes populi Dei antecellunt dignitate et splendore terreno et videntur primogeniti, sed tamen populus Dei illis praefertur in possessione et haereditate verorum bonorum: et quemadmodum Esau persecutus est Jacob, quamdiu vixit, illumque fugavit e paterna domo, sed tamen posteritas Jacob dominata est in posteritatem Esau, et eam tandem extinxit; sic hostes populi Dei, quamvis nunc videantur florere, tamen alii aliis rationibus extinguentur, populus autem Dei ad extremum in universos dominabitur.

Haec, igitur, cum ita se habeant, dico quod Moysi in hoc Cantico, dicturo de populo Dei, qui tunc fere totus constabat e Judaeis, per lumen propheticum objecta fuerunt omnia ejus populi incrementa et decrementa, omnes aetates et omnes successus, eaque omnia simul et tanquam praesentia uno intuitu, uno aspectu complexus est; et sic, pro varietate successuum seu rerum, quas videbat in illo populo, et pro ejus populi diversitate partium, sic, inquam, variavit orationem suam: et nunc in illum populum invehitur, et nunc ejusdem commiseretur; nunc castigat illos, interdum consolatur; et interdum hostes ipsorum veluti excitat et veluti armat in ipsos, interdum autem male precatur hostibus et denuntiat interitum atque exitium sempiternum. Nam, quia vidit Moyses Judaeos, qui tunc constituebant populum Dei, et eorum posteros usque ad Christi adventum, ingratos Deo futuros maxima ex parte, idcirco in illos primo invehitur et eorum aerumnas praedicit: et rursus, quoniam vidit adveniente Christo eos Judaeos partim servandos esse, partim excaecandos, et eos, qui servarentur, multos homines ex alio genere ad suum genus et familiam tradituros per praedicationem fidei, et populum Dei, qui ex utrisque constabat, primo a suis hostibus diripiendum immerito, ut accidit in persecutione primitivae Ecclesiae, et deinde, propter ejusdem populi peccata, ab inimicis vexandum, quemadmodum fit in praesenti, et tandem evasurum superiorem atque illos ipsos Judaeos, qui excaecati sunt, post varias aerumnas atque labores redditurus ad populum Dei esse; haec, inquam,

quoniam vidit Moyses, idcirco postea blande agit cum hoc populo, et eum paterne appellat atque consolatur. Contra, autem, quoniam vidit inimicos populi Dei, per omnes saeculi aetates semper se gessisse injuste atque impie erga Deum et erga populum suum; nam non solum vexant eos, qui sunt peccatores in hoc populo, sed saepe etiam vexant justos atque bonos, et cum peccatores vexant, non id faciunt peccati odio, sed ipsorum hominum et religionis ipsorum; idcirco, Moyses acerbissime hujusmodi hostes populi Dei accusat atque ita denuntiat perituros, ut eorum aliis aliis temporibus cadentibus, et tandem universis de medio sublatis et addictis carceri sempiterno, unus populus Dei ab omni malo liber effectus, tandem cuncta obtineat, felix atque beatus Dei dono, cui sit gloria in saecula. Amen (1).

(1) In codice additur: *finis*, et ad marginem ex manu, ut videtur, ipsius scribae: «Acabose este cántico el último día de Junio del año de 1582, y fué la postrera lección (que leyó el P. Maestro?)»

IN PSALMOS

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quoniam vidit Moyses, idcirco postea blande agit cum hoc populo, et eum paterne appellat atque consolatur. Contra, autem, quoniam vidit inimicos populi Dei, per omnes saeculi aetates semper se gessisse injuste atque impie erga Deum et erga populum suum; nam non solum vexant eos, qui sunt peccatores in hoc populo, sed saepe etiam vexant justos atque bonos, et cum peccatores vexant, non id faciunt peccati odio, sed ipsorum hominum et religionis ipsorum; idcirco, Moyses acerbissime hujusmodi hostes populi Dei accusat atque ita denuntiat perituros, ut eorum aliis aliis temporibus cadentibus, et tandem universis de medio sublatis et addictis carceri sempiterno, unus populus Dei ab omni malo liber effectus, tandem cuncta obtineat, felix atque beatus Dei dono, cui sit gloria in saecula. Amen (1).

(1) In codice additur: *finis*, et ad marginem ex manu, ut videtur, ipsius scribae: «Acabose este cántico el último día de Junio del año de 1582, y fué la postrera lección (que leyó el P. Maestro?)»

IN PSALMOS

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IN PSALMOS

PROOEMIUM

Quot psalmos Luysius Legionensis exponere susceperit, an mens ejus fuerit universam Psalmorum expositionem conficere, vel quorumdam tantum, qui studentium profectui, sui ipsius solatio, augendae devotioni aliove consilio videbantur aptiores, res dubia ac scitu operosior est, quam in praesentiarum definiri queat. Certum, quidem, exploratumque videtur Luysii lecturas totius annui curriculi 1581-1582 circa Psalmos praecipue versari; sed cum alia quoque Sacrorum Librorum loca, uti Canticum Moysis, ille tunc explanaret, et in quorumdam psalmorum expositione non parum temporis insumeret, fatendum absque ulla dubitatione videtur Psalterii totum commentarium nequisse illo uno cursu complere. Ad nostrum autem notitiam non aliae pervenere hujusmodi expositiones, quae certe Luysio adscribi possint, quam psalmorum XXVI, XXVIII, LVII ac LXVII.

Psalmum XXVI primum omnium Luysius exposuit, adhuc, ut ipse testatur, in carcere detentus, ante annum proinde 1578, cum caeteri psalmi, alii certe, probabiliter alii, ad cursum supra commemoratum (1581-1582) referri

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

debeant. Gratitudinis causa illum Cardinali Quiroga, tunc temporis generali Inquisitori Hispaniarum, dicavit, ac una cum expositione Canticorum typis mandavit Salmanticae anno 1580. In caeteris commentarii in Cantica editionibus prodiit etiam hujus psalmi explanatio, ita ut quinque ejusdem editiones numerari possint: salmantinae tres, annis scilicet 1580, 1582 et 1589; veneta 1604 ac parisiensis 1608 excusa. Quod nunc edimus commentarium ab exemplari postremae editionis salmantinae (1589) transcripsimus, ea ratione ducti, quod haec editio ultima fuerit vivente et conscio auctore peracta.

Aliae Luysii in Psalmos expositiones a nobis edendae nunc primo typis mandantur. Nam etsi in votis fuerit auctori, ac postea Matritensibus Patribus, eas cum caeteris Librorum Sacrorum commentariis prelo tradere, variis tamen de causis, quas supra conmemoravimus, ineditae permanserunt, atque per exemplaria Mss., non unae ejusdemque antiquitatis et auctoritatis, ad nostra usque tempora pervenere.

Psalmi XXVIII expositio continetur in codice *D* superius descripto, ubi Luysio tribuitur; nam ad commentarii caput ex manu ejusdem scribae legitur: *M. Fr. L.* de *L.*, quo Luysii nomen initialibus ejus litteris sine dubio significatur. Exemplar istud etsi antiquitate parum commendetur, cum ultra XVIII saeculum protendi forsitan nequeat, genuinam Luysii expositionem continere ex eo maxime patet, quod auctor ipse ad alia ejus commentaria lectores mittat, quae certe Luysio nostro adscribi debent: ita, exempli gratia, versis 3 ac 7 fit, quibus in locis expositiones Legionensis in Abdiam et Cantica tamquam genuinum ingenii sui partum meminit. Sincera procul dubio ac certo antiquiora judicamus exemplaria explanationum in Psalmos LVII et LXVII quae in tomo *A* inveniuntur, cum utrumque transcriptum videatur a quodam Luysii alumno, qui exemplar ex ipsa Luysii auditione confecerit, et omnino

ad auctoris tempus, tam ex characteribus quam ex aliis adjunctis, referri debeat: in utroque, enim, exemplari Luysio tribuuntur expositiones illae, prefixo etiam tempore quo studentibus lectae fuerunt.

Ex iisdem exemplaribus commentaria in Psalmos LVII et LXVII transcripserunt PP. Augustiniani Matritenses ad absolutissimam, quam parabant, Luysii operum editionem; quae exemplaria et nos sequuti sumus, transcriptionem etiam nostrorum PP. Matritensium consulentes, ubi necesse fuit ad textus lectionem securius eruendum. Itaque, commentarium in Psalmum XXVI ex postrema editione salmantina (1589), expositionem Psalmi XXVIII ab exemplari in codice *D* asservato, commentaria denique in Psalmos LVII et LXVII ex laudatis *Mss.* tomo *A* contentis ad hanc nostram editionem desumpsimus.

Exstant inter expositiones certe Luysio adscribendas et alia commentaria Psalmorum; at ea in Appendicem hujus tomi amandavimus, quod alia minime, alia dubie tantum Luysio adscribere liceat. Rationes quibus istas expositiones rejicimus, suo in loco presse exponemus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IN PSALMOS

In Psalmum XXVI (1)

ILLUSTRISSIMO D. D. GASPARI QUIROGA, S. R. E. CARDINALI, ARCHIEPISCOPO TOLETANO, RERUM FIDEI SUPREMO JUDICI, FR. LUYSIUS LEGIONENSIS AUGUSTINIANUS. S. P. D.

Res adversas, Quiroga Cardinalis amplissime, vulgo homines in malis ponunt, Stoici in fugiendis numerabant, recte autem instituta ratio disciplinaque christiana in bonis ducit. Non quod acerba et amara, amara et acerba non sint; sed quod aegris amara quae sunt, saepe sint salutaria; aegrotamus autem omnes, laboramusque alii aliis animorum morbis. Sed et saepe accidit, bonis praesertim et Dei amatoribus viris, ut isthaec non solum utilia ipsis sint, sed etiam ut acerba esse desinant, atque adeo ut gustatu atque perpessu dulcia illis et jucunda reddantur: tanta est Christi bonitas atque dulcedo erga eos, qui omnes suas spes in ipso collocant. Quod et ipse, tametsi nullo modo is sim qui nu-

(1) In exemplari: *F. Lugii Legionensis, Augustiniani, Theologiae Doctoris et Divinorum librorum primi apud Salmanticenses interpretis, in psalmum vigesimum sextum Explanatio.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IN PSALMOS

In Psalmum XXVI (1)

ILLUSTRISSIMO D. D. GASPARI QUIROGA, S. R. E. CARDINALI, ARCHIEPISCOPO TOLETANO, RERUM FIDEI SUPREMO JUDICI, FR. LUYSIUS LEGIONENSIS AUGUSTINIANUS. S. P. D.

Res adversas, Quiroga Cardinalis amplissime, vulgo homines in malis ponunt, Stoici in fugiendis numerabant, recte autem instituta ratio disciplinaque christiana in bonis ducit. Non quod acerba et amara, amara et acerba non sint; sed quod aegris amara quae sunt, saepe sint salutaria; aegrotamus autem omnes, laboramusque alii aliis animorum morbis. Sed et saepe accidit, bonis praesertim et Dei amatoribus viris, ut isthaec non solum utilia ipsis sint, sed etiam ut acerba esse desinant, atque adeo ut gustatu atque perpessu dulcia illis et jucunda reddantur: tanta est Christi bonitas atque dulcedo erga eos, qui omnes suas spes in ipso collocant. Quod et ipse, tametsi nullo modo is sim qui nu-

(1) In exemplari: *F. Lugii Legionensis, Augustiniani, Theologiae Doctoris et Divinorum librorum primi apud Salmanticenses interpretis, in psalmum vigesimum sextum Explanatio.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

merari servis Dei possim, tamen benigne mecum Deo et clementissime agente, expertus in me sum illo meo calamitoso, ut vulgo judicatur, et misero tempore, cum quorumdam hominum artibus in suspicionem laesae fidei criminose vocatus, semotus ab hominum non solum sermone et congressu sed etiam aspectu, per quinque fere annos in carcere et in tenebris jacui. Ea, enim, tunc animi quiete atque laetitia fruebar, quam nunc, luci redditus et amicissimorum mihi hominum consuetudine fruens, saepe requiro. Ut mirari satis non possim, quantus in humanis rebus error et deceptio versetur, quamque ab eo quod sunt, pleraeque res aliae esse credantur. Illa, enim, quae mala esse magna omnes putant, et certe ipsa per se si spectentur sunt maxima; nihil enim eorum, quae, vel animum aegritudine afficiunt, vel corpori molestiam afferunt, ab illa abesse vita putandum est; sed quae mala creduntur maxima, ea expertus sum voluptatibus dulcissimis esse plena. Neque id totum ex eo erat, quod me optimae mentis meae conscientia consolaretur, quamquam et ea me sustentabat plurimum: est, enim, illius magna vis; sed conscientia recta, ut aequo animo feras adversa facit, non autem jucunda ea ut sint efficit. Itaque, leniebat aegritudinem conscientia, sed quod me potissimum consolabatur, neque consolabatur solum, sed et laetitia interdum perfundebat tanta, quantam non queo dicere, vis quaedam bonitatis Dei erat immensa et incredibilis. Qua de vi ac bonitate divina, illo quod dico tempore, dum extare mihi ejus olii aliquem fructum volo, et legendo assidue atque scribendo a molestis cogitationibus animum avoco, in vicesimum sextum Davidis psalmum quaedam sum commentatus; quae nunc cum relegerem ita me affecerunt, ut ea non inutiliter edi posse censerem; quod item aliis nonnullis visum est. Itaque illa nunc edo. Edo, autem, Cardinalis illustrissime, sub tuo nomine ea de causa, quod per te profecto habeo, ea ut possim edere. Nam cum causa lisque mea, saepe cognosci

coepta, ejus cognitione variis rationibus intermissa et in aliud tempus dilata, ita produci videretur, nemo ut vires aut animi aut corporis mei tanto oneri suffecturas esse speraret, tu ea ut cognosceretur atque terminaretur aequum esse censuisti, cognovistique eam ipse per te, et ea cognita atque ejus veritate perspecta, et crimine et suspicione criminis exsolutum, libertatique ac dignitati meae pristinae redditum, me tandem meis meosque mihi restituisti. Quo beneficio nullum majus in hoc genere, neque a bono viro optari debeat, neque qui ipse bonus sit vir, possit cuiquam tribuere, a te certe nihil aliud expectandum fuit, qui tametsi virtutibus sis ornatus omnibus, tamen prae caeteris unam justitiam ita coluisti et adamavisti semper, ea ut te summa integritatis laude commendatum per omnes honorum gradus ad id, in quo es, fastigium evexerit. Quo etiam mihi gratius et honestius fuit absolvi tuo judicio, hoc est, ut ego interpretor, et ut omnes quibus tua est nota virtus: cui, autem, ea sit ignota, quae in clarissima luce et maximarum rerum administrationibus sit semper versata? itaque eo mihi gratius fuit judicio absolvi tuo, id est, judicio, ut omnes norunt, veritate ipsa subnixo, non gratia alicujus eblandito aut expresso. Quare integritas tua innocentiae mihi magnum testimonium reddidit, eademque effecit, liceat ut mihi, lucis jam atque vitae libero usu fruenti, hujus generis quaedam edere; eisque edendis et ad te mittendis non solum accepti abs te beneficii memorem me esse ostendere, sed etiam mei memoriam in te renovare. Sed alia alias; nunc huic libello velim pro tua humanitate des locum inter tuos libros, parvo illi quidem, sed quamvis parvo, tamen et multis nominibus tibi a me debito et meae in te summae observantiae omnibus fidem facturo. Vale.

In Psalmum XXVI.

Quamquam hic Psalmus apud Hebraeos ἀνεπίγραφος est, id est, sine historiae argumento, tamen, quod e graeca inscriptione colligitur, videtur scriptus a Davide esse quo tempore Saulem fugiebat, atque ea occasione potissimum, quod ad ipsum Ceilae commorantem confugisset Abiatharus sacerdos, ejusdem Saulis et ipse iram et crudelitatem declinans. Nam cum Dogaeus quidam, genere Idumaeus, Saulis Regis libertus, ad ipsum Regem detulisset Nobe in aedibus summi Sacerdotis Achimelechi Davidem versatum, ab eodem fuisse adjutum, et consilio, et armis, et commeatu, ira exarsisse Saul scribitur, et ut sunt Regum in ira praecipitia consilia, Achimelechum ipsum ad se accersitum et cum eo magnum sacerdotum numerum ferro interemisse, et urbem Nobem, ad quam ne suspicio quidem criminis pertinebat, excindi mandasse etiam traditur. Hac igitur ex caede et urbis ruina tanta unus cum evasisset Abiatharus, Achimelechi summi Sacerdotis filius et ipse Sacerdos summus, ad Davidem se contulit secum deferens Ephod. Id autem fuit apud Hebraeos sacrae vestis genus, quo sacerdotes illorum, cum divina responsa requirebant, semper utebantur. Quae res Davidi dubiis in rebus praesidio ac saluti fuit. Nam quoties consilia sua explicare ipse non poterat, quod vel imminere sibi aliquod periculum metuebat, vel haerebat in rebus dubiis, oblata sibi sacerdotis et sacrae vestis opportunitate utebatur, et per Abiatharum divinum consulebat oraculum, ejusque admonitu, quae instabant, mala declinabat. Cujus rei experimentum coepit paulo post Abiathari ad ipsum adventum. Opem ferebat David per ea tempora Ceilae Judaeorum urbi, cujus ex agro hostes Syri praedas agebant. Id cum Saul cognovisset,

Davidis opprimendi occasionem, cui rei semper studio imminebat, eam optimam arbitratus, comparata militum manu Ceilam versus ire coepit; quod cum incertis rumoribus fama ad Davidem pertulisset, suspicio illi objecta est et metus non levis, num se Ceilani proditurі essent et Sauli tradituri. Qua de re Deum per Abiatharum consulens, cum oraculo didicisset fore, magnum ut vitae periculum adiret, siquidem diutius Ceilae moraretur ob Ceilanorum in ipsum perfidiam, Ceilam mature reliquit.

Igitur in ipso adventus Saulis et copiarum ab ipso comparatarum primo nuntio atque metu, vel certe statim postquam oraculi admonitu laqueos exuit David in quos imprudens se induit, credibile est hunc Psalmum esse confectum, cujus exordia gratulatione de periculo, quod Dei admonitu evaserat, cum tacita quadam et amara hostium suorum irrisione constant, extrema vero in imploranda ac sibi amplius concilianda Dei ope atque gratia ad ea propulsanda pericula, quae restare videbat, versantur. In quo etiam mentio quaedam fit ejus temporis, cum in tabernaculum Dei ex fuga primum se recepit, ibique delituit eo usque quoad se ipse collegit, cujus diei atque facti recens, scilicet, memoria adhuc in illius animo residebat. Cum igitur sanctus David partim laetaretur, quod oraculi admonitu praesens periculum vitavisset, quodque sibi potestas esset Deum, quoties vellet, suo arbitratu rogandi; partim sibi adhuc vehementer metueret ab hostibus suis, quorum quamvis impiasmanus effugerat, tamen eorumdem cruenta odia et insidiae perpetuae, quem tandem exitum habituraе ad extremum essent, pertimescebat; cumque ob eam causam fluctuaret animo alternis et spei et timoris fluctibus agitatus, tandem ab ipsis experimentis fiduciam concipiens Dei auxilium sibi non defuturum, inanes illos et degeneres metus coercuit et, tranquillitate animi ac serenitate constituta, laetus ac bonae spei plenus in has voces prorupit: DOMINUS ILLUMINATIO MEA ET SALUS MEA, QUEM TIMEBO?

In Psalmum XXVI.

Quamquam hic Psalmus apud Hebraeos ἀνεπίγραφος est, id est, sine historiae argumento, tamen, quod e graeca inscriptione colligitur, videtur scriptus a Davide esse quo tempore Saulem fugiebat, atque ea occasione potissimum, quod ad ipsum Ceilae commorantem confugisset Abiatharus sacerdos, ejusdem Saulis et ipse iram et crudelitatem declinans. Nam cum Dogaeus quidam, genere Idumaeus, Saulis Regis libertus, ad ipsum Regem detulisset Nobe in aedibus summi Sacerdotis Achimelechi Davidem versatum, ab eodem fuisse adjutum, et consilio, et armis, et commeatu, ira exarsisse Saul scribitur, et ut sunt Regum in ira praecipitia consilia, Achimelechum ipsum ad se accersitum et cum eo magnum sacerdotum numerum ferro interemisse, et urbem Nobem, ad quam ne suspicio quidem criminis pertinebat, excindi mandasse etiam traditur. Hac igitur ex caede et urbis ruina tanta unus cum evasisset Abiatharus, Achimelechi summi Sacerdotis filius et ipse Sacerdos summus, ad Davidem se contulit secum deferens Ephod. Id autem fuit apud Hebraeos sacrae vestis genus, quo sacerdotes illorum, cum divina responsa requirebant, semper utebantur. Quae res Davidi dubiis in rebus praesidio ac saluti fuit. Nam quoties consilia sua explicare ipse non poterat, quod vel imminere sibi aliquod periculum metuebat, vel haerebat in rebus dubiis, oblata sibi sacerdotis et sacrae vestis opportunitate utebatur, et per Abiatharum divinum consulebat oraculum, ejusque admonitu, quae instabant, mala declinabat. Cujus rei experimentum coepit paulo post Abiathari ad ipsum adventum. Opem ferebat David per ea tempora Ceilae Judaeorum urbi, cujus ex agro hostes Syri praedas agebant. Id cum Saul cognovisset,

Davidis opprimendi occasionem, cui rei semper studio imminebat, eam optimam arbitratus, comparata militum manu Ceilam versus ire coepit; quod cum incertis rumoribus fama ad Davidem pertulisset, suspicio illi objecta est et metus non levis, num se Ceilani proditurі essent et Sauli tradituri. Qua de re Deum per Abiatharum consulens, cum oraculo didicisset fore, magnum ut vitae periculum adiret, siquidem diutius Ceilae moraretur ob Ceilanorum in ipsum perfidiam, Ceilam mature reliquit.

Igitur in ipso adventus Saulis et copiarum ab ipso comparatarum primo nuntio atque metu, vel certe statim postquam oraculi admonitu laqueos exuit David in quos imprudens se induit, credibile est hunc Psalmum esse confectum, cujus exordia gratulatione de periculo, quod Dei admonitu evaserat, cum tacita quadam et amara hostium suorum irrisione constant, extrema vero in imploranda ac sibi amplius concilianda Dei ope atque gratia ad ea propulsanda pericula, quae restare videbat, versantur. In quo etiam mentio quaedam fit ejus temporis, cum in tabernaculum Dei ex fuga primum se recepit, ibique delituit eo usque quoad se ipse collegit, cujus diei atque facti recens, scilicet, memoria adhuc in illius animo residebat. Cum igitur sanctus David partim laetaretur, quod oraculi admonitu praesens periculum vitavisset, quodque sibi potestas esset Deum, quoties vellet, suo arbitratu rogandi; partim sibi adhuc vehementer metueret ab hostibus suis, quorum quamvis impiasmanus effugerat, tamen eorumdem cruenta odia et insidiae perpetuae, quem tandem exitum habituraе ad extremum essent, pertimescebat; cumque ob eam causam fluctuaret animo alternis et spei et timoris fluctibus agitatus, tandem ab ipsis experimentis fiduciam concipiens Dei auxilium sibi non defuturum, inanes illos et degeneres metus coercuit et, tranquillitate animi ac serenitate constituta, laetus ac bonae spei plenus in has voces prorupit: DOMINUS ILLUMINATIO MEA ET SALUS MEA, QUEM TIMEBO?

Quas quidem voces ita David ex sua persona protulit, ut prophetico, quo excellebat spiritu, in Christum Jesum, cujus humana vita, quamvis aerumnosa et telis inimicorum objecta, tamen summis Dei praesidiis communita felicissimum exitum erat habitura, optime quadrare praeviderit, et ex persona illius praecipue accipi voluerit. In quo etiam illud intellexit, formulam quamdam cum Deo agendi a se in hoc Psalmo praescribi, qua cuncti aerumnosi atque miseri, qui in unius Dei praesidio confiderent, communiter uti possent.

Quae res nobis in causa fuit, ut hunc praecipue Psalmum interpretari vellemus, quod ejus pleraque omnia hoc meo tempore apte a me, et vere usurpari posse viderem. A quibusdam enim hominibus, quos non injuria aliqua ipsis a me illata, sed industriae meae opinio nonnulla mihi reddidit inimicos, insidiosissime circumventus et calumniis oppressus, non solum pristinis meae vitae bonis atque ornamentis careo, sed etiam hoc communi spiritu atque libero excludor. Quo in malo, hoc uno solatio me consolor, quo ex Sacratum litterarum lectione et meditatione divinae bonitatis afficior. Nam cum aliquid benigne et misericorditer a Deo factum, aut cum innocentem aliquem de inimicorum manibus liberatum in eis litteris lego, aut cum Dei providentiam atque bonitatem Davidem ita pleno ore praedicantem in his carminibus audio, suasque in Deo omnes spes collocantem ipsum conspicio, divinae mihi bonitatis atque providentiae in animo tantum elucet lumen, tantaque excitatur atque existit in me bona spes, ut minime dubitem, quin nostris ille rebus, id est, veritati, cujus nunquam deserit patrocinium, subventurus aliquando tandem sit, et magnum atque praesens auxilium allaturus. Qua spe fretus omnes hujus mei casus molestias facile et aequo animo perfero, nonnunquamque et ipse cum Davide dico: QUI TRIBULANT ME INIMICI MEI IPSI INFIRMABUNTUR, ET CADENT, illudque saepius quod in hoc ipso carmine scribitur: INSURREXERUNT IN ME TESTES INIQUI ET MENTITA EST INIQUITAS SIBI, meque rursus illis verbis confirmo: QUONIAM PATER MEUS ET MATER MEA DERELIQUERUNT ME, DOMINUS AUTEM ASSUMPSIT ME, illisque maxime: SI CONSISTANT ADVERSUS ME CASTRA, NON TIMEBIT COR MEUM: SI EXURGAT ADVERSUS ME PRAELIUM, IN HOC EGO SPERABO. Sed de nobis alias, nunc Davidici carminis interpretationem aggrediamur, quod ex persona Davidis nobis enarrandum in primis est, sic tamen, ut cum visum fuerit, ad Christi personam proprie et ad miserorum communem causam universe tractandam libere digrediamur. Jam igitur, quid dicat, audiamus.

I. —¿Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? ¿Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?

Jure tu quidem ista, sancte David: nam si Dominus lux tua est, quae tanta malorum nox potest irruere, quae mentem tuam tenebris errorum involvat? Si idem salus, quis tibi a morte potest inferri timor? Si robur tibi atque vires Deus suppeditat, quem contra quamvis infestissimum hostem non consistes? imo, quas hostium copias non delebis? Tria bona commemorat, lucem, salutem, robur, quibus animi vita contineatur. Etenim totidem infestamur malis. Nam aut ignorantiae tenebris a vero aberramus, aut animi imbecillitate et tanquam morbo a recto deficimus, aut hostili et externa vi impellimur ad malum. Itaque nostri Theologi beatae vitae consequendae rationem et instrumentum omne in his rebus positum et collocatum putant: primum, si Deus nostrae menti veritatis lumen praeferat, deinde si infusa coelesti justitia animum languentem sanet, postremo si adversus hostiles infestationes et insultus continenter ipse nos protegat, et robur nobis adjiciat ad perseverandum in bono. Atque ut isthaec Dei dona in se agnosceret sanctus David, et ea cum laetitia et gratula-

tione praedicaret, rebus ipsis, quas paulo ante expertus fuerat, adducebatur. Nam cum Ceilae in maximo vitae discrimine versaretur, idque ignoraret ipse, Deus illi et dubitanti lumen oraculo praetulit, et periclitanti salutem fuga attulit, et fugienti pro arce munitissima fuit, quippe qui illum in tutissimis locis collocarit. Itaque lumen ad oraculum redditum, salus ad declinationem instantis periculi, protectio ad opportunitatem loci editi atque muniti, in quem se contulerat, referenda sunt. Quibus rebus commemorandis cum sibi David gratulari intelligendus est, ut ante dixi, tum etiam confirmare et erigere animum suum ad deinceps intrepide agendum, et si quae adhuc timoris vestigia in ejus mente remanserant, ea hujus a Deo accepti beneficii recordatione delere atque obliterare, et cum animo suo quodammodo ita loqui censendus: Quid agis, anime? quid paves? quid causae habes, cur jam amplius sollicitere? estne in quo nocere tibi hostes tui possint? num dolo te aut consilio praevertent? num viribus aut copiis superabunt? Deus tibi lumen praefert, quid agere, a quo tibi cavere debeas per singula momenta te docet: *Deus ponit pedes tuos tamquam cervorum*, et in excelsis te atque munitis locis ab incursu inimicorum tutum constituit: idem exhibet se tibi et in itinere ducem, et in fuga comitem, et in exilio socium: idem et in rebus dubiis consilio, et in auxiis solatio, et in formidolosis ac periculi plenis auxilio te juvit: scis haec ita esse, expertus ipse es, degenerem ergo et inanem timorem pone atque abjice; etenim tam longe abesse debes ab eo, quam longe abes a periculo, a quo, quando salus tua Deo curae est, profecto abes longissime.

Sed David, optimus vir atque sanctissimus, ut de favore et auxilio Dei laetaretur, adducebatur iis beneficiis, quae paulo ante plurima atque maxima Deus in ipsum contulerat: ut vero speraret id sibi perpetuum futurum, egregia quadam, qua se pollere apud Deum non nesciebat gratia, consequebatur. Nos autem, quicumque ejusmodi sumus, ut cupiditatibus devicti nostris Deum nobis iratum nostra culpa reddiderimus, cum mala insurgere et obsidere nos incipiunt, cumque incidimus in adversam aliquam et acerbam fortunam, qua spe niti poterimus? ad cujus auxilium confugiemus? cui salutem commendabimus nostram? quibus copiis confisi minas et insultus malorum despiciemus? utrum nobis peccatoribus, et flagitiosis, et a Dei gratia nostro peccato repulsis idem, quod homini sanctissimo, dicere atque jactare licebit: DOMINUS ILLUMINATIO MEA ET SALUS MEA, QUEM TIMEBO? Est ille quidem lux atque salus proposita omnibus, sed ego miser meis peccatis me ea luce privavi, et in densissimas tenebras conjeci. Adfert Deus salutem, quod ad se attinet, universis, sed ego peccando salutem divinam a me repuli, et perniciem certam mihi accersivi. Quid ergo est? deficiam animo, et adversis succumbam, meque inimicis meis vinciendum et constringendum tradam? minime istud quidem, ut cedam atque deficiam, resistam potius atque hoc ipso acrius ac vehementius et precibus et votis contendam; etsi mihi facultatem mea flagitia ademerunt communiter cum David dicendi: DOMINUS ILLUMINATIO MEA ET SALUS MEA, QUEM TIMEBO? at profecto nulla res obstiterit, queminus submisse et suppliciter dicam: Domine, esto lux mea, esto salus mea ne timeam. Quare desperet nemo, nec se ab hujus orationis communione exclusum quis putet: nam sive gratia apud Deum valet, et potest certe idem quod David vere dicere: sive gratia Dei privatus est, et potest poenitendo assequi idem ut dicat; quandoquidem quam certum est Deum suis pro luce in rebus turbidis et pro salute esse, tam exploratum esse debet eorum, qui deserta iniquitate ad hunc numerum bonorum virorum aggregare se velint, nemini aditum intercludi. Nam qui fiat, ut Deus ab bonam mentem redeuntes ab se repellat, qui viae atque virtutis oblitos et in peccatis morantes blandissime vocet? Vocet dixi,

imo hortetur, imo illis, modo ipsum audire velint non solum delicti veniam, sed justitiae atque gratiae apud se magnum gradum, firmumque ad bene vivendum suae providentiae praesidium, atque adeo post bene actam vitam opes immensas et praemia sempiterna polliceatur. *Venite*, inquit *(Matth.* XI), *ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*, et per Prophetam *(Psal.* CXLIV): *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate*. Quare si prope adest, vel certe quoniam semper prope adest iis, qui ipsum invocant opem paratus afferre, invocemus audacter ipsum omnes, et cum Davide dicamus alacriter tum illud: DOMINUS ILLUMINATIO MEA ET SALUS MEA, QUEM TIMEBO? tum hoc, quod statim subjicitur:

2. — Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas: qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

Quod David dixerat a Deo salutem atque praesidium sibi esse paratum, quodque ea de causa imperaverat animo suo, nullos ut hostium conatus metueret, id ne quis fortasse arbitraretur ab inani fiducia potius quam a veritate ipsa profectum, et arrogantius quam verius dictum esse judicaret, argumento ducto ab iis rebus, quas expertus ipse in se esset, probat atque confirmat. Cum enim, inquit, aliquando hostes in me mei irruissent feri et cruoris avidi (quod vel ad illud tempus, cum domum ad Davidem a Saule sunt missi satellites, qui illum cubantem obtruncarent, vel certe ad hoc, quod dicimus fuga evasisse, periculum, quod ipsi a Ceilanorum perfidia imminebat, est referendum); igitur, inquit, cum odio inflammati et sanguinis mei hauriendi cupiditate incensi, saevi atque truces hostes instarent, mihique ipsi nulla expediendae salutis commoda ratio videretur esse reliqua, in ipso illorum ad me opprimendum cursu et lethalem plagam inferendi tem-

poris articulo, illi spe sua frustrati misere corruerunt, ego autem laetus evasi. Quae hujus versiculi sententia, etsi satis commode expressa est in ista, qua vulgo utimur, jure probata et cunctis latinis editionibus antelata, editione Psalmorum; tamen mire elucet in hebraico sermone, verbum si pro verbo reddatur, hoc videlicet modo: IN IPSO APPULSU NOCENTIUM ADVERSUS ME AD EDENDUM CARNEM MEAM, HOSTES QUIDEM ET INIMICI MEI IN ME, AT IPSI IMPEGERUNT ET CORRUERUNT. Sic enim legimus inimici mei לי, cujus voculae hoc loco magna vis est ad irruentis, ut diximus, et jam plagam pene inferentis hostis incursum declarandum. Quod autem Graeci interpretes verterunt κακόμενοι, id est, *nocentes*, et Hieronymus in germana illa Psalmorum ex hebraeo traductione vertit *maligni*, id, quoniam hebraeum verbum מרעים parvo punctorum vocalium discrimine, vel malefacientes significat, vel amicos, fortasse aliquis hoc potius modo isto loco id verbum accipiat, nulloque recti sensus periculo vertat: DUM APPROPIANT SUPER ME AMICI MEI, UT EDANT CARNES MEAS, eos ut homines David simulate appellet amicos, qui cum amici illi esse deberent, quod ab eo multis ac magnis beneficiis affecti essent, necem tamen ei et interitum moliebantur, quales erant Ceilani. Nam quos capitis sui periculo ab hostium incursu tutos reddebat ipse, quosque ob recens beneficium fideles futuros arbitrabatur sibi, eorum perfidia pene proditus fuit. Hos igitur atque his similes alios appellat sodales suos David, omni, scilicet, hoste nocentiores amicos: utrosque autem, et hos fallaci specie textos inimicos, et illos apertos et professos suos hostes Saulem Saulisque satellites, quos צרי, id est, oppressores suos vocat, in ipso aggressu et praedae capiendae articulo, praeda e manibus elapsa, falsos spe atque delusos turpiter corruisse, cum gaudio et irrisione commemorat.

Atque harum quidem rerum, quae his duobus versiculis continentur, nimirum et periculi amicorum fraude crea-

ti, et belli per eos qui se profitebantur hostes illati, et ad opprimendum hominem innocentem coitionis factae ab utrisque, ad haec in ipso pene certaminis conflictu divinitus oblati praesidii, cum innocentis salute et hostium ignominia atque ruina, tanquam vestigia quaedam atque signa in iis rebus, quae Davidi evenerunt, reperiuntur impressa: imago tamen vera in Christi Jesu humana atque mortali vita sic extat, ut minime dubitari debeat, quin eam sibi propositam habuerit David, cum ista canebat. Nam ut praeteream, quae superiori versu dicuntur, proprias Christi voces videri; etenim alii quamvis justi viri de divina luce splendoris aliquid ad se derivant, et de immensis Dei opibus nonnullas ad se transferunt copias, et de illius infinita vita nonnihil, quod tamen ipsis satis superque sit, hauriunt et accipiunt, nemini tamen ipsorum datur, ipsa ut met vita atque luce Dei vivat atque illustretur: at Christo Jesu, in quo *corporaliter*, ut Paulus scribit *(Coloss.* I), *plenitudo divinitatis inhabitat*, communione quadam divinorum bonorum et cum Dei Verbi persona humanae naturae ineffabili unione, ipse Deus pro salute, pro vita, proque fortitudine est; itaque ut hoc praetermittam, proprie Christo competere, ut dicat: DOMINUS ILLUMINATIO MEA, ET SALUS MEA, QUEM TIMEBO? quis hunc alterum versiculum audit, cui non statim in mentem venit illius noctis, in qua Dominus Jesus impia Judaeorum, et Romanorum militum manu comprehensus atque vinctus fuit? Nam quis unquam amici persona tectus inimicior caedisque avidior fuit, quam proditor Judas? quisve accessus atque congressus, aut in speciem magis blandus, aut re ipsa magis hostilis eo ejusdem Judae ad Christum accessu esse potuit, cum ipsum deosculatus militibus, qui Christum comprehensuri venerant, quibusque se ille ducem praebuerat, ea re signum dedit ad comprehendendum, et quod erat pacis et amoris symbolum, eo pro classico ad ineundum praelium usus est? Quid? nonne et hunc occultum hostem et alios palam invadentes inimicos sola

voce Christus ita perterrefecit atque prostravit, ut quod reliquum est hujus versiculi quodque sequitur: QUI PERSEQUUTI SUNT ME INIMICI MEI, IPSI INFIRMATI SUNT, ET CECIDERUNT, in re gesta dici, non vaticinium de futura esse jure omnibus videatur?

Quamquam non in illa nocte modo atque in illis tenebris hostes in se irruentes Christus devicit; sed multo verius postera et in sequenti die media luce, cum ab eisdem indignissima morte affectus est, ipso illo actu moriendi ipsoque extremo spiritu debellavit. Debellavit, inquam, tum Judaeos funestae illius caedis satellites et ministros, tum Satanam Satanaeque addictas aereas potestates, tanti sceleris duces et auctores, sicut Paulus scripsit *(Coloss.*, II): *Spolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* A cujus enim vita daemones suae tyrannidi arbitrati sunt exitium imminere, quemque ob eam causam interficere studuerunt, is moriens domos illorum evertit, regna vastavit, imperium extinxit, hominesque eos, quos captos illi et constrictos tenebant, in lucem libertatis asseruit, ipsosque hostes Christus non quidem illos repellendo aut se contra inferendo, sed sustinendo et telum quodammodo totum corpore recipiendo vicit et contrivit, ipso scilicet illorum incursu atque impetu, probe ut naturam illius referret lapidis, quo de scriptum est *(Matth.*, XXI): *Qui autem ceciderit super illum conteretur.* Nam et haec illi nequissimo serpenti tanquam fata jam inde ab initio Deus praecinebat, cum ei dixit *(Genes.*, III): *Tu insidiaberis calcaneo ejus, ipse autem conteret caput tuum.* Colubri, enim, in obvium aliquem impetum interdum faciunt, et pedem ei mordent, nam altiora ore petere nequeunt; id cum accidit, saepe etiam evenire solet, ut is, cujus mordetur pes, calce comminuat colubro caput, quod ille nocendi causa pedi prope subjecit: ita fit, ut coluber, dum alterius laedit pedem, ipse in capite plagam accipiat, eamque accipiat ipso eodem pede quem petebat percussus, et quod primum erat,

non petitus ad necem, sed petens ipse alium. Eadem igitur illi hosti, qui cum natura optima esset conditus, suaque ipse sponte pravus effectus esset, serpentis astum imitatus ejusque in se suscipiens formam, lethale in nos virus infudit, eventura praedixit Deus, siquidem unquam ausus fuisset, vel potius quoniam futurum erat, ut auderet calcaneum Christi adoriri; quod et evenit. Nam, primum, dum omnia venena sua adversus Christum expromit in carne Christi et in ejus humana vita laedenda, quae infima et terrae veluti proxima pars illius est, constitit ipsius omnis impressio; ipse autem, et regno et male parta dignitate spoliatus, in capite ut minimum lethalem accepit plagam. Deinde, non a Christo ille circumventus aut in certamen evocatus est; sed circumveniens ipse Christum et impetum in illum faciens, sibi pestem concivit. Postremo, victus est neque magnis copiis, neque armorum aliquo genere inaudito et novo, sed ea ipsa re, in qua, ut sibi visus est, superior erat eo pede, id autem est, carne ea, cui vulnus intulerat, ea vita quam morte extinxerat, atque adeo ipso illo a se illato vulnere atque morte male ipse et perpetuo periit. Nam e Christi sanctissimo corpore vulneribus confosso immensa vis pretiosissimi sanguinis profluens, beatum quidem piorum hominum populum a peccatis atque a delictis expiavit et emundavit omnibus; Ægyptios vero insequentes, hoc est, daemonum bonis viris infesta agmina, undis illis sui sanguinis veluti obruta, delevit et extinxit. Itaque, quam antiquus ille serpens Christo molitus est necem, ea exitialis ipsi fuit, et ut scriptum est: *Incidit in foveam quam fecit*. Et ad Christum oppugnandum aggressus, in ipsa aggressione, ut hic dicitur, infirmatus est atque cecidit. Sed jam ad Davidem revertamur.

3. — Si consistant adversus me castra, non timebit cor meum si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.

Quae est ex tota superiori oratione collecta sententia, qua sanctus David de eo, quod suas res Deo curae esse videbat, fiducia concepta asseverat tantum abesse ab eo, ut suorum hostium minis moveatur, ut ne, si se undique obsideant atque circumstent, in timore futurus sit; etenim sibi spem addi ea re, non metum injici. Sed quod dicitur: IN HOC EGO SPERABO, ambiguum videtur, utrum in Deo an in ipso eodem cujus meminit bello spem suae salutis constituat; sed haec ambiguitas in oratione latina est, nam in graeco et hebraico sermone, quod ex codicibus graece liquet et hebraice conscriptis, nulla plani sensus latebra aut obscuritas latet. Nam in hebraico sic: בזאת אני בוטח Septuaginta porro: ἐν τούτῳ ἐγὼ ἐλπίζω; in quibus satis apparet Davidem hic bellum atque hostium castra demonstrare, et in eis ipsis hostium suorum armis spem incolumitatis suae posuisse dicere, quo magis ex eo perspiciatur divinae potentiae magnitudo. Nam, profecto, qui Deum pie colunt, id ab eo roboris in animo accipiunt, ut in desperatissimis suis rebus non modo non frangantur metu, sed etiam ut ea ipsa, quae sibi adversa esse et inimica vident, pro ipsis stare et pro instrumentis ad victoriam obtinendam sibi esse arbitrantur; neque temere id aut sine idoneo argumento, quod sit maxime proprium magnitudinis et sapientiae summi Dei, consilia et conatus malorum hominum in suam ipsorum perniciem convertere eosque capere atque irretire suis ipsorum artibus. Etenim illud est maximum victoriae genus, cum hostes nostri iis ipsis, quibus fidunt, et armis a nobis et artibus superantur. Quod ut planius intelligatur, altius ista nos et tanquam a capite repetamus.

Duae sunt rationes, sive duo tempora potius (nec enim plura esse possunt), in quibus servis suis Deus opem solitus

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est et praesidium afferre. Nam aut praevertit mala, atque adversa, antequam adveniant, et eorum causas praecidit, aut posteaquam advenerunt et in servos ipsius incumbentia eos oppresserunt, admirabili aliqua nec opinata ratione dispellit ea et ad nihilum redigit. Quarum rationum illa prior suavior fortasse ipsa est et optabilior, iis praesertim qui parum adhuc in virtute profecerunt, quique nondum satis virium collegerunt in animo suo ad malorum acres morsus fortiter perferendos. Talibus, enim, optandum est vitae hujus tamquam navigationis cursum, sereno coelo marique tranquillo, sine ventorum insultu et sine jactatione conficere. At vero alia ratio posterior, cum praestabilior judicatur esse, tum a Deo saepius usurpatur, propterea quod et utilior nobis est, et Dei gloriam illustriorem reddit. Nobis, enim, reflantes ventos nonnumquam et adversa tempora pati valde quidem est utile atque conducens, vel ad animi parandam virtutem, vel ad eamdem, siquidem jam parta sit, alendam et, quando interdum sopita jacet, excitandam: gloriosum autem Deo, quae superari nullo modo humanis viribus atque consiliis mala possunt, ea, cum se maxime corroboraverunt maximeque exaggerata sunt, nullo negotio et tanquam nutu dispellere, et charos ipsi populos, ab impiis hominibus praedae loco habitos, e mediis ipsorum faucibus eripere suisque ipsos evertere et machinis et consiliis. Quo de genere illa sunt, quae sanctus Moses, mare rubrum transgressus, Deo scribitur cecinisse (*Exod.* XV), ut: *Dixit inimicus: Persequar et comprehendam, dividam spolia, et implebitur anima mea: evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, et faciens mirabilia?* et quae sequuntur.

Nam, profecto, advenientia mala ante videre, et illorum impetum avertere, aut certe ipsos malorum fontes excindere, est illud quidem ad beneficii rationem peramplum,

sed ad fidem faciendam de bonitate et potentia Dei ambiguum et obscurum. Id, enim, a Deo administrari atque fieri ita homines ipsos, de quorum agitur salute, saepe latet, ut quoniam mali quod instabat periculum non fecerunt, quale et quantum beneficium acceperint, nonnumquam etiam utrum omnino acceperint, nesciant. Quod si et ipsi malum imminere sibi aliquod aliquando cognoscant, atque ad praecavendum id atque vitandum aliquid ipsi operentur et faciant, itaque accidat, ut vitent quod impendebat malum atque declinent; tametsi ipsi sibi re ipsa auxilio non fuerint, tamen fuisse auxilio sibi putant, suasque partes in tuenda salute sua nonnullas fuisse gloriantur; neque pati possunt aequo animo ullo modo, ut Deus, cujus unius cura atque sapientia mali cursus aut impeditus est aut alio conversus, solidam istam gratiam ab ipsis ineat. Ex quo fit, ut Deus qui et suae gloriae studiosissimus est et salutis nostrae cupidissimus, hanc viam auxilii ferendi minus saepe frequentet; illud vero alterum iter saepius insistat, idque adeo interdum studiose faciat, ut oblivisci servorum suorum nonnumquam et lente ac remisse agere videatur, impios furere homines et in bonos impotentes saevire ac bacchari permittens, quo paulo post ex eisdem illis, qui se jam pro victoribus inferebant, devictis atque mactatis, et servis suis eis, quos periculo eripuit, majorem causam laetandi et reliquis mortalibus universis laudandi se atque celebrandi uberius argumentum exhibeat. Sicut scriptum est (*Exodi* XIV): *Dicturus est Pharao super filiis Israel: Coarctati sunt in terra, mare illos conclusit. Et indurabo cor ejus, et persequetur vos, et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus.* Quod ipsum re praestitit: nec ex innumerabili copia exemplorum, quae nobis suppeditant Sacrae litterae, ad id, de quo agimus, magis accommodatum magisque illustre exemplum ullum proferamus.

Nam cum Judaeorum populus, qui Mose duce decedens ex Ægypto, felicia Palaestinae loca et avitas sedes pete-

bat, in varia pericula incidisset, Deo id non permittente solum, sed quodam modo agente, in ipso periculorum ac discriminis summo articulo praesens illi auxilium atque salus semper ab eodem ipso Deo mirabiliter est oblata, adeo ut totum illud iter, quamvis et spatiis locorum et temporis diuturnitate longissimum, non magis castris et stationibus Judaeorum, quam in ipsorum periculis auxiliorum divinitus collatorum notis atque signis fuerit distinctum. Excesserunt ex Ægypto cedentes, paululumque progressos et in iniquum locum adductos Ægypti Rex, Pharao, magnis copiis maxima celeritate collectis, ipsos insequutus est: hic cum neque resistere inermes armatis possent, neque se in fugam dare locorum iniquitate conclusi, quod ab utroque latere vasta solitudo atque montes, ante vero obstaret objectum mare, a tergo autem hostis instaret, divisit Deus subito aquas maris viamque per medios fluctus dedit populo suo; quam viam Judaei ingressi, incolumes in adversum littus pervenerunt: Ægyptios, vero, qui eadem via ausi sunt Judaeos insequi, divisae aquae una rursum coeuntes misere immerserunt. Vix mare trajecerant, cum laborare coeperunt fame atque escarum inopia; cui inopiae Deus et statim et copiose subvenit. Nam coelesti rore concretum cibum suavissimum illis dedit, neque dare destitit, quandiu in desertis illis locis versati ipsi sunt, id est, per annos quadraginta. Nec multo post, cum aquae penuria premerentur, scaturire e rupe fontem fecit. Idem rursus serpentem erexit aeneum, cujus aspectu sanarentur, quicumque venenatorum serpentum morsu saucii essent: sauciabantur autem quotidie plurimi, magnoque cum dolore atque cruciatu vitam amittebant, quod ea loca venenatis serpentibus abundarent. Sed quid singula persequor, quae cum innumerabilia sunt, tum omnibus, qui Divinas litteras legent, sunt aeque atque mihi nota? Illud tantum dico, cum iis malis ille populus premeretur, ut miser omnino esse et aerumnosus iis, qui procul ipsum aspexissent, vi-

deri omnibus posset, factum tamen esse, Deo in ipso tempore auxilium illi semper atque opem ferente, ut non solum malì expers esset, sed ut etiam felix et beatus evaderet. Quod Esaias vates, eisdem de rebus agens, scripsit: *Et in omni*, inquit (LXIII), *tribulatione sua non est tribulatus*. Atqui pronum fuerat Deo paucorum dierum itinere, nulla circuitione, nullis ambagibus, nullo viae errore laborum et periculorum expertes Judaeos in promissae terrae possessionem inducere. Utrum, igitur, illorum felicitati invidisse putandus est Deus, an potius consuluisse et prospexisse eorumdem saluti? prospexit certe saluti illorum, suaeque simul in eo gloriae consuluit. Nam dum potentiae suae et erga illos providentiae tot edit ipsismet spectantibus et tam illustria documenta, id assequutus profecto est, ut se deinceps illi, quod ipsorum salutis atque adeo pietatis totius caput erat, et ardentiori prosequerentur charitate et majoribus quotidie laudibus celebrarent; qui unus ex tota ista providendi et benefaciendi ratione, maxime gratus Deo atque optatus, fructus percipitur.

Id, igitur, quia cognoscunt et sperant justi homines, in malis videlicet et asperis suis rebus auxilium Dei sibi praesto affuturum, idcirco cum in mala incidunt, non modo aequitatem animi facile retinent, sed etiam in medio ipso metuendarum et horribilium rerum tumultu maxima pace et quiete fruuntur; et quo magis humana praesidia eos deficiunt, eo magis salutem suam esse Deo curae et celerius ab ipso auxilium sibi affuturum credunt. Itaque, animo erecti atque alacres, speque optima pleni, non modo se non dant aegritudini atque moerori, aut humile quidquam faciunt suppliciter et demisse; sed ne, si quid fortassis opis atque virium in ipsis est ad nocendum suis hostibus, eo aut utuntur, aut ut injuriam sibi ab ipsis illatam alia injuria repellere, aut omnino parem vicem illis reddere velint, animum suum unquam inducunt, quin potius illorum impugnationem suam propugnationem, inimica ipsorum con-

silia sua esse praesidia arbitrantur, vires, copias, opes illorum pro suis ipsi summis opibus ducunt, scientes quod Paulus (*Rom.*, V) scribit, quod *tribulatio patientiam operatur, patientia spem, spes autem non confunditur*; dicuntque et ipsi cum Davide: SI CONSISTANT ADVERSUM ME CASTRA, NON TIMEBIT COR MEUM. SI EXURGAT ADVERSUM ME PRAELIUM, IN HOC EGO SPERABO. Sequitur:

4. — Unam petii a Domino, et hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini cunctis diebus vitae meae; et videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.

Voluptatem non voluntatem in emendatis Vulgatae editionis codicibus legimus, cui lectioni hebraea atque graeca exemplaria suffragantur. Visitandi, autem, verbum hoc loco ex hebraicae vocis, cujus loco ponitur, significatione interpretatum significat lustrare et curiose inquirere: itaque visitare templum, quod hic dicitur, idem est, quod adyta illius omnia perlustrare. Nam hoc desiderat, aut certe desiderare se dicit sanctus David, atque ita desiderare ardenter, ut nisi id adipiscatur, conquieturus non sit, nimirum, versari semper in sanctissimo templo et tanquam in oculis Dei, ejusque sacri atque pulcherrimi habitaculi optatissimo aspectu semper frui, et quotidiano ipso et domestico usu nota sibi facere omnia illius quamvis arcana et interiora loca. Quae, quamvis de visibili et in terris posito Dei tabernaculo, cujus summa erat apud Hebraeos religio, dicantur a Davide; etenim modo in illo delituerat Saulis iram fugiens, itaque vigebat in ipsius animo ejus loci, qui sibi salutaris quidem modo, dulcis autem atque gratus semper antea fuisset, maximum desiderium; quamvis igitur haec de tabernaculo Mosaico dicantur, tamen proprie referenda sunt ad aethereum atque invisibile Dei templum et ad coelestem cum Deo vivendi rationem eam, qua, cum ab hac vita discesserunt, pii homines ac sancti

fruuntur, et in quam ipse David incenso studio ferebatur. Nam ejus rationis atque vitae coelestis terrenum illud tabernaculum atque templum imaginem referebat.

Sed quorsum haec dicet aliquis? aut qui cum superioribus conjungantur? Optime illa quidem inter se, aliusque ex alio versiculus tam nexus est, quam animi affectus, qui hisce versiculis explicantur, alii nascuntur ex aliis. Itaque, naturam ipsa imitatur oratio. Etenim spes contraria timori est, nam timor ex opinione imminentis mali oritur, spes ex opinato futuro bono; unde mali timor pelli nequit, nisi boni futuri spe: quo fit, ut depulsi timoris commemoratio ipsa statim cogitationem nobis subjiciat ejus boni, cujus consequendi spe firmatus et corroboratus animus timere desiit. Quae, quemadmodum in cogitationem et se in mentem veniunt, sic etiam in oratione ponuntur; quod certe David hoc loco fecit. Nam posuerat superius atque affirmaverat, ne si undique hostes ipsum obsiderent sui, se in timore futurum ullo modo. Sed quae res istos tibi animos facit, sancte David, ipsum si roges? quave id fiducia jactas? Quia, inquit, nihil mihi ab inimicis posse noceri video. Etenim in iis rebus spes omnes meas atque fortunas constitui, quas mihi adversarii mei nunquam eripient. Nam votorum meorum atque bonorum omnium haec summa est: Deo semper assistere, ab eo nunquam divelli, in splendidissimo coeli loco, quae propria ejus est sedes, perpetuo versari, illis coelestium spirituum sanctissimis coetibus jugiter interesse, vivere in luce semper, in gaudio, in veraе gloriae sempiterno splendore. Mihi omnis ratio cum virtute est, cum pietate, cum Dei cultu; caetera, in quibus casus et fortuna dominantur, nec ipse valde appeto, neque ad me plane pertinere puto: in iis ludat fortuna ut volet, irruant hostes atque grassentur, suo arbitratu praedas agant, facile patiar me iis spoliari rebus, quas neque pro meis neque pro bonis unquam duxi. Meum bonum unus Deus est ejusque divini boni sempiterna possessio; cujus vel spem

vivo vel fructum mortuo nemo mihi hostis eripiet. Et sane duae res sunt, quae bonos viros in malis atque in laboribus constitutos maxime consolantur. Una est illa eorum spes, quam in Deo opitulatore atque adjutore suo firmiter collocatam habent; de qua spe superiore versiculo satis est dictum. Altera, quod quae illi pro suis bonis ducunt eam naturam habent, ut in hostium potestatem venire aut, possessoribus invitis, eripi nullo modo possint. Nam hostilis vis cum eo usque progressa est, vitam ut eripiat bonis atque innocentibus viris, ulterius quo progrediatur non habet; id vero si hostes effecerint, sique invisum sibi bonorum sanguinem hauserint, non modo nihil mali illis attulerint, sed etiam plurimum boni contulerint. Mors, enim, in hominibus justis per sophisma quodammodo dicitur. Etenim vivunt tunc maxime, cum primum ab his terrenis et mortalibus excesserunt locis: *Scimus*, inquit Paulus (II *ad Cor.*, c. V), *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed aeternam in coelis.* Id, igitur, quia boni sciunt, aut si minus quam Paulus sciunt, certe, si per ipsos non stoterit, certo futurum credunt atque cognoscunt, erecti atque alacres, fortunae tela non modo despiciunt, sed nonnunquam etiam cupide excipiunt tanquam suae segetem gloriae.

Quod si qui sumus, qui adversarum rerum vel metu terreamur adhuc vel praesentia afflictemur, id non tam in ipsa re quam in errore nostro esse, et idcirco nobis accidere existimare debemus, quia vel ignoramus adhuc veri rationem boni, vel in eo quod compertum habemus, fallacis hujus vitae illecebris deliniti, nondum satis alte atque firmiter omne nostrum studium defiximus. Quare quicumque hujusmodi sumus, revocare debemus animum ad meliorem rationem, et ut ipse se ac sua bona cognoscat efficere. Quae ille, cum in una virtute et ardenti erga Deum charitate ac pietate ac coelestis vitae fructu ponenda intellexerit; cumque ad ea consequenda bona, Deo in primis opem ipsi et auxilium ferente, satis facultatum atque virium in se inesse perspexerit; cumque eas vires atque facultates sibi invito adimi non posse, cognoverit; profecto, et bona sua ista, in sua unius potestate posita, ab omni malevolorum et invidorum hominum incursione et injuria esse libera judicabit, et omnes acerbos vitae casus contemnet, et tanquam de excelso et munito loco inanes hostium suorum clamores, vicisse se jam et debellasse arbitrantium, negliget atque ridebit, hocque Davidis ad omnia fortunae damna atque tela tanquam scutum opponet: UNAM PETII A DOMINO ET HANC REQUIRAM, UT INHABITEM IN DOMO DOMINI CUNCTIS DIEBUS VITAE MEAE. Nam, per Deum immortalem, hostis amare, quid insolescis? quid potuisse te atque effecisse tantopere jactas? in quo putas nocuisse aut nociturum esse te mihi? Omni, inquis, te dignitate spoliabo.—At innocenter atque integra fide actae vitae conscientiam nunquam eripies. Efficiam, ut de te cuncti homines male et loquantur et judicent.—At Deus, cujus unius sunt incorrupta judicia, judicabit bene. Quamquam qui, quaeso, sunt isti homines, aut quot, aut quandiu judicabunt? Quin vitam eripiam tibi.—Bene profecto narras, ab invidorum, scilicet, et malevolorum et tui similium hominum grege ad beatos bonorum virorum coetus me transferes.

Sed sententiae hujus versiculi tanquam genus vidimus; nunc singula ejus verba breviter percurramus. UNAM PETII.—Libido atque cupiditas plura appetit, neque satiatur unquam; at recte instituta ratio unum bonum, quod et ipsum summum sit bonum, desiderat. Nam neque bina aut plura esse possunt summa bona. PETII A DOMINO.—Recte a Domino, quoniam vanae sunt cogitationes hominum, in se satis virium atque praesidii esse arbitrantium ad felicem et beatam vitam, aut eam collocantium in aliquo terreno atque interituro bono. Aliunde enim, id est, a Deo ea nobis petenda et accersenda est; nec solum a Deo pos-

tulanda, sed collocanda etiam in solo ipso. ET HANC REQUIRAM.—Omnes quidem veram sibi felicitatem optant, plurimi etiam petunt, pauci requirunt, quando requirere est, cura atque diligentia adhibita, iterum atque saepius quaerere. Atqui nisi qui requirunt, id est, qui perseverantes in studio virtutis instant, et tanquam pulsant ad ostium divinae pietatis atque clementiae, eam nulli consequentur. Vere enim dictum est (*Matth.* XXIV): *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Sed quid David requirat, audiamus: UT INHABITEM IN DOMO DOMINI OMNIBUS DIEBUS VITAE MEAE. Plurimi sunt, quos cum virtute versari et apud pietatem tanquam hospitari eo usque delectat, quoad, scilicet, eorum intestinae cupiditates, nimia ipsa copia obtusae atque consopitae, silent in ipsis atque quietem agunt; qui iidem, cupiditatibus postea reviviscentibus et ex intervallo redeuntibus ad primum earum aspectum atque vocem, virtuti hospitium renunciant et ad nota sibi lustra demigrant. Contra autem sanctus David, non ad breve aliquod tempus desiderat versari cum Deo, sed per totam vitam perpetuo cum illo esse; neque hospitari apud illum, sed in eisdem aedibus communiter habitare. Intelligens, nimirum, crebros illos et alternos ad virtutem accessus atque recessus illasque itiones et reditiones animi esse non solum levis, sed etiam ejusmodi, quo de sperare non possis ipsum aliquando, non dico praeclarum aliquid, sed ne mediocre quidem, vel effecturum vel assequuturum.

UT INHABITEM IN DOMO DOMINI.—Apte hoc eloquitur atque vere. Sola enim beata vita jure domus dicatur; domus, inquam, in qua stabilis ad quiescendum sit et ad suaviter inhabitandum sedes. Nam caeterae res, quas plerique insano interdum studio insequuntur, opes dico et voluptates, potestatesque et imperia, habent illae quidem speciem quamdam boni, sed levem speciem atque fallacem; itaque alliciunt ad sese amoenitate quadam eos, qui vitae hujus iter insistunt, et de via fessos ipsos et aestuantes collocare tanquam in umbra possunt: diu, autem, illos in quiete continere, aut requiescendi et commorandi diutius apud sese facultatem illis dare non possunt. Idque ita esse, vel illi ipsi maxime testificantur, qui stultitia atque errore caeci, ipsumque ignorantes domicilium boni, ad illa specie ampla, re autem ipsa omni supellectile vacua, diversoria se contulerunt. Notae enim sunt illae istorum hominum voces (*Sapient.* v): *Quid profuit nobis superbia? et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, tanquam nuntius percurrens*, caeteraque quae in hanc sententiam plurima lamentantur; quod unum in omni ipsorum vita vere profecto sunt loquuti. Veteris, enim, domicilii atque fallacis subita ruina semel oppressi, tunc plane senserunt in exitium sibi id esse conversum, quod ad requiem putaverunt fore, speque sua ipsos misere fuisse frustratos. Quanquam illi ne in ipso quidem tempore, cum requiescere sibi videbantur, ullum verae tranquillitatis atque quietis fructum, mea quidem sententia, percipiebant. Nam quis ignorat quanti avaris suae constent divitiae? quibus sit obnoxia molestiis atque adeo miseriis honorum ambitio? quam nulla sincera atque homine digna voluptas sit in vita voluptaria? imo, quot occultentur et quam saevi sub horum splendore nominum tortores animorum? Quoniam sic certe natura comparatum est, ut quamdiu rebus utimur, quatenus a natura ipsa nobis concessum est illis uti, id est, quamdiu adhibemus eas ad naturales earum usus intraque eum modum qui est a natura praescriptus, tandiu ut nobis illae sint jucundae atque dulces; quod si violatis temere atque transgressis finibus iis, quos natura rebus pepigit, officiisque rerum et muneribus et ordine naturali perverso, efficimus ut altera invadat in alterius possessiones, et suum ipsa officium negligens alienum ut munus obeat postulamus, ut rite id et gnaviter obeat, nunquam profecto assequemur; insuper, ipsum illud amittemus naturale bonum, quod ipsi

inerat, illasque ad usus nostros ei a natura datas opportunitates et commoditates; nec minus faciemus adsurde, quam qui calceis, quos pedibus detraxisset, caput induere conaretur, faceret, si tamen tam absurdus quisquam esse, ullo unquam modo atque ratione, potest. Etenim is, etsi plurimum operae in eo posuisset seque confecisset multo labore, perfecisset ille quidem pedes ut nudi manerent, caput tamen ipsum nihilo magis texisset, ipsumque amisisset artis usum: similiter isti faciunt, quicumque animum suum, boni infiniti cupidum, explere volunt aut opibus aut honoribus aut voluptatibus persequendis, quique vitae tranquillae atque beatae sedem ullam stabilem constitui in iis rebus posse putant, aut certe sibi constituunt. Torquent se certe illi atque divexant; nullum, tamen, solidum consequuntur bonum, nedum illud summum quod expetunt. Itaque, quod vitae quotidiana exempla nos docent, nulli egentiores sunt, quam qui maxime divitiis affluere putantur avari; nulli ad servilem conditionem propiores, nulli qui cuncta digna indignaque magis perpetiantur, quam honoris atque gloriae studiosi; nemo qui majoribus doloribus non solum animi sed etiam corporis torqueatur, quam qui velis, ut dicitur, atque remis voluptates persequitur. Quod ob eam causam illis jure atque merito accidit, quia, naturae ordine violato, quibus rebus modice uti ac pro viatico debuissent in isto vitae tanquam itinere, ab iis dementia quadam obcaecati summum ipsum bonum requirunt; et quo uti interdum possent, pro nonincommodo diversorio ad animum refocillandum (quamquam qui firmiore ac vegetiore animo sunt, ne ista quidem diverticula istasve refocillationes magnopere curant), sed quo uti possent ad divertendum, eo frui volunt pro stabili et sempiterno domicilio, sedemque sibi in eo beatae vitae constituunt. Quae profecto beata vita, quamvis nullas alias sedes haberet, numquam tamen se pateretur collocari in hujusmodi nugacitate inanitateque rerum. Nam quod unum tectum commune illi,

quae verorum bonorum perpetua dicitur esse possessio, esse possit cum ambitione, cum avaritia, cum voluptate, caducis, videlicet, atque fallacibus bonis? illa certe cum virtute commoratur, in Dei pietate atque cultu tanquam in sanctissimo fano quiescit, in coelesti domo et in Deo ipso videndo fruendoque suam habet et propriam sedem; quam ad unam sedem nos omnino debemus omni studio contendere, si modo quales semper esse cupimus, beati atque felices, tales unquam futuri sumus. Ibi enim verae illae opes sunt repositae, quas neque tinea demolitur, neque fures effodiunt aut furantur; immortales ibi honores sunt, et incorrupta ac nullo unquam aevo marcescens, dulcissima honestissimaque voluptas. Unde sequitur:

UT VIDEAM VOLUPTATEM DOMINI. — Quae una, scilicet, et vera voluptas est et omnium maxima voluptas, quippe quae ex summi et optatissimi et omnem animi nostri cupiditatem explentis atque satiantis boni consequutione, in altissima pace et laetissimo gaudio sequatur. ET VISITEM TEMPLUM EJUS. — Nam his duabus rebus continetur absoluta et cumulata beatitudo: Dei contemplatione, scilicet, qua ex contemplatione oriuntur innumerae voluptates, et cognitione templi Dei, id autem est, universi hujus, quod unum est templum augustissimum atque maximum. Nam haec naturae rerum cognitio veluti cumulus additur visioni illi contemplationique Dei, in qua proprie ipsa beatitudo consistit. Igitur, has naturae partes atque rationes beati viri in coelesti illa et futura vita cognoscent, eaque ex cognitione capient summam voluptatem. Nam quod aliud puris et bene affectis animis exhibeatur gratius spectaculum, quam est hoc, quod illis a Deo exhibetur, cum de altissimo et maxime splendido loco coeli, in omnis mali experti vita ipsi constituti, non solum vident illa:

Defectus solis varios, lunaeque labores,
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant,
Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant,

Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hyberni, vel quae tardis mora noctibus obstet;

Sed multo illis majora ac reconditiora cognoscunt: causas nimirum omnium rerum, et cujusque rei principia interiora atque propria, ipsarumque inter se naturarum atque rerum consensiones et dissensiones arcanas, quarum est, ut maxime occulta, ita ad cognoscendum maxime jucunda causa atque ratio; aliaque his similia permulta. Sed nos instituum persequamur:

5. — Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. — 6. — In petra exaltavit me...

Reddit nunc causam superioris sui dicti atque sententiae, id est, causam exponit, quare tantopere desideret residere in tabernaculo et templo Dei, quod, videlicet, expertus fuisset, ipsum sibi fugienti atque perterrito salutare hospitium praebuisse; quod delituit in eo, quod ejus veluti gremio receptus, se primum confirmavit ex magno et gravi timore. Quae dicens David, intelligi a nobis voluit, non tam loqui se de terreno tabernaculo (quamquam et id semper ipsi, et cum aberat ab eo optabile, et cum aderat gratum et amabile visum est), quam de aethereo atque coelesti. Cujus adeundi facultatem omnibus sanctis hominibus praevidebat aliquando tandem futuram per illum ipsum, quem in nongentesimum prope annum ex se ipso propagaturus erat, sibi similem, filium Christum Jesum. Itaque, David ad ea potissimum tempora suas cogitationes suaque desideria conferebat. Nam ex eo quod expertus fuerat, sibi malorum undis jactato illud Dei terrenum tabernaculum fuisse portum salutis, facile conjecturam faciebat, quanto in coelesti illo et aethereo templo omnia futura essent tutiora, meliora, suaviora. Ergo a terrenis gradum ad coelestia sibi construxit, et occasione ejus beneficii quod acceperat in tabernaculo eo quod fecit Moses ad aliud tabernaculum, *non hujus creationis*, sed quod aedificationem habet ex Deo, desiderio verorum bonorum aspiravit, mortalique ex vita conservata immortalis et beatae vitae amore inflammatus est.

Quod autem sequitur: IN PETRA EXALTAVIT ME, id fortasse aliquis in eam sententiam accipiat, ut se exaltatum in petra David fuisse dicat, id est, in loco edito atque munito, extra omne periculum positum, propterea quod postcaquam ab urbe Ceila discessit, ad deserta Ziphaei montis loca et praeruptas atque hostibus inaccessas rupes se contulit. Sed mihi magis placet hoc hemistichio petraeque appellatione, in arcanis litteris nota, significari Christum, cui sanctus David acceptam referat salutem omnem et liberationem suam. Illud nimirum, divinitus edoctus, intelligens, unum esse Christum, per quem omnia nobis a Deo patre et obtinenda et petenda bona essent; cujus exemplo instructi, nos non solum in rebus laetis agnoscere debemus Christi beneficio atque dono laete nos atque feliciter agere, sed in asperis et turbidis ad ejus unius praesidium debemus confugere; quod praesidium paratum cunctis est, qui ad ipsum confugiunt. Non, enim, ille nos confugientes ad ipsum unquam deseret, aut hostibus prodet; sed tuebitur potius atque defendet, quomodo solet ille semper eos qui ipsi supplicant tueri atque defendere. Cujus quidem defensionis, etsi plures sint rationes atque modi, tamen ex iis omnibus rationibus illa haud dubie est praestantissima ratio, qua se David hoc loco defensum esse praedicat, cum dicit: ABSCONDIT ME IN TABERNACULO SUO: IN DIE MALORUM PROTEXIT ME. Nam hujus occultationis ea vis est, non ut Deus a nobis auferat mala quibus opprimimur; sed ut sensum malorum, in mediis malis dum versamur, nobis eripiat nosque dolori subtrahat, non tam corporis fuga quam animi traductione ad meliora bona et ad ea omnino gaudia, quorum incredibilem vim immittere solet

Deus et offerro servis suis iis, qui injuria opprimuntur. Et quoniam divinorum auxiliorum duo genera seu duae diversae potius auxilii ferendi rationes sunt, a nobis superius expositae: una cum malorum adventus praecciditur, altera cum repellitur eorum impetus; sit haec, ab utraque diversa, ratio tertia, in qua ipsa quidem mala, tametsi nos premant, non repelluntur, sed eorum mutatur efficientia atque vis. Etenim etsi Deus semper auxilietur suis, tamen non semper eorum hostibus aut arma detrahit, aut vires, aut facultates nocendi; quin illud saepe permittit, mali ut in bonos saevientes, et fortunis illos evertant et tormentis subiciant et denique vita privent.

Qui igitur, dicet aliquis, auxilio locus est, aut quae opitulandi ratio Deo relinquitur, eo usque progressum ubi est? Magnus sane locus et optima atque Deo maxime digna opitulandi ratio. Nam, ad hunc modum laborantes, suos servos Deus suo veluti in gremio amantissime recipit, receptosque abscondit; id est, eos dolori subtrahit, eripiens ipsis malorum sensum; hoc est, ut iterum interpreter, efficit ut mali morsus non sentiant. Efficit, autem, partim verissimis rationibus illos erudiendo; plurimum autem, et longe plurimum, id efficit, eorum imbuendo sensus coelesti tanta dulcedine, ut malorum deinceps tormenta atque ictus, non ad cruciatum illis valeant, sed ad laetitiam et voluptatem. Ita fit, ut quae acerba aliis sunt, bonis, cum in ea incidunt, sint laeta et voluptatis plena; quod illi assequuntur, non sensus stupore aliquo, sed divinae dulcedinis abundantia, qua eorum pleni sensus ubi sunt, nullus dolori quo se insinuet aut ubi resideat vacuus locus relinquitur; atque, ut aquae stilla in ignem immissa non extinguit ipsum, sed magis accendit, sic ad bonorum sensus malorum morsu accedens atque in eos insinuare se cupiens dolor, illa laetissimorum gaudiorum quibus affluunt magnitudine, non absorbetur modo, sed quae Dei virtus est, ex dolore voluptas efficitur. Ex quo intelligitur

quam sint boni adversus mala omnia mirifice a Deo armati atque protecti, quando dolor ipse, simul atque accedere ac pervellere eos incipit, dolor esse desinit. Quo certe fieri nihil potest quod, vel ad leniendos bonorum animos, vel ad irridendos impiorum conatus sit accommodatius: ruere, videlicet, illos, furere, saevire, ignes admovere, nova excogitare supplicia, alia aliis mala addere, nullum denique modum imponere suae importunitati; eo porro suo omni labore atque conatu, non modo dolorem ullum non attulisse bonis, sed pro eo segetem illis atque materiam suppeditasse eximiae cujusdam atque maximae voluptatis, nec dolendi solum nullam, sed gaudendi etiam plurimas atque maximas attulisse illis causas.

Atque hujus generis auxilii et a malo liberationis, cum interiorum bonorum sensu externorum malorum sensus hebetatur et extinguitur in iis, quos Deus veluti occultat in atriis dulcissimis domus suae, tanquam imago quaedam fuit, quod illis tribus viris genere Hebraeis in sacris litteris scribitur accidisse, cum jussu Regis impii *(Dan.*, III), quod immanem statuam, quam erexerat atque dedicarat, adorare nolent, vincti in rogum ardentem immissi sunt. Illis, enim, ignis vincula, quibus constricti tenebantur, ademit; ipsos, vero, neque ussit, neque detrimento aut dolore affecit ullo: ita, quod ad illorum perniciem comparabatur, valuit ad salutem illis et ad vinculorum dissolutionem. Sed quamvis hujus rationis exempla aliquot exstent in iis hominibus, quos instituit lex Vetus; tamen, haec tota laus in mediis malis gaudendi et ex dolore voluptatem capiendi propria est Evangelii; in quo pretiosissimi Christi sanguinis, pro mundo effusi, maxima viget virtus atque vis divina. Itaque, in ipsis Evangelii primordiis de Apostolis dicitur exisse illos (*Act.*, v.) *gaudentes a concilio, quod digni habiti essent, pro nomine Jesu contumeliam pati;* et illa oratio ad Evangelii tempora pertinet: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis;* et nostrorum,

id est, cultorum Evangelicae legis vox illa est *(Roman.*, v): *Non solum autem, sed et gaudemus in tribulationibus.* Nam, certe, ante Christi ad nos adventum grave hominibus videbatur inopes esse, durum ignominia affici, non ferendum dolore cruciari: itaque exilium nobis triste erat, morbus molestus, mors acerba atque dira. At posteaquam Filius Dei, naturam humanam sceum conjungens, miram illam cum hominibus societatem coivit, ut particeps ipse nostrarum miseriarum effectus, nobis communicaret bona Divinitatis suae, quae pro adversis habebantur in vita, quaeque homines horrere soliti erant mala, sic ea condivit et omni tanquam felle ab eis detracto dulcia fecit, ut praeter malí nomen in iis certe, qui Christi sunt quique capiti suo et fide et recte factis adhaerent, nihil jam de sua pristina acerbitate retineant. Neque enim fieri poterat, quin accedente natura Dei ad nostram naturam, omnia ejus mala, illo Divinitatis veluti Oceano obruta et inmersa, mala esse desinerent. Itaque, quae mala nostra culpam in se atque scelus habent, ea Christus, utpote qui ab omni peccati labe purissimus esset, non quidem admisit, sed quae nos admisimus in se ipso luenda et delenda suscepit; crucique affigens ea, sanctissimo suo cruore, quod ad se attinet, penitus elnit. Quae autem doloris atque poenae mala sunt, eorum omnium sensum atque gustum percepit, perferroque illa atque subire voluit; quo illius gustu detraxit illis, quidquid veneni in ipsis inerat, nobisque ad ea, non solum fortiter ferenda, verum etiam cupide appetenda praelvit, sicut Paulus scripsit *(Ad Heb.*, II.) de ipso, dicens: *Qui pro omnibus nobis gustavit mortem.*

Ex quo etiam illa est mortis amara irrisio, quae proprie ad Novae legis tempus spectat (*I Corinth.*, XV.): *Absorta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?* Quod certe in mortem non magis magnifice, quam vere dici, re ipsa atque facto, magnoque fortitudinis et memorabili exemplo, cum virorum, tum

feminarum, post auditum in terris Christi nomen ad mortem certatim convolantium, infinita millia comprobarunt. Nunquam, enim, neque tanta alacritate animorum, neque tam promis et incensis studiis ad voluntariam mortem et acerbissimos cruciatus tot martyres properarent, si mors illis pro morte esset, aut potius nisi ipsum mori ipsumque cruciari dulcedine redundare, atque adeo melle illitum esse, illis videretur. Et, certe, ipsi saepe affirmarunt carnificinam ipsam coelestis voluptatis officinam sibi videri, et per ardentes prunas nudis pedibus cum incedebant, per amoena prata et sparsam humum rosis se incedere arbitrari dixerunt. Atque, ut ex infinita copia id potissimum proferam exemplum, Theodoretus quod scribit, historiae ecclesiasticae gravis auctor (lib. III, c. II), hoc quale sit, ex eo satis intelligetur, quod Antiochiae christianus quidam juvenis dixit. Nam is, cum Juliani imperatoris jussu, quod idola irrisisset, medio foro magnoque in hominum conventu virgis diutissime et saevissime caederetur; cumque ejus interea non solum ejulatus ullus non audiretur, sed nec gemitus quidem, cunctis qui aderant admirantibus, rogatus a quodam, qui perferret dolores tantos tam aequo atque adeo laeto animo, respondisse fertur nullo se ex plagis dolore affici; cumque instaret ille rursus et ejus ipsius stuporis causam quaereret, assistere sibi dixit atque affirmavit, ex quo primum caedi coeptus esset, divina specie quemdam juvenem foventem ipsum atque omnem abstergentem dolorem. Atque idem, postea cum solvi jussus esset et abire permissus, illo juvene, qui ipsum comitabatur, recedente ab illo statim et abeunte, gravissime doluisse scribitur; quod dicebat milies mori, non solum caedi virgis, maluisse se, quam illo tam dulci tamque bono comite caruisse. O Christi sanguinis vim incredibilem! o pietatem et dulcedinem Dei! o fructus virtutis uberes, dulcesque jam et jucundos, non solum fructuosos dolores!

Sequitur: ET NUNC EXALTABIT CAPUT MEUM SUPER INI-

MICOS MEOS.—Quod olim, inquit, Deus fecit, ut me ab hostium meorum insidiis atque manibus liberaret; idem nunc, tametsi eorum copiae atque vires augeantur, efficiet, multoque quam antea efficiet uberius. Nam a primo ut Deus mihi bene et veliet et faceret, sola adducebatur bonitate sua; at nunc, quo vel constantiae rationem habeat, suum in me beneficium tuebitur: nuper insidias et cruentas inimicorum meorum manus a me repulit; nunc, ut spero, illos subjiciet meis pedibus; id enim valet quod dicit: ET EXALTABIT CAPUT MEUM SUPER INIMICOS MEOS. Nam eo Hebraei justam victoriam significare solent, ex ipso, scilicet, habitu victoris erecti atque stantis, victis ad illius pedes interim suppliciter abjectis. Itaque hoc in re militare dictum, victoriam significat; in rebus luctuosis et tristibus, laetitiam, ut in illo (IV. *Reg.*, XXV): *Sublevavit Evilmerodach caput Joachim;* in omni denique re, excellentiam in eo quo de agitur. Ex quo ille:

Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Quod si cui placeat Davidem hoc versiculo fuisse vaticinatum victoriam eam, quam Christus adeptus est de peccato atque morte, saevis et maxime nobis infestis hostibus; siquo dicat aliquis, Christum ipsum a Davide caput vocari, eumque exaltandum esse dici super inimicos suos; hoc si quis velit, id mihi non solum non displiceat, sed etiam probetur vehementer, atque eo magis, quod video sacros vates solere, institutae a se primo de suis aut aliorum rebus gestis, orationi attexere atque miscere futurarum atque magnarum rerum sua vaticinia. Etenim ipsa narratione et commemoratione rerum a se vel ab aliis gestarum, propter occultam similitudinem aliquam, quam illae res gestae cum futuris rebus a Deo efficiendis magnis atque sublimibus habent, commota saepe vatum mens, hauriensque divinum majus et perfectius lumen, in medio

orationis cursu eas illas videre incipit, quod a principio non faciebat; quod, cum vatibus accidit ut ex praesentibus aut praeteritis futura prospiciant, ea ut prospiciunt statim effundunt, et iis, quae instituerant dicere, attexunt, unumque componunt et efficiunt orationis textum ex utroque rerum genere. Rationi porro consentaneum est, id ipsum accidisse nunc Davidi, de se ac de suis inimicis canenti. Nam quoniam in sua persona Christi personae imaginem inesse sciebat, vero simile est ipsum cum ei, sua certamina et victorias canenti, Christi item certantis atque vincentis species oblata atque objecta esset, tanto affectum gaudio atque voluptate fuisse, se ut continere non potuerit, quin ejus aliquam mentionem statim faceret, suoque id carmini insereret, ipsumque carmen pulcherrimum et per se satis commendabile, laetissimae rei atque maximae commemoratione ista inserta, commendabilius efficeret.

Quod si quis moveatur eo, quod David dicit: SUPER INIMICOS MEOS, quo plane suos David significat inimicos, non Christi; et propterea, putat hic agi de una Davidis exaltatione et victoria, is mea sententia decipitur. Nam quos Christus vicit inimicos, non tam sibi quam Davidi ipsi atque adeo nobis omnibus vicit. Nec, vero, illi magis Christo adversabantur, quam generi humano universo; imo, verum si loquimur, nobis solis maxime proprie erant inimici. Nos enim soli serviebamus peccatis, et propterea damnati a Deo fuimus mortique addicti daemonesque, ob id nostris cervicibus imminentes, nos sibi subjici deberi dicebant, et certe tenebant subjectos: quae Christum non attinere, satis aperte idem ipse Christus declarat illis verbis (*Joann.*, XIV): *Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam.* Non, ergo, daemones nocere Christo in aliquo aut incommodare poterant, sed cum nostri generis inimici essent, nosque universos tenerent misere oppressos, illis suis armis, peccato atque morte, Christus bellum

illis ultro indixit, seque a nobis opposuit adversus illos, suumque ipse corpus eorum telis objecit. Ac peccati quidem unum illorum telum ad se non admisit; tantum quae nostro corpori infixa ejusmodi plurima erant tela, pro suis habuit. At mortis alterum totum intra praecordia recepit. Quod sane telum non tam eripuit vitam Christo, quippe cui triduo postquam mortuus est reddita est, magnis bonis atque accessionibus cumulata, quam peccatis nostris, quae Christus in se suscipiens, ipsius peccati, veluti personam sustinebat, abolitionem attulit et interitum: quibus sane extinctis, quae ipsa tanquam fundamenta erant dominationis daemonum, illorum in nos imperium statim corruit. Quamobrem, verissime exaltasse Deus dicitur caput nostrum, id est, Christum super inimicos nostros. Nobis enim proprie adversabantur ii, quos Christus devicit, eoque devicit illos, ut quod cecinit Zacharias *(Luc.*, I): *De manu eorum liberati, serviamus ipsi omnibus diebus nostris.*

Unde sequitur: CIRCUIVI, ET IMMOLABO IN TABERNACULO EIUS HOSTIAM VOCIFERATIONIS: CANTABO, ET PSALMUM DICAM DOMINO. Quod, utrovis modo intelligatur superior versiculus, recte et ordine sequitur ut vel pro victoria ea, quam ipse de suis hostibus consequi sperabat, vel ob eam, quam Christus de communi omnibus inimico consequuturus erat, victimas Deo et laudum carmina se redditurum promittat:

7.—Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi: miserere mei, et exaudi me.

Variat Davidis animus inter spem et metum. Nam sicut divinae bonitatis et experti amoris consideratio illum spe erigebat, ita Saulis Regis sibi infestissimi potentia atque opes, quae omnia quamvis tuta loca suspecta efficiebant, ipsum debilitabant metu. Mens, igitur, Davidis dubio rerum suarum statu suspensa variis cogitationibus distrahebatur, quae alias laetae, tristes alias alternantes et in ipsum incumbentes, saevos in illo excitabant fructus variorum affectuum. Ex varietate porro eorum varia item oriebatur oratio. Itaque, qui hactenus nihil nisi fortiter et elate et animose dicebat, is nunc timore perculsus, abjectus atque supplex ad precandum se convertit; et inter magnifica verba timor subito exortus, et tanquam ex insidiis adortus ipsum atque invadens, voces ab eo elicit timidas atque supplices. AUDI, inquit, DOMINE, VOCEM MEAM. Sed quam vocem oro? Hactenus enim fiducia quidem plenas multas emisit voces, supplicem autem aut humilem prorsus nullam. Hic primo dici potest Davidem, communem graviter dolentium affectum atque morem sequutum, ita loqui. Etenim qui gravi aliquo malo aut dolore premuntur, antequam mali ejus quod ipsos angit magnitudinem dicant, aut quas habeant dolendi causas exponant, unum illud, sibi ut aliquid opis afferatur, ab iis, quos auxilio ferendo aptos vident, petere iterum atque saepius solent. Deinde, non absurde dicatur, etsi minus ore, corde tamen atque animo, quo quamvis brevi tempore multa copiose dici possunt, Davidem metuentem rebus suis multa precatum, ab interiore sermone in externam hanc prorupisse vocem; itaque dixisse: AUDI, DOMINE, VOCEM MEAM, nimirum eam, quam jam dudum, imo e corde emittebat.

Postremo, ut puto, non deerit cui potius videatur dicendum hoc loco hebraice non legi: QUA CLAMAVI AD TE, sed futuro tempore: QUA CLAMABO. Ita his verbis non significare a se petitum esse aliquid antea, sed cum jamjam petere vellet, ac mox petiturus plane esset, eo praemunire futurae suae petitioni et Dei aures dociles et attentas voluisse reddere. AUDI, inquit, DOMINE, VOCEM MEAM. Quando, scilicet, ad te clamavero votaque cordis mei ac desideria exposuero. Nec vero non dici debet, quam hic versiculus cum superiori cohaereat, quamque ex illo tanquam fonte iste rivus ducatur. Quippe superius dixerat se spe-

rare futurum, ut Deus ipsum exaltaret super inimicos suos. Atqui rerum natura ferebat, ut haec futurorum suorum certaminum facta ab ipso commemoratio desiderium vincendi in illo excitaret et accenderet. Desiderio porro timor agnatus est; nam quae ipsi assequi multum cupimus, eorum contrarios eventus valde timemus. Metuebat, ergo, interdum David incertos belli eventus Martemque communem, isque metus e vincendi nascebatur desiderio; desiderium, vero, ex memoria certaminum futurorum extitit: atque ita, ut ultima primis copulemus, superior versiculus in quo certaminum Davidis commemoratio facta est, hunc sollicitudinis ac timoris plenum edidit versiculum. Sed pergit:

8.—Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram.

Commemorat suum erga Deum amorem, quo magis ipsum provocet ad sibi ferendam opem. Quanquam hoc ita dicit, ut ambiguum sit, utrum amorem intelligi velit praeteritum, an futurum: id est, utrum dicat Deo, quia semper ante id tempus ipsum dilexerit et studiosus illius atque amans fuerit, ideirco se non deberi deseri ab ipso et hostibus tradi; an promittat potius atque polliceatur Deo, se si modo unquam victoriae compos effectus fuerit, collocaturum in ipso omnem spem atque amorem suum; quale est illud, quod Jacob vovisse dicitur: *Si fuerit Dominus mecum in via hac, in qua ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi, in titulum.* Sed sive hoc, sive illo modo accipiatur, utroque modo docet David se non indignum esse, qui a Deo adjuvetur, vel ob praeterita sua erga Deum merita, vel quia illud ipsum liberari ab hostibus suis et a bellis et certaminibus vacare, quod desiderat, ob

id praecipue desiderat, ut deinceps quod reliquum est vitae vacare Deo possit, animo pacato atque tranquillo; qui unus finis justis hominibus est in omni vita propositus. TIBI, inquit, DIXIT COR MEUM.—Speciem et tanquam imaginem animi desiderio aestuantis oratio ipsa prae se fert; et certe magnum illud desiderium vacandi Deo et fruendi ipso, quod animo Davidis includebatur, explicare verbis quid vellet atque eloqui ipsum satis non sinebat. TIBI DIXIT COR MEUM.—Nec plura addit, sed rursus alio ex principio: EXQUISIVIT TE FACIES MEA. Quod ipsum etiam inabsolutum reliquit. Tertio atque tandem: FACIEM TUAM, DOMINE, REQUIRAM. Sed quo ille minus verbis explicuit quid fuerit loquutus cum suo animo, quidve quaesierit oculis atque mente, eo amoris sui magnitudinem, et quantis incenderetur et adureretur charitatis ignibus magis declaravit. Modice, enim, vel intra modum potius amat, qui quod amat quantumque amat libere eloqui et, quamvis copiose, exornare verbis potest; ille ardet, qui exorsus dicere in mediis verbis insistit, qui abrumpit institutam orationem, qui nihil enucleate explicat, sed confundens omnia atque permiscens, quaecumque amor illi suggerit atque dictat, quae sunt plane innumerabilia, uno tempore unoque etiam verbo conatur cuncta eloqui, et quamvis nihil satis explicet, eloquitur tamen omnia; quod Davidi usu venit hoc loco. Nam ista veluti reticentia et istis quasi singultu interruptis verbis, quid, quod illi in animo esset dicere, inexplicatum aut indictum reliquit: TIBI, enim inquit, DIXIT COR MEUM. Id autem est (ut tentemus ipsi modo, si tamen id assequi unquam poterimus, pluribus explicare verbis, quae David uno pene dicam verbo conclusit), hoc itaque est, ad te unum suspirat, tecum perpetuo loquitur, et, aliis mutus, cor meum ad te clamare nunquam desistit. Te ita amat, ut quo te appellet satis apto ad ardorem suum explicandum nomine, non inveniat. Tu pater illi, atque adeo mihi es: tu salutis dux, tu lumen, tu vita, felicita-

tisque omnino meae princeps atque Deus solus tu. De te solo cogito semper, tibi uni supplico, canendi de te finem nullum facio. Nec solum te meum appetit cor; oculi etiam ipsi mei tuam ubique faciem requirunt. Qui sane oculi quocumque se convertunt, quod te non vident, nihil arbitrantur se vidisse. Sed me nullus deterrebit labor a te requirendo, tantum ipse nolis aversari me et abs te iratur repellere. Quare sequitur:

9.—Ne abscondas faciem tuam a me: ne declines in ira a servo tuo...

Qui alium aversantur, ei cum occurrunt faciem atque oculos alio convertunt. Declarat, igitur, rem ex habitu, dicens: NE ABSCONDAS FACIEM TUAM A ME. Id est, ne me averseris; quae loquendi ratio propria videtur esse harum litterarum, in quibus etiam saepe ponitur facies pro auxilio et favore Dei. Sed cur metuebat sanctus David ne se Deus mutata voluntate desereret, homo non solum de sua erga Deum voluntate optime sibi conscius, sed de Dei in se amore, tot ab eo acceptis beneficiis, apertaque ejusdem voce et testificatione plane certus? Primum, quia noverat hominis ingenium lubricum esse et ad delinquendum facile. Deinde, quia nostras nobis voluntates ita ignotas atque abditas sciebat esse, ut saepe quid ipsi amemus atque cupiamus statuere nobiscum ipsi vix possimus. Quapropter jure metuebat, ne quod forte peccatum ad animum suum se inscio irrepsisset, seque ignorantem aut parum certo attendentem maculasset; quod quo magis Deum diligebat, eo metuere aut saltem vereri debebat magis. Nisi si quis illud malit, Davidem communem expressisse morem eorum, qui aliquid ardenter cupiunt. Nam hi optandi atque precandi ac singula, quae obstare quovis modo suae cupiditati possunt, cavendi atque deprecandi modum nesciunt. Itaque, David etsi semel jam atque iterum precatus fuerat Deum, ne se

desertum atque auxilio destitutum relinqueret, tamen ob magnitudinem desiderii atque periculi, sibi ipsi nequaquam satisfaciens, eadem saepius repetit.

Ex quo etiam sunt quae sequuntur: AUXILIUM MEUM FUISTI: NE DERELINQUAS ME, NEC DIMITTAS ME, DEUS SALUTIS MEAE. Quo versu, verbis tantum commutatis, dicit fere eadem quae superiori; illud novum quod allegat, quodque ad persuadendum Deo arbitratus est valere plurimum, illum, videlicet, semper ante id tempus auxilium sibi tulisse, quasi ita loquatur et sentiat: minime divinae constantiae atque immutabilitatis esse eum deserere ad extremum, quem semper antea protexisset, neque convenire Deo, ut brevi horae momento perdere vellet tot sua beneficia atque dona in ipsum Davidem per tot annos collocata et veluti congesta. Quod argumentum urget adhuc. Itaque sequitur:

10.—Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.

Id est, assumet ipse ad se, quia dereliquerunt illi, nam, inquit, sollenne Deo est tueri ac protegere miseros quoscumque viderit et humana ope destitutos homines. Nam et ob eam causam dignatur vocari pater orphanorum et vindex viduarum. Tuebitur, igitur, et pro suo me habebit, qui ita sum nudus atque desertus, ut me etiam deseruerint, quibus mea salus charissima esse debuerat, parentes mei. Sed occurrit acris quaestio: quomodo verum sit patres Davidis ipsum reliquisse, cum constet non solum illos sed cognatos etiam Davidis omnes, ut primum ei Saul bellum indixit bellum, statim ipsius partes sequutos, omnes fortunas suas contulisse in communionem ejusdem tempor atque periculi? Sic, enim, scriptum est: *Abiit autem David inde ad speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres ejus et omnis domus patris ejus, descenderunt ad*

illum. Fortasse haec scripsit David in ipsa sua fuga, antequam ei quisquam se adjunxisset. Itaque exponit hic illius temporis suam solitudinem, nec tam agit de eo quod sibi postea evenit, quam rerum suarum praesentem statum commemorat. Vel certe haec retulit ad primum suae aetatis tempus, cum a Samuele in Regem est inunctus. Nam cum esset David natu minimus filiorum Isai Bethlehemitae, cumque ipsum pater suus videretur negligere, quippe quem ruri amandatum et tanquam relegatum ovium custodiae destinasset, reliquis tamen omnibus ipsius fratribus, qui ut aetate anteibant illum ita indole animi atque corporis superare ipsum videbantur, praeteritis, in medio ipsorum Deus per Samuelem illum juvenem et pene puerum inunxit; quod erat futurae regiae dignitatis signum certissimum. Id igitur dicit, se quem sui olim dereliquerant, id est, despectui et contemptui habuerant ut natu minimum, a Deo, qui humiles respicit, susceptum, hoc est, reliquis suis fratribus antelatum fuisse; quod cum dicit, causam reddit ejus, quod proxime dixerat: AUXILIUM MEUM TU FUISTI, idque auxilium exponit quale fuerit; nam quod Deus ipsum elegit cum negligeretur a suis, in eo auxilio ei fuisse adversus contemptum et despectionem videri potuit, Davidi certe ita visum fuit, idque hoc loco testatur. Sed audiamus quod sequitur:

. II. — Legem pone mihi, Domine, in via tua: et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Sicut tulisse auxilium Davidi Deus dictus est, quo a contemptu suorum vindicavit illum, sic quod eodem versu precabatur David, dicens: NE DERELINQUAS ME, NE OMITTAS ME, quid in eo sibi vellet, quidve peteret, isto nunc interpretatur versu. Petebat, enim, ne se subtraheret Deus ipsum luce destitutum aberrare permitteret in hujus mortalitatis lubrica et plena erroribus semita, quo dunc ex-

planat, cum dicit: LEGEM PONE MIHI, DOMINE, IN VIA TUA: ET DIRIGE ME IN SEMITAM RECTAM. Itaque illius versus singula hemistichia declarant subjecti singuli versus. LEGEM, inquit, PONE MIHI, DOMINE, IN VIA. Id est, legem quae mihi pro duce sit ad ambulandum sine errore in mandatorum tuorum via, ita ut recta incedens a praescripto legis tuae nunquam discedam.

Sed quid est quod addit: PROPTER INIMICOS MEOS? An minus multos minusque sibi infestos inimicos erat habiturus David, aut evasurus erat eorum insidias facilius, idcirco quod ipse per viam legis et mandatorum Dei, inoffense et neutram in partem declinans graderetur? Sane erat, nullaque sunt arma meliora, quaeque nos magis tueantur adversus hostes nostros atque defendant, quam custodia legis Dei, animusque innocens et omni flagitio atque peccato abstinens vita; cum, contra, nihil non solum miserius sed ne imbecillius quidem sit iis, qui se vitiorum servos esse volunt. Primum, quia virtute carent, id est, ipsa animi sanitate atque constantia; ex quo sicut corpora aegra nec munus suum tueri ipsa possunt, et ad omnes offensiones valde opportuna sunt, sic illi omnibus fortunae telis sunt violabiles. Deinde, quia in multorum odia incurrunt necessario, multosque qui importune se et flagitiose gerunt, sibi faciunt inimicos. Neque enim flagitiosa vita vivi atque duci potest sine multorum injuria. Postremo, quod est omnium longe miserrimum, quia suis ipsi vitiis ac peccatis vires quodammodo et veluti arma, quibus ipsis noceatur, ministrant inimicis suis. Etenim nulla re ad nobis incommodandum, vel ad nos opprimendum potius, neque paratiores, neque munitiores, neque magis fortes efficiantur inimici nostri, quam nostris ipsorum vitiis. Nam quis non faveat ei, qui homines sceleratos et odio et ferro persequitur? aut qua in re populum quis magis habeat, non dico approbatorem, sed impulsorem et adjutorem, quam si rapacitatem, impudicitiam, violentiam, impietatem et

ejusmodi labes animi atque pestes reliquas, in judicium vocatas, ad poenam et ad supplicium rapiat; omnes enim scelus odimus, etiam illi, qui scelesti et flagitiosi sunt, aliorum item flagitiose et scelerate facta detestantur. Hoc quoniam David intelligebat, tametsi vitam suam in magnum periculum atque discrimen adductam esse videret, quod ipsum potentissimus obsideret inimicus, ad omnes aditus opponens se, omnesque ipsi salutis vias intercipiens; tamen, non induxit animum petere a Deo, devium ut aliquod et tutum et suis ipsius hostibus ignotum iter ipsi demonstraret, quo ipsorum vires posset et arma effugere; noluitque etiam petere, ut suas copias atque opes suppleret, ut acquatis viribus contra stare in acie ipse adversus Saulem posset et justo praelio decernere; verum illud solum a Deo postulat, ut se inducat in viam legis suae, inductumque deducat, sine aberratione sineque prolapsione aut offensione aliqua. Nimirum intelligens hac una ratione, se a suis adversariis superari posse atque vinci, ipsum si prius cupiditates vicissent suae; ideoque adjecit:

12.—Ne tradideris me in animas tribulantium me...

Id est, ne sinas ut abs te deficiens ipse, et ignorationis humanae lubricas vias ingressus prolapsusque in eis atque corruens, quod adversarii mei valde expetunt, vulneri excipiendo nudum latus aperiam. NE TRADIDERIS ME IN ANIMAS. — Hoc est, desideriis atque libidini inimicorum meorum ne permittas me tradi, ex proprietate hebraici sermonis, in quo pro desiderio nomen animae ponitur. Quod autem meminit desiderii inimicorum suorum, quo inhiabant ipsius haurire sanguinem, eo tacite et artificiose in suam sententiam ipsum Deum magis adducit, id veluti argumentatus ac dicens: aequius multo esse ac Dei bonitate dignius, ipse ut faveat suis, id est, ipsius Davidis justi, scilicet, et pii

hominis votis ac desideriis, quam ut aliorum, hoc est, impiorum et sceleratorum libidini et cupiditati obsequatur. Nam quis bonus aequo animo ferat, bonos jacere moestos, improbos vero volitare laetos atque alacres? illos lugere victos, hos victores exultare? illos innocentes dimicare de vita, sceleratos et injurios omni metu liberos formidini aliis et terrori esse? hos bonis circumfluere, illos inopes egere? illorum denique frustrari justa vota, horum autem impia desideria compleri? eodemque pertinet quod sequitur: INSURREXERUNT IN ME TESTES INIQUI, ET MENTITA EST INIQUITAS SIBI. Nam eo David hostium suorum personam apud Deum in majus adducit odium, dum praeter caetera illorum peccata atque mala, etiam in testimonio dicendo falsitatem illis impingit; quo, quanto eis fuerit iratior effectus Deus, tanto ipse reddatur magis placatus atque propitius.

Quamquam vix reperio quo modo hoc ad Davidis personam pertinere possit. Nam quando is, obsecro, legitur falsis testibus circunventus? aut quis unquam in illum falsus esse testis scribitur? Nam Saulis quidem animum non aliorum criminationes a Davide alienarunt; sed illius gloria, belli artibus parta, invidia ipsum exulceravit: ex quo mox odium sequutum, et ex odio necis studium, cum animo inclusa diutius contineri non possent, primum ad occultas inimicitias manare coeperunt, postremo in apertum bellum prorupere: *Et cantabant in choris: Saul cecidit mille et David decem millia* (1 *Reg.*, XVIII). Non igitur ista satis quadrant in Davidis personam. Nisi forte Dogaeum delatorem hoc loco intelligi voluit; verum is Achimelecho proprie incommodavit, non Davidi. Aut nisi hoc malumus, in aula Regis Saulis fuisse aliquos, qui cum Davidis dignitati atque apud Regem gratiae, ad quam ex humili brevi pervenerat, inviderent, occulte illi obtrectando semper et detrahendo, Saulis animum ipsum, sua sponte non satis aequum, in Davidem falsis suspicionibus impleverunt, et

tandem odio praecipitem egerunt. Quod quamvis non aperte scribatur in libris Regum, tamen satis potest colligi ex illo, quod David Sauli dixisse memoratur, videlicet (*1 Reg.*, XXVI): *Si Dominus incitat te adversus Davidem, placetur sacrificio; si autem filii hominum, sint maledicti*. Sed quoquo modo ista se habeant, illud certe confitendum est, hunc versum aptissime posse intelligi de persona Christi, qui nunc Davidis ore apud Deum patrem de iis queratur hominibus, qui se scelerate accusarunt et falsis criminibus obrucrunt.

In quo illud animadverti omnino debet, cum Christus Jesus, cujus ex persona hunc versum accipimus, oppugnaretur a plurimis, idque variis modis: nam alii prodiderunt illum, alii accusarunt, alii comprehenderunt, ab aliis aperte tela in ipsum jaciebantur, clam ab aliis subministrabantur; denique damnatus ab aliis, ab aliis caesus et cruci affixus fuit, et tanquam in scena cum fabula agitur, sic in illa Christi causa et postremo necis crudelissimae actu, alii alias personas gesserunt; cum igitur tot haberet Christus tamque varios inimicos, de reliquis omnibus silere ipsum, unum vero illud genus eorum, qui in ipsum falsum testimonium dixerunt, nominatim accusare; quo nos intelligeremus, innocentibus atque bonis hominibus ipsum per se mori atque ab hoste interfici non admodum acerbum esse, at cum falsi criminis specie quaesita et obtenta, pro nocentibus habiti, ad supplicium rapiuntur, id vero grave illis nimis et intolerandum videri. Etenim dupliciter fit, ut afficiantur poena atque morte boni et innoxii viri: vel ob id ipsum, quia boni sunt, quod accidebat olim sanctis Martyribus, qui nullum aliud ob scelus poenis subjiciebantur, nisi quod pietatis atque Christi fidei veri cultores essent; hoc vero mortis genus boni non modo fugere aut detrectare nolunt, verum adire atque obire etiam eam mortem cupiunt, utpote quae eos illustret et eximiis gloriae ornamentis afficiat; itaque, vel interimuntur ob id ipsum, quia boni sunt, vel ob verum quidem crimen, falso tamen ipsis objectum, sceleris damnati extinguuntur, quod est injuriae atque calamitatis genus maximum, propterea quod ad justitiam extinguendam, nomen ipsum justitiae scelerate usurpatur, et sub aequitatis jurisque persona tecta atque etiam commendata calumnia, in indignos grassatur nomineque et armis virtutis utitur adversus ipsam virtutem. Itaque aegre valde ferunt boni sceleris sibi notam inuri, aut nomen affigi, et pro sceleratis interfici, alias non gravate mortem oppetituri. Non enim solum amittunt vitam, cujus ipsi cupiditate minime tenentur, sed quod charissimum illis esse debet, quales sunt tales videri, quo ex eo apud homines gloria illustretur et nomen Dei, id illis indignissime eripitur virtutisque cultores in parricidarum numero ponuntur; juris vero atque aequi oppressores, vindices scelerum atque ministri sanctissimarum legum censentur, ex quo extitit etiam in divino vate et sanctissimo homine talis querimonia (Habac., I): *Quare respicis contemptores, et taces conculcante impio justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptilia non habentia ducem? et factum est judicium et contradictio potentiorum. Propter hoc lacerata est lex: quia impius praevalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.*

De quo cum justi dolent, non tam suam et privatam vicem dolent, quam publicam virtutis causam lamentantur. Male enim cum virtute, imo pessime, agitur, quoties-cumque id evenit, ut boni pro sceleratis habeantur. Nam et reliquorum, qui boni esse student, retardantur studia virtutis, et ipsi improbi insolentiores redduntur, ipsumque adeo virtutis nomen suspectum et invisum multis fit, dum sub eo insidias humanae vitae fieri et capitalia vitia tegi nonnulli vel credunt, vel suspicantur; tum qui sibi ipsis videntur dicatiores, ansas inde sermonis arripiunt ad publice atque ridicule virtuti detrahendum. Vide, inquiunt, quo evasit fucata illa simplicitas, quantum sceleris modes-

tia ac pudore suffusus vultus illo tegebat, quid adjecisse pro Christo omnia, quid austerum vitae genus coluisse prodest, quid vigiliis sacris, quid jejuniis, quid assiduo precandi studio proficitur, siquidem illis studiis ista monstra gignuntur! ita ne hoc agebatur illo Sacrarum litterarum atque Theologiae disciplinae indefesso studio? abeant litterae, facessant pietatis studia. Ille vivit recte, qui, quod ille dixit, vixit, dum vixit bene. Hujusmodi illi, falsa illa quidem, scelerata, impia, quis neget? Neque enim virtus sui dissimilis esse queat, aut ex aliorum sermonibus naturam suam et ingenium mutet, quamvis accusetur criminose. Itaque falsa omnia, attamen ista falsa veras interdum et nimirum dolendas strages in castris virtutis edunt, verasque calamitates bonis viris important; veras, inquam, quomodo vulgo judicatur de bonis malisque: nam justo et innocenti homini, quamvis falsis testibus oppresso quamvisque male pereunti, nihil mali accidit, si ad divinae examen rationis nostra judicia revocemus. Nam, *in paucis*, ut scriptum est *(Sap.* III), *vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit illos, et invenit eos dignos se.* Ergo illi, quovis modo cadat alea, beati erunt atque felices; delatores contra et falsi testes, etiam eo ipso tempore cum se vicisse lactantur, sunt infelices et miseri.

Neque enim sit falsum quod sequitur: ET MENTITA EST INIQUITAS SIBI.—Id est, adversum se mentita est, in suumque ipsius caput recidet quidquid contra innocentiam falso commenta est. Nam licet connivere interdum Deus videatur et suorum oblivisci; tamen quam a se ipso bonitateque sua discedere non potest, tam nequit non patrocinari innocentibus. Itaque posteaquam illos, in campum et tanquam in aciem deductos, calumniis et impugnationibus malorum hominum paululum exercuit, tandem aperit et in lucem profert insidiosas impiorum artes, eosque frangit atque debilitat; aut si hic, id est, in hujus saeculi brevi vita id interdum negligit facere, in publico certe totius orbis atque omnium quicumque unquam fuerunt conventu hominum cumulate facturus est: quod cum fiet, mendaces atque falsi testes, turpissimis suorum criminum notis insusti poenisque subjecti, in odio atque infamia erunt sempiterna; bonis, vero, per calumniam oppressis, non solum suus restituetur honor, sed vita etiam immortalis et gloriae plena reddetur. Unde consentanee sequitur:

13.—Credo videre bona Domini in terra viventium.

Nam utcumque in hac mortali vita et in hac terra, in qua non tam vita vivitur, quam ad acerbos fortunae casus subeundos spiritus ducitur atque propagatur, cum bonis viris actum fuerit; sive adversarios suos illi vicerint, sive ab eis victi ceciderint, certum est fore, ut cum ab his locis discesserint, in coeli regionibus felici fruantur atque beata vita. Sunt qui terram viventium hoc loco Judaeam dici putent: quo certe nomine ad Esaia (LIII) et Ezechiele vatibus non semel appellatur. Appellatur autem sic, propterea quod multum praestaret caeteris orbis regionibus ea terra eorum, quae ad vitam necessaria sunt, et copia et bonitate; atque ob id maxime sacri vates viventium terram nominarunt ipsam, quia in una ea verus Dei retinebatur cultus, reliquis omnibus populis idola colentibus. Ab ea igitur, quia nunc exulabat David et sperabat quod illi pollicitus fuerat Deus, suum in eam gloriosum futurum reditum, eo ipsum dicere, sperare se visurum bona Domini in terra viventium, hoc est, in ea terra in qua et quod ad vitae copias attinet abundanter, et quod ad Dei cultum et religionem pertinet, sancte vivitur, se visurum bona Dei, id est, adepturum promissa sibi a Deo bona, hoc est, ut id tertio interpreter, deletis ipsius omnibus inimicis, gloria et imperio potiturum et, quod ipse plurimi faciebat, habiturum facultatem adeundi tabernaculum Dei, ejusque ipsius laudes in eo suis comprehensas carminibus decantandi.

Probabiliter quidem haec, atque adeo ad ipsam rerum gestarum fidem vere dicuntur; sed ut probabilia ista sint, tamen mihi verius apparet, terram viventium hoc loco coelum ipsum dici, et eo perveniendi spe sanctum Davidem aegritudines suas lenire. Nam et ipsa Judaea, si quo loco terra viventium appellatur, ob id appellatur maxime, quia illius pleraque divinitus relata erant ad coelestis patriae statum adumbrandum et significandum; praeterquam quod omnis illa Davidi in patriam restituto promissa regia felicitas caduca erat atque terrena, et non satis profecto digna quam vates divinus, sanctissimus certe vir, tanti faceret, ut ejus una spe vel in mediis malis se beatum ac felicem putaret ac diceret. Quid quod terra viventium, si hebraeae vocis numerum et sonum reddamus, terra vitarum interpretanda est? Terra, autem, vitarum haud dubie augustius nomen est, quam ut ulli terrenae regioni possit convenire, aut ei satis apte tribui, propterea quod haec quae incolimus terrena loca, quamvis et coeli clementia et soli ubertate beata, mortis et morte pejorum malorum domicilia sunt, non vitae fecunda loca, tantumque absunt ab eo, ut jucunde et tranquille vivendi nobis varias vias dent, ut unum hoc vitae, quod hic vivitur, genus mortis multo plus quam vitae habeat, utpote quod non solum festinet ad interitum, verum etiam singulis horis intereat; ut illa non dicam mala, morbos, dolores, aegritudines, fortunae acerbitates, quorum istae regiones valde sunt quidem feraces. Illa, itaque, sola regio vitarum et sit et appelletur terra, in qua malorum expers vita producitur per aeterna tempora, ubi qui vivunt geminam et utramque felicissimam vitam vivunt, ubi et viget animus et vivit corpus: animus, quia videt atque possidet nullo tempore amittendum Deum, in quo uno maxime animi vita consistit; corpus vero, quia abest ab eo, non solum morbus et dolor, sed et moriendi necessitas omnis atque causa, adestque rursus atque inest ei summa et pulchritudo et agilitas, quae sunt

certe eximia illa et praeclara bona Dei, quae sanctus David et videre cupit et dicit se sperare visurum in terra viventium. Quorum spe bonorum freti sancti homines, aequo animo praesentia mala ferunt. Et quando acrius ipsa eos urgent, secum et cum animo suo ita loquuntur: leve esse et ad momentum temporis durans, nec tam re ipsa quam nomine acerbum, quidquid id est mali quod patiuntur, in quo perferendo fortitudinem suam et pietatem erga Deum spectari ab eodem ipso Deo; qui paratus cum sit, idque pollicitus fuerit ipse, pro malorum patientia proque vita mortali et terrena amissa dare immortalem in coelo atque beatam vitam, nimis angusti nimisque pusilli atque adeo abjecti animi esse, quae tam parvo veneant, tam eximia bona emere non audere. Itaque se ipsi confirmant. Sed adsunt catervae impiorum et, ut sibi videntur, callidorum hominum ista omnia irridentium et miserorum hominum solatia appellantium, itaque dicentium: nec vera illa esse nec verosimilia ullo modo, stultitiaeque prorsus atque dementiae condemnandos esse eos, qui, quae vident atque sensibus suis percipiunt neglectis, quae nunquam sunt, certe quae nemo hominum dicere audeat se vidisse, ea sequantur atque ament. Quorum adversus voces atque opiniones impias quo in sua persona armaret David atque praemuniret omnes bonos, quicumque unquam futuri sunt, pulcherrimum hoc suum carmen tali fine concludit:

14.—Expecta Dominum, et viriliter age: et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Qua expolitione sermonis et in eamdem sententiam tot repetitis verbis acriorem adhortationem fecit. Ex quo etiam intelligimus, quam sit difficile stare justos in acie fortes et invictos, quando non solum adversus illos fortuna pugnat, sed etiam perditorum hominum, quorum est maxima multitudo, prava judicia insurgunt telaque in illos

omnes jaciunt, Deusque ipse interim subtrahere sese illis videtur, neque auxilii sui atque favoris lumen ipsis praetendere. Nisi enim in magno desperationis et ad impios defectionis periculo versarentur, tam acer in adhortando David tamque vehemens profecto non fuisset. Itaque, quemadmodum cum quis adverso flumine aut lembum remis agit aut seipsum natatu propellit, multis e littore spectantibus ipsum, si quando id accidit, ut fluctu ipso et rapiditate fluminis obrutus retro in praeceps feratur, ipsa magnitudo periculi non solum intentos spectatores reddit, sed etiam auxilii ferendi cupidos. Itaque illud unum certatim omnes quod possunt: ne cede, vince, supera, magnis clamoribus iterare non cessant; sic hoc loco David ad omnes eos, qui in acie acriter dimicantes interea, dum cunctatur Deus seque ipse continet, graviter sub armis laborant conversus, eisque animum addens, ita fatur: EXPECTA DOMINUM, et iterum: VIRILITER AGE, et tertio: CONFORTETUR COR TUUM, postremo atque tandem: ET SUSTINE DOMINUM.

Et profecto, verum si quaerimus, quod bonos et innocentes homines, dum ab aliis injuriose premuntur, maxima sollicitudine afficit, quodque eos laedit maxime, et periculo cadendi et a patientia ac pietate deficiendi propiores facit, non tam ipsa per se quae patiuntur mala sunt, quam illud unum, quod infirmitate quadam ingenii et conditionis humanae, vel omnino non curare Deum humanas res, vel certe suas ipsorum negligere, offensumque aliquo eorum peccato, quod ipsos lateat, discessisse ab eis illum, ipsosque tradidisse inimicorum suorum libidini vexandos atque perdendos, non quidem illi plane judicant; sed ad id, ut judicent, et rerum ipsarum indignitate et acerbitate quas tolerant, et ignoratione sui ea quae est humano generi propria, et vero opera et studio daemonum id maxime cupientium persuadere nobis, et propterea nostris cogitationibus saepe id subjicientium nosque implentium multis hu-

jusmodi suspicionibus inducuntur et impelluntur. Ex quo sunt illae voces (Psalm. LXXII): *Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns;* et rursus: *Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis;* illaque Esaiae (XLIX) ex persona populi Dei: *Dereliquit me Dominus et Dominus oblitus est mei.* Igitur, quod illorum animos maxime discruciat id est, quod a gratia Dei, ad cujus unius confugerant praesidium et in quem unum contulerant omnes suas spes, cecidisse se suspicantur. Cujus rei in Christo magnum extat exemplum. Non, quidem, quod ille a Deo, hoc est, a sese desertum se esse aut omnino posse deseri vel putaverit vel suspicatus fuerit unquam; sed quoniam omnium earum rerum, quae acerbae et toleratu difficiles videntur esse, sensum ad se et affectum traduxerit. Is, igitur, cum in ea humili specie, quam ex nobis pro nobis assumpsit, gravissimas injurias et tormenta acerbissima pertulisset, ad caetera tacens ac prope mutus, illud unum, quod se Pater suus oblivisci esset visus, questus est intenta et lamentabili voce: *Deus,* inquiens (*Matth.*, XXVII), *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quocirca, quo id acerbius ferunt justi, eo oportuit magis, ut eos David iterum atque saepius adhortando ad perferendum et constanter agendum, Deumque in primis, quamvis longas moras trahentem, expectandum erigeret atque incitaret.

Quod, autem, saepe jam dicimus morari Deum et lente agere, et vix tandem ad justis opitulandum adduci, id non tam ex re ipsa verum esse intelligendum est, quam ex hominum opinione atque desideriis. Nam Deus ipse, quoniam cuncta late videt, et sapientiae quadam immensitate omnium temporum res gestas earumque inter ipsas consensus atque nexus, et quid cuique conveniat, et quo quidque agi tempore quove omitti oporteat, uno aspectu intuetur, suo quamcumque rem loco suoque et opportuno tempore

scientissime et prudentissime facit. At hominis exigua et angusta mens, utpote quae neque tam longe lateque prospicere, neque uno simul tempore cogitatione tot res comprehendere, neque, si comprehendat, invicem conferre ipsas inter se possit ex sua ipsius exiguitate, tempus Deo atque modum judicandi et poenas de hominibus sceleratis sumendi statuit atque praefinit, quam nostram praefinitionem atque praescriptum quoniam Deus meliore consilio saepe negligit atque transgreditur, ipsum morari atque lento gradu incedere videri nobis dicimus: ita quidem certe loquimur, cunctatoremque et lentum et procrastinatorem vocitamus illum. Atque ubi accidit, ut qui ista Deo definimus judicandi et auxilii ferendi tempora in malis ipsi atque asperis versemur rebus, quoniam omnis et dolor corporis et aegritudo animi dilationis est impatiens, nisi precantibus nobis et adjuvari nos ab ipso petentibus continuo adsit ipse Deus, et ex nostro desiderio calamitati, quam patimur, modum imponat, negligi nos ab eo arbitramur, nosque proinde miseros dicimus, nostrasque querimur et lamentamur perditas et profligatas fortunas. Quare tales qui sunt, ii profecto saepius sunt admonendi Davidem ut audiant Deumque, quamvis morantem, expectent atque sustineant, ut non ex animi eorum libidine aut ex angustiis mentis suae Deum vel irasci vel deponere iram velint; ut quando ipsis auxilii ferendi tempus praeterlisse videtur, ne advenisse quidem illud, satisve adhuc esse maturum existiment, denique, ut cognoscant atque considerent quid nobis expediat quidve secus nescire saepe nos; Deo autem ipsi cognitum id et exploratum esse, nec seguem illum esse aut pigrum, neque imbecillum aut timidum, nobis ut benefacere aut nolit aut nequeat; exerceri virtutem atque illustrari patientia malorum, vitia, quae sunt labes animi, adversorum acerbitatibus elui, pro terrenis rebus et cito perituris amissis bona divina et aeterna reddi solere, nihil, denique, longum esse finem quod habeat:

et certe quo malorum tanquam tempestas major magisque saeva fuerit, eo majorem tranquillitatem et serenitatem futuram, sperantium in Deo et fortiter ad extremum usque contendentium felicissimos exitus semper fuisse, denique non, si ea mala quibus afficiuntur acerba ipsis et non ferenda videntur, Deo ipsi, cujus falli non potest judicium, perinde gravia videri; nomine mala praedicari, re ipsa beatae vitae seminaria esse, Hieremiam vatem illud vere scripsisse (III): *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se supra se. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Dabit percutienti se maxillam, satiabitur opprobriis. Quia non repellet in sempiternum Dominus. Quia si adjecit, et miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum. Non enim humiliavit ex corde suo, et adjecit filios hominum.*

Atque, ut de aliis taceam, et de me uno, qui haec cum scribo, carceri addictus et violatae fidei reus factus, maximis premor malis, et agam et loquar meamque ad me ipse orationem convertam. An quia jam mensis agitur quadragesimus ex quo inimici mei de me triumphum agere coeperunt, et cum apud judices criminando tum apud homines universos detrahendo et obloquendo caput meum oppugnare non cessant, nullaque interim aut levatio malorum ostenditur aut effulget salutis spes, idcirco animum ipse despondeam, et Deum non allaturum innocentiae auxilium putem? Absit a me, absit persuasio tam impia. Numquam ego, pater sanctissime, ne si omnia mala irruant in me, aut minus bene de te judicabo, aut oculos meos abs te aut spem dimovebo. Nunquam de te sentiam nisi quae de optimo atque indulgentissimo patre aequum est sentiri atque credi. Nam ut eorum nunc oblivisci beneficiorum velim, quae superioribus annis multa atque magna in me contulisti, hoc ipsum, quo premor, quod meum nunc angit animum, in quo severe mecum videris agere et irati atque offensi personam sustines, totum ab eximio quodam

amore tuo erga me fateor esse profectum. Nam quem exitum vita erat habitura mea, quo non progressura, impunitate ipsa corroborata, nimia mea audacia peccandi, si me in ea quam instituera progredi via sivisses? aut nisi mihi effrenato et caeco, et in praeceps ruenti frenum injecisses timoris tui? Deliqui, fateor; multa miser in te, plurima in me, in reliquos homines multa peccavi; intestinae cupiditates meae, supergressae caput meum, arcem animi hostibus tradiderunt; proditus sum a me ipso. Et cum tu puerum me, antequam terrenis curis inficerer, ad religiosum vitae genus, id est, ad te vocavisses, juvenem rerum optimarum studio inflammasses, et jam adulta aetate virum donis tuis cumulasses et magnis et plurimis, pro tot ac tantis beneficiis malam ipse gratiam tibi retuli; nec solum ingratus tibi fui, sed etiam quod in me fuit, mihi ipsi exitialis. Nam quid aliud promerui, quam ut, sceleris damnatus poenisque addictus, me obrueres sempiterna oblivione? Sed quae te compulit tua bonitas, ut mihi puero, nihil dum de te merito, olim faceres bene, eadem impulit, ut erranti mihi nunc et in scelus ruenti et tua sanctissima jussa ingrate aspernanti, severiori poena motum incuteres. Quoad licuit et quoad fieri potuit, benignum te mihi et indulgentem exhibuisti. At ubi me ista tua indulgentia abuti vidisti, eaque magis in dies corrumpi, malumque quotidie serpere latius, medicamentum, morbo sanando quod esset aptum, mordax atque acre adhibuisti, ratio agendi variata est, non commutata benefaciendi voluntas. Nunquam enim inimici mei adversum me tantum potuissent, nisi tu conatu illorum injusto abuti velles ad meam salutem.

Nam, quid in meos meres minus cadit quam infidelitas? quidve magis a me alienum, quam a rectae fidei integritate deficere, qui semper optarim vel capitis atque fortunarum omnium periculo ipsam tueri? Sed quo magis esset perspicuum, tuo potius quam hominum consilio rem istam

geri, idcirco nunc illo laedor, quod, si res rite expendatur, erat infirmissimum ad laedendum; et qua parte videbar adversus hostiles appetitiones maxime munitus et tutus, ab ea nunc parte omnia illorum tela nudo latere excipio. Falsis aliorum criminationibus vera peccata mea in me punis, et cum insimulari me sinis ejus criminis quod nunquam commisi, poenas a me exigis ob ea peccata, quae admisi; et aliorum injusta actione juste tu, imo pie et amanter, corrupto vitiis animo meo, ne funditus interirem, ferrum atque ignes adhibes. Jam numen tuum pater agnosco, jam mihi totus displiceo, et quod te miser offendi doleo atque discrucior: ignosce, pie, ac jam tandem placatum redde te mihi: idem amor qui imposuit, jam tibi detrahat severitatis istam personam: hactenus aliorum mendaciis ad meam salutem abusus es; jam, salvo me ac tibi reddito, veritas ipsa sibi ut patrocineris suo quodammodo jure abs te postulat: vindicatum est in me atque saevitum, pro eo quantum commerui sane parum, at pro tua placabili et in tuos indulgenti natura fere satis; jam tuum erit opitulari laboranti innocentiae. *Recordare, Domine, filiorum Edom in die Hierusalem: qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea (Psalm.* CXXXVI.)

Quamquam ego illos ulcisci non cupio; eos laqueos mihi quos tetenderunt, exuere opto: semper illos misericordia potius quam odio dignos duxi, eosque, qui injuriam mihi fecerunt, me, qui injuriam ab ipsis allatam sustineo, esse magis miseros judico. Sint illi per me felices atque ampli, nihil obsto; ut mihi, ab illorum calumniis libero, liceat, quam pure erga te fidem servavi, ejus fidei apud homines bonam existimationem integram retinere, id vero supplici ter postulo. Auxilium tu mihi fuisti a juventute mea; nunc, cum maxime deficit virtus mea, ne derelinquas me. Esto lux densis tenebris malorum oppresso, esto salus de fama et de fortunis omnibus dimicanti, dissipa consilia impia et coelesti immisso lumine detege mendacia atque fraudes,

meque his cripe malis, ereptumque meis, id est, tuis famulis redde, et a mortis locis vindica me ad vitae regionem. Quod si minus hoc mihi, tuae certe id naturae debes: debes bonitati, debes fidei, debes clementiae; mihi namque certum est instare apud te precibus semper, tuas patientissimas aures meis querelis obtundere; non quiescet pupilla oculi mei, et quamvis saepe repulsus, saepius clamabo: *Domine, vim patior, responde pro me;* dabis instanti, quod denegas peccatori, idque cum dabis plurimorum, qui mea causa laborant, grata ora in tuas laudes resolves, qui unus sempiterna laude dignus es vere unus et vere trinus Deus. Amen.

In Psalmum XXVIII (1)

Afferte Domino, filii Dei, etc.

In hoc psalmo, David invitat et hortatur homines pios ad laudandum Deum, idque constat inter omnes interpretes, sed quod sit hujus laudis argumentum, de eo non omnes consentiunt. Nam quidam hebraei doctores tradunt, quod olim, quando fuit lata Lex et tabernaculum constructum, Deus suam praesentiam designavit tonitruis et grandi procella; et quod David in hoc carmine hortatur homines ad laudem Dei, ob hujusmodi res. Cui sententiae suffragatur titulus hujus psalmi, qui est apud Graecos, scilicet: PSALMUS DAVID. IN CONSUMMATIONE TABERNACULI; de quo titulo postea dicemus. Alii, vero, censent causam et argumentum hujus laudis esse meteora, id est, ea quae natura in sublimi fiunt, ut sunt nubila, fulmina, et tonitrua, et tempestates; nam est familiare Sacris Litteris de hujusmodi rebus facere mentionem et ex illis sumere argumentum, vel ad laudandum Deum, vel ad ejus potentiae magnitudinem ostendendam, ut patet in psalmis VIII, XVIII et CII, et apud Job, pluribus locis, sed praecipue XXXVIII et XXXIX. Sunt alii, etiam ex hebraeis doctoribus, qui putant hunc psalmum esse propheticum et totum pertinere ad tempora Messiae et ejus res gestas significari, figuratis nominibus, et ob eas res hortari universos homines ad laudem Dei. Quam sententiam multi ex nostris sequuntur, quanquam non eodem modo omnes; nam plerique ita censent:

(1) In margine: «M. F. L. d. L.»

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

meque his cripe malis, ereptumque meis, id est, tuis famulis redde, et a mortis locis vindica me ad vitae regionem. Quod si minus hoc mihi, tuae certe id naturae debes: debes bonitati, debes fidei, debes clementiae; mihi namque certum est instare apud te precibus semper, tuas patientissimas aures meis querelis obtundere; non quiescet pupilla oculi mei, et quamvis saepe repulsus, saepius clamabo: *Domine, vim patior, responde pro me;* dabis instanti, quod denegas peccatori, idque cum dabis plurimorum, qui mea causa laborant, grata ora in tuas laudes resolves, qui unus sempiterna laude dignus es vere unus et vere trinus Deus. Amen.

In Psalmum XXVIII (1)

Afferte Domino, filii Dei, etc.

In hoc psalmo, David invitat et hortatur homines pios ad laudandum Deum, idque constat inter omnes interpretes, sed quod sit hujus laudis argumentum, de eo non omnes consentiunt. Nam quidam hebraei doctores tradunt, quod olim, quando fuit lata Lex et tabernaculum constructum, Deus suam praesentiam designavit tonitruis et grandi procella; et quod David in hoc carmine hortatur homines ad laudem Dei, ob hujusmodi res. Cui sententiae suffragatur titulus hujus psalmi, qui est apud Graecos, scilicet: PSALMUS DAVID. IN CONSUMMATIONE TABERNACULI; de quo titulo postea dicemus. Alii, vero, censent causam et argumentum hujus laudis esse meteora, id est, ea quae natura in sublimi fiunt, ut sunt nubila, fulmina, et tonitrua, et tempestates; nam est familiare Sacris Litteris de hujusmodi rebus facere mentionem et ex illis sumere argumentum, vel ad laudandum Deum, vel ad ejus potentiae magnitudinem ostendendam, ut patet in psalmis VIII, XVIII et CII, et apud Job, pluribus locis, sed praecipue XXXVIII et XXXIX. Sunt alii, etiam ex hebraeis doctoribus, qui putant hunc psalmum esse propheticum et totum pertinere ad tempora Messiae et ejus res gestas significari, figuratis nominibus, et ob eas res hortari universos homines ad laudem Dei. Quam sententiam multi ex nostris sequuntur, quanquam non eodem modo omnes; nam plerique ita censent:

(1) In margine: «M. F. L. d. L.»

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod David in hoc carmine litterate et historice agit de meteoris, id est, de operibus naturae, quae fiunt in aere; mystice, autem, et specialiter agit de rebus Christi et de praedicatione Evangelii et de efficacia verbi Dei. Alii, vero, contra existimant historice agi de Christo et de Evangelii praedicatione, sed agi atque dici, non propriis nominibus, sed translatis et metaphoricis, scilicet, ducta similitudine et metaphora ab his rebus, quae fiunt in aere, cum tonat atque fulminat; nam vox Evangelii, instar tonitrui, momento temporis totum orbem suo sono complevit, et obstupefecit, et in sui admirationem convertit. Quae sententia mihi magis probatur.

Ad quam exactius intelligendam, advertendum est, quod sacri vates duplici moventur ad futura praedicenda modo: vel sermone, vel imagine objecti (1). Sermone, quando interno aut externe, disertis verbis, eos futura docet; quod est praestantissimum prophetiae genus, et in quo Moyses excelluit, ut constat ex illo, *Numerorum* XII, ubi dicitur: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea est fidelissimus: ore namque ad os loquar ad eum.* Imagine objecti moveri solent vates ad futura praedicenda, quando interne aut externe Deus objicit vati aliquid videndum, quod continet imaginem et similitudinem rei postea futurae, eamque contineri ipse vates per lumen propheticum aperte cognoscit. Sed harum imaginum sunt plura genera: nam interdum in eo, quod casu exterius geritur, Deus demonstrat vati aliud futurum, quod est simile illi, quod exterius geritur, ut accidit Samueli (I *Regum*, c. XXVIII), quando Saul, cum Samuel abire vellet, et pallio aprehen-

(1) Ad marginem: «Vide eumdem *super Abdiam*, super illud: *Visio Abdiae*; et in quaestione *De sacra Scriptura*, quaest. III, in solutione tertii argumenti principalis.»

so ipsum retinere conaretur, pallium discidit; nam tunc, statim intulit Propheta: *Scidit Dominus regnum Israel a te hodie*. Interdum, vero, imago quae objicitur prophetae est aliquid fictum, et non solum non existens in rerum natura, sed neque his, quae a natura fieri solent, consentaneum et simile, ut sunt fere omnia illa quae Danieli et Ezechieli et Joanni in *Apocalypsi* sunt objecta. Interdum, autem, imago in qua vati per lumen propheticum res futura ostenditur, sumitur ex ipsis rebus quae in natura accidunt. Quas res cum vates tacite contemplantur, et secum ipsi admirantur, lumine prophetico repente infusi et illustrati, et altius elati, videre incipiunt alias res postea futuras, valde similes illis rebus, quas contemplabantur in natura; et ut illas vident, ita efferunt tectas et adumbratas earum rerum nominibus, quas in natura contemplabantur. Sic David, in psalmo VIII, cum forte illi esset objectum, ut de hominis natura in universum cogitaret, in homine caput hominum, Christum, lumine prophetico illustratus, vidit; et ita illud carmen de illo confecit, nam historice esse intelligendum illud carmen de Christo constat ex Paulo *ad Hebraeos*, II. Et similiter, idem David in psalmo XVIII, cum contemplaretur coelorum concentum et astrorum speciem, et solis cursum atque splendorem, in his rebus, lumine prophetico illustratus, conspexit Apostolorum praedicationem post futuram, et Ecclesiae ornamenta, et Evangelii atque Christi late coruscantis splendorem et lucem; eaque universa illo carmine vaticinatus est. Sic, etiam, in psalmo CII idem David ex his, quae Deus in conditione mundi et in rerum natura molitus est, cum ea mente atque cogitatione pertractaret, lumine prophetico subito illustratus, vidit ea quae in conditione Ecclesiae evangelicae Deus facturus erat, illis quidem rebus similia, sed multo majora atque meliora; itaque, illa illo carmine coepit explicare verbis translatis, sumpta metaphora ab eisdem rebus, quas secum tacitus de proprio cogitabat. Cui etiam est

UNIVERSIDAD DE SALAMANCA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

simile, quod eidem Davidi accidit in hoc psalmo: cum, enim, forte procellam sonantem audiret, et videret coelum tonare et fulgurare, et de illis operibus secum tacitus Dei potentiam admiraretur, lumen propheticum, illi infusum, ejus mentem elevavit ad videndum aliud genus tonitrui longe majus et admirabilius, id, nimirum, quo Deus, adveniente Christo et Evangelio insonante, commoturus erat totum orbem et ad se conversurus; idque, ut vidit, sic cecinit isto carmine, tectum earum rerum nominibus, quae ipsi causam dederunt ut videret, scilicet, nominibus procellae et tempestatis.

Quare hic psalmus primo exponi potest in eam sententiam quam verba, proprie sumpta, prae se ferunt; secundo, in eam sententiam, ad quam metaphorice transferuntur. Et quoniam quod olim in conversione gentium ad Christum accidit palam et aperte, idem occulte quotidie accidit in conversione cujuscumque hominis a peccato ad justitiam, idcirco haec secunda explanatio metaphorae in duas sententias potest dividi: una, quae proprie pertinet ad universum hominum genus; alia, quae proprie pertinet ad singulos homines. Et sententia hujus psalmi triplex esse potest; sed et Theodoretus graecus auctor quartam expositionem invexit, ab his tribus distinctam; nam existimat hunc psalmum pertinere ad ea quae acciderunt tempore Ezechiae regis, quando Deus una nocte exercitum Assyriorum, qui obsidebat Hierusalem, extinxit atque confecit, ut dicitur in II *Paralipomenon*, capite XXXII. Et ob eam victoriam, censet Theodoretus Davidem in hoc carmine invitare universos homines ad laudem Dei; quam victoriam significat figuratis procellae et tempestatis nominibus. Atque haec dicta sint de argumento hujus psalmi.

PSALMUS DAVID. IN CONSUMMATIONE TABERNACULI. — Hic titulus in hebraeo non habetur, sed tantum apud Graecos habetur; neque id apud omnes, ut constat ex Theodoreto in hoc psalmo. Unde creditur additus a Septuaginta

interpretibus, qui id traditione acceperunt a majoribus suis. Nam David dicitur hoc carmen concinisse, confecto et consummato Tabernaculo, quod paravit ad arcam Dei excipiendam; de quo scribitur I *Paralipomenon*, capite XV; et in eo, divino spiritu, vidit ea quae in vero tabernaculo Ecclesiae postea eventura erant. Sed quod latini legunt: IN CONSUMMATIONE, id graece est: ἐξόδιον, quod proprie exitum significat. Unde Euthymius et alii hunc psalmum confectum esse dicunt ut decantaretur, non quidem consummato Tabernaculo, sed in exitu et egressu Sacerdotum a Tabernaculo; nam et voce graeca ἐξόδιον olim nominabatur id canticum, quod e coena discedentes canebant Quarequod latini vertunt: IN CONSUMMATIONE TABERNACULI, accipiendum est dici, non de confecto et consummato ipso Tabernaculo, sed de his rebus quae in Tabernaculo quotidie religiose fiebant in Dei cultum. Quasi dictum esset: Canticum Davidis decantandum a Sacerdotibus, recedentibus a Tabernaculo, re divina consummata atque perfecta. Atque haec de titulo dicta sint.

I. — Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum.

In codicibus hebraeis, qui nunc exstant, deest altera pars hujus versiculi, nam legitur: AFFERTE DOMINO FILII DEI, et statim infertur: AFFERTE DOMINO GLORIAM ET HONOREM. Id quod accidisse putatur ex cujusdam vocis hebraicae ambiguitate; nam Helim, et Deos significat et arietes. Itaque, cum olim scriptum esset bis: FILII HELIM, FILII HELIM, verosimile est, alterum sublatum fuisse a recentioribus, eo quod redundare videretur; sed Graeci interpretes utrumque rectius retinuerunt, itaque interpretati sunt: AFFERTE DOMINO, FILII DEI: AFFERTE DOMINO FILIOS ARIETUM. Quibus verbis, David hortatur homines pios ad colendum Deum sacrificiis, propter causas mox explicandas; nam filios arietum agnos vocat, quibus juge sacri-

ficium constabat. Figurate, vero, una explicata specie universum genus complectitur. Vocat, autem, filios Dei, vel ipsos sacerdotes, vel certe omnes homines pios, qui Deo sunt adoptati per gratiam: quamquam alii filios Dei proceres et principes populi nuncupatos arbitrantur, et Chaldaeus interpres hoc nomine angelicos spiritus appellari censet. Et verosimile est omnes hos a Davide significatos esse, scilicet: sacerdotes, principes populi, universos filios hominum, ipsos etiam Angelos: nam quae dicturus est, ad omnes spectant; et earumdem rerum magnitudo exposcit, ut cunctorum ore celebretur et laudetur Deus. Caeterum, Euthymius et Theodoretus sic hunc locum interpretantur: FILII DEI, id est, Apostoli, quos David, propter insignem adoptionis gratiam, filios Dei insigniter appellat; AFFERTE DOMINO FILIOS ARIETUM, id est, fideles ex gentibus vestra praedicatione ad fidem adducite. Vocat autem illos FILIOS ARIETUM, tanquam ortos a brutis parentibus.

AFFERTE, inquit, DOMINO FILII DEI, etc. Ex hoc loco intelligitur falsum omnino esse, quod quidam novus scriptor tradidit, scilicet, in Sacra Scriptura, filios Dei semper appellari pro daemonibus; vix, enim, locus aliquis in Scriptura reperiatur, in quo daemones filii Dei nominentur, cum, contra, pluribus in locis ea appellatione censeantur aut angeli sancti, aut homines pii, aut certe viri praestantes et insignes. AFFERTE DOMINO, FILII DEI: AFFERTE DOMINO FILIOS ARIETUM. Non hortatur homines universos, sed solum eos, qui sunt filii Dei, id est, qui merito et puritate vitae sunt participes divini generis; non, inquam, hortatur peccatores, sed justos. Et ratio est, quia hortatur ad laudandum Deum, et sicut scriptum est *Ecclesiastici* XV: *Non est speciosa laus in ore peccatoris*. Sequitur:

2.—Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Pro honore latino, verbum quod est in hebraeo proprie significat robur et fortitudinem; unde divus Hieronymus vertit: AFFERTE DOMINO IMPERIUM. Caeterum, pro atrio latino, verbum quod est in hebraeo significat decus aut pulchritudinem; appellat, autem, David decus sanctum translate ipsum Dei Tabernaculum atque Templum, propter ejus eximiam pulchritudinem et sanctitatem. Itaque, noster interpres, rejecta metaphora, proprie et vere transtulit: IN ATRIO SANCTO EJUS. Igitur, quod superius dixerat David, ut AFFERRENT DEO FILIOS ARIETUM, id est, ut victimas Deo offerrent; id quale sit, isto versu interpretatur, cum dicit: Ut tribuant Deo honorem, et ejus potentiam admirentur, et nomen ejus laudibus celebrent, id est, ut offerant Deo victimas et sacrificia laudum; quod est Deo sacrificium gratissimum. Sed inquit: AFFERTE DOMINO; afferte, autem, quod manu offertur. Ex quo intelligitur praecipi, non solum ut ore laudemus Deum et ejus celebremus potentiam, sed potissimum ut opere atque sanctae vitae actionibus ipsi honorem atque gloriam tribuamus; nulla enim re magis celebratur atque laudatur Deus, quam suorum pietate atque sanctitate vitae, secundum illud quod scriptum est *Matthaei* capite V: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum qui in coelis est*. Sequitur:

3.—Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

Posteaquam David hortatus est homines pios ad laudem Dei, subjicit laudis argumentum; id est, de qua re, vel quam ob causam, Deum laudari atque celebrari velit.

Vult, enim, ut ipsum celebremus ob illius vocem super aquas. Sed dubitatur quaenam sit ista vox, quae sic Deum facit laudabilem, nam hujus vocabuli est varius usus in Sacris Litteris. Sed, quod ad praesens proprius pertineat, primo accipitur pro tonitruo, ut in illo psalmi CIII: *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt*, et in psalmo XVII: *Intonuit de coelo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam*, et in salmo LXXVI: *Vox tonitrui tui in rota*, et psalmus XLI: *In voce cataractarum tuarum*, et apertissime primo *Regum*, capite XII: *Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit voces et pluviam in illa die*. Secundo, appellatur vox Dei in his Litteris ipsa promulgatio Legis divinae, idque pluribus in locis, sed praecipue in *Deuteronomio*, capite IV et V, Esaiae XL et LVIII; ex quo etiam annuntiatio Evangelii, quae est vox Dei, similiter appellatur vox divina, ut (*Joannis* V) in illo: *Et mortui audient vocem Filii Dei*, proprie significatur praedicatio Evangelii, qua mortui peccatis ad vitam justitiae revocantur, et Paulus *ad Hebraeos*, capite III, illud Psalmi: *Hodie si vocem ejus audieritis*, etc., interpretatur de hac voce praedicationis evangelicae. Et, certe, haec praedicatio Evangelii, qua ab infidelitate ad fidem orbis est conversus, et idolorum cultus penitus est eversus, tonitrui et procellae nominibus figurate nominatur in his Litteris, ut apertissime constat ex psalmo XCVI, ubi sic dicitur: *Dominus regnavit, exultet terra, laetentur insulae multae*, quae constat aperte dici de mundi ad fidem conversione, et statim subjicitur: *Nubes et caligo in circuitu ejus*, etc..... *Ignis ante ipsum praecedet*, et statim: *Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae, vidit et commota est terra;* ac postea, se ipsum interpretatur, remota metaphora: *Annuntiaverunt coeli justitiam ejus: et viderunt omnes populi gloriam ejus. Confundantur omnes qui adorant sculptilia*, etc. Tertio, vox Domini nominatur in his Litteris interior vocatio, qua Deus animum hominis excitat, et a peccato ad justitiam vocat;

ex quo ista excitatio rite appellatur vocatio multis in locis, ut in illo *ad Romanos*, VIII: *Quos praedestinavit, hos et vocavit*.

Igitur, David in hoc versu adhortatur nos ad laudandum Deum ob istam triplicem vocem: primum, propter tonitrua et pluviam, et haec meteora quae in aere fiunt; nam ista ostendunt, quam sit potens Deus et admiratione dignus. Quod, autem, dicit hanc vocem super aquas audiri, ideo dicit, quia tonitrua semper sunt conjuncta cum imbre densissimo, et quia nubes, aquis gravatae, cum scindantur, eum sonitum edunt. Secundo, adhortatur nos, ut laudemus Deum et ejus admiremur potentiam ob praedicationem Evangelii; qua voce maxime suam potentiam Deus atque virtutem declaravit, nihil, enim, unquam contigit admirabilius. Atque ista voce dicitur Deus tonasse super aquas multas, quia pertinuit ad universas gentes; nam aquarum nomine in arcano sermone significari solent populi et multae gentes, in unum collectae, ut liquet ex illo Apocalypsis, XVII, ubi dicitur: *Aquae quas vidisti, in quibus meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguae*. Dicitur, autem, Deus in hoc versu hanc vocem dedisse ter; quia trina divulgatione continetur totus evangelicae praedicationis cursus, ut demonstravimus in commentariis super Abdiam. Tertio, monet David ut laudemus Deum ob eam vocem, qua interne movet animum hominis, et admirabili potentia a peccato ad justitiam revocat: in quo etiam Deus se ostendit valde mirabilem. Nam quoniam id non fit sine nostrae voluntatis consensu, et tamen fit ita, ut gratia vocationis Dei et illius efficacia nunquam frustretur; sine dubio, nisi Deus esset summe potens et summe sapiens, non posset suae gratiae infallibilem efficaciam conjungere cum libertate nostrae voluntatis. Unde admirabilis praedicatur in sanctis suis. Caeterum, haec vox Dei dicitur incumbere super aquas, vel quia ubi insonuit ista vox, cor hominis, poenitentia et dolore commotum, se effundit in lacrymas;

vel, certe, quia in ea vocatione infunditur Spiritus Sancti gratia, quae gratia aquae nomine in Sacris Litteris significatur, ut constat ex illo Joannis, capite IV et VII. Sequitur:

4.—Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

Quoniam superiori versiculo meminit vocis Dei, quae multiplex esse potest; ut certius intelligeretur de quo genere vocis ageret, haec subjicit: VOX DOMINI IN VIRTUTE: VOX DOMINI IN MAGNIFICENTIA. Loquitur, enim, non de quacumque voce, sed de voce Dei potenti et magnifica, id est, horrisona et intensissima voce, qualis est tonitrui, quo maxima motu terra tremit; atque etiam qualis illa fuit, qua Deus universum orbem ab idolorum cultu et errore ad fidem veritatis traduxit; atque etiam qualis illa est, quae animum hominis, vitiis immersum et peccatis obrutum, momento temporis justitiae amatorem atque studiosum reddit. VOX DOMINI, inquit, IN VIRTUTE, id est, cum potentia et cum magnificentia, id est, magnifica et potentissima. Quamquam Euthymius et Theodoretus hoc effective interpretantur, isto scilicet modo: VOX DOMINI IN VIRTUTE, vox Domini efficiens virtutem, vox Domini efficiens magnificentiam in ejus animo, in quo semel insonuit; non, enim, est vox quae terrorem incutiat, aut mentem eripiat, sed potius quae animum addat, et confirmet ad omnia praeclara et honesta aggredienda et obeunda. Sequitur:

5.—Vox Domini confringentis cedros: et confringet Dominus cedros Libani.

Amplificat David hujus divinae vocis magnitudinem ab effectu. VOX, inquit, DOMINI CONFRINGENTIS CEDROS; ex hebraeo sic vertitur commode: VOX DOMINI, CONFRINGENS

CEDROS, CONFRINGENS DOMINUS CEDROS LIBANI. Vocem Dei hoc loco nonnulli interpretantur fulmina, propterea quod fulmen sit conjunctum cum tonitruo; sed nihil necesse est isto modo loqui, nam et ipsa tonitrua figurate et poetice recte dicuntur confringere et evellere altissimos cedros; quia, coelo tonante, semper venti vehementius incumbunt, et obvia quaeque disturbant. VOX DOMINI CONFRINGENTIS CEDROS.—Cedrus est arbor altissima, et inter alias cedrus Libani nobilissima habetur; Libanus, autem, est mons in Judaea. Figurate, autem, in Sacris Litteris cedri appellatione significatur id, quod excellit atque eminet in hac vita; quae res, Evangelio insonante, confractae sunt, quia Evangelii proprius effectus fuit, idolorum cultum evertere, et dejicere superbos et elatos montes et mittere sub jugum Christi, ut Paulus scribit in II *ad Corinthios*, capite X, dicens: *Arma militiae nostrae non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Quod ipsum etiam accidit in conversione cujuslibet peccatoris. Nam quum, insonante voce Dei, animus a peccato ad justitiam convertitur, statim abjicit omnes cogitationes superbas et elatas; quia initium justitiae semper ducitur ab humili cognitione suimet; et propter istam causam, primus effectus hujus vocis esse dicitur confractio cedrorum, quia in ea re positum est initium et fundamentum salutis, nam superbia initium peccati est. Itaque, prima omnium ex animo evellenda est et penitus extirpanda. Sequitur:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

6.—Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Quod superiori versiculo dixerat de cedris confractis vi vocis divinae, id latius exsequitur in isto versu, et auget atque amplificat magis, similitudine et hyperbole. Sed nec hebraea in hoc loco, nec graeca cum latinis consentiunt; nam Graeci legunt in accusativo LIBANUM, sicque interpretantur: ET COMMINUET EAS, scilicet, cedros, haec vox divina, et etiam comminuet Libanum, TANQUAM VITULUM; id est, non solum arbores ipsas confringet, sed montem ipsum, loco motum, comminuet sicut vitulum, id est, quam facile vitulus loco moveri atque ferri potest. Et statim repetit idem aliis verbis, dicens: ET DILECTUS QUEMADMODUM FILIUS UNICORNIUM comminuitur; id est, et sicut dilectus filius unicornium ob teneritudinem comminui potest, tam facile ista vox Dei suo fragore et arbores et montes comminuet. Atque haec Graeci. At vero latina versio utramque versiculi partem ad arbores refert, quas ut doceat facillime confringi, Deo tonante, duas adhibet similitudines, sumptas a vitulo et a filio unicornis. Quamquam in hac posteriori versus parte interpretanda, non omnes interpretes consentiunt; nam eam quidam interpretantur eo, quo supra diximus, modo; alii, vero, illud *dilectus* non conjungunt cum filio unicornium, sed id referunt vel ad Deum ipsum, vel ad Christum, vel ad populum fidelem isto, scilicet, modo atque sensu: COMMINUET, inquit David, CEDROS LIBANI, TANQUAM VITULUM, id est, ad nihilum Deus rediget praedicatione evangelica quidquid in hoc mundo altum et superbum est; et tunc, scilicet, quando ista evenient, Deus erit DILECTUS SICUT FILIUS UNICORNIUM, quia, scilicet, sublato idolorum cultu, et vera Dei cognitione hominibus tradita, homines ipsum Deum colere et adamare coeperunt. Vel alio modo: Et tunc,

quando ista evenient, DILECTUS, id est, Christus, qui isto nomine in Sacra Scriptura nominatur, erit in pretio apud homines SICUT FILIUS UNICORNIUM, id est, sicut in pretio est rhinoceros, nam omnes ejus cornu expetunt. Vel alio modo: Et tunc, quando ista evenient, populus, per Evangelii doctrinam ad fidem conversus, erit DILECTUS SICUT FILIUS UNICORNIUM, id est, erit apud Deum super omnem gratiam. At, vero, apud Hebraeos facilior et expeditior est explanatio et interpretatio; nam pro latino *comminuet*, verbum quod est in hebraeo significat *facere exilire*, et pro latino *dilectus*, verbum hebraeum est nomen proprium cujusdam montis Juda, vocati *Sirion;* itaque ad verbum sic transferri potest: ET EXILIRE FACIET EAS TANQUAM VITULUM, LIBANUM ET SIRIONEM SICUT FILIUM UNICORNIUM. Quibus verbis, David, ad ostendendam magnitudinem hujus divinae vocis, hyperbolice dicit ejus vocis sono atque fragore cedros non tantum confringi, sed etiam de suo loco procul pelli et quodammodo exilire, ut vituli lascivientes exiliunt. Nec solum cedros sic commovere, sed etiam ipsos montes Sirionem et Libanum magnitudine hujus vocis tremere et subsilire, hujus divini tonitrui sono atque fragore commotos, quemadmodum capreae et unicornes seu rhinocerotes subsilire et gestire solent. Sequitur:

7.—Vox Domini intercidentis flammam ignis.—8.—Vox Domini concutientis desertum: et commovebit Dominus desertum Cades.

Simul cum tonitruo fulgura emicant et fulmina cadunt. Itaque, nunc David in hoc versiculo amplificat a conjunctis hujus divinae vocis magnitudinem docens ipsam, fulgure atque fulmine comitatam, et horribilem esse, non solum propter sonitum, sed etiam propter ignes simul emicantes. Ac primo, de fulgure dicitur: VOX DOMINI INTERCIDENTIS FLAMMAM IGNIS, quod perinde est ac si diceret: VOX DO-

MINI dispergentis coruscationem; nam quando tonat, fulgur emicat et late spargitur toto coelo. Vel dicitur INTERCIDENTIS, quia id lumen fulminis apparet intercisum, et oblique decurrit. Vel, certe, deest aliquid in hac oratione, quod suppleri debeat, isto scilicet modo: VOX DOMINI INTERCIDENTIS *nubes ad flammam ignis emittendam*; nam ignis nube inclusus, dum erumpit foras, nubem scindit, ex quo existit ille horribilis sonus. Atque haec de fulgure. De fulmine, autem, additur: VOX DOMINI CONCUTIENTIS DESERTUM, ET COMMOVEBIT DOMINUS DESERTUM CADES. Nam fulmina, ut plurimum, cadunt in locis desertis atque orbis, in montibus aut rupibus; ex quo dixit ille: «Feriuntque summos fulmina montes.» Nominat, autem, singulariter desertum Cades, eo, scilicet, figurate significans omnia deserta loca. Est, autem, desertum Cades vasta et ingens solitudo Saracenorum et Arabiae, in qua continetur desertum Pharan et desertum Sin, de quibus fit mentio in libro *Numerorum*, capite XIII et XXXIII, et in quibus locis filii Israel per XL. annos versati sunt. Caeterum, pro eo quod nos legimus CONCUTIENTIS, in hebraeo est ad verbum: PARTURIRE FACIENTIS. Parturire, autem, in his Litteris ponitur pro eo, quod est summo dolore affici, idque ex proprietate sermonis hebraici, in quo saepe alia verba pro aliis ponuntur, cum significant res aut affines aut conjunctas, aut quarum una ex alia sequi soleat; cujus rei plura exempla attulimus in Commentariis super caput VIII *Canticorum*. Est autem cum partu conjunctus dolor, isque summus; unde Hebraeis, parturire est idem quod dolere. Dicitur, autem, Deus dolere facere et torquere loca deserta, cum ea fulmine ferit, quasi sensus inesset locis desertis; idque dicitur figurate, ad rei magnitudinem magis exaggerandam. Atque haec de tonitruo.

De praedicatione, autem, Evangelii, quae ista voce Dei significata est, verissime etiam dicitur, quod flamma ignis emicuit simul cum illa voce, et late per totum orbem sparsa est, juxta illud verbum Christi: *Ignem veni mittere*

in terram, et quid volo, nisi ut ardeat? Quo, certe, igne significatur ardor studiorum eorum, qui Christi fidem sequuti sunt, et charitas illa Dei infusa in fidelium cordibus per Spiritum Sanctum; qua charitate effectum est, ut fideles, qui Christum sequerentur, omnia contemnerent et pro nihilo haberent, id est, ut se disjungerent atque dividerent ab omnibus aliis studiis, omnes alias amicitias dissolverent. Et ideo dicitur Deus cum hac voce flammas divisisse, ab effectu, scilicet, quia hujusmodi flammis atque igne animos suorum divisit ab omni pernicioso amore et studio. Qua etiam voce ac praedicatione desertum concussum dicitur, quia Gentium multitudinem et idolorum cultores (quos Sacrae Litterae significare solent, ut in illo Esaiae XLI: *Ponam desertum in stagna aquarum*), itaque, hoc desertum, hos idolorum cultores, illud fulmen divinum ita prostravit atque percussit, ut, extincta impietate atque superstitione, universos ad fidem adduxerit. Quod, item, similiter facit illa vox Dei, quae interius in hominis animo sonat, ipsum a peccato ad justitiam convertens: nam, eo sic loquente ad cor hominis, statim ignis emicat, isque divisus: nam eo igne partim illustratur intellectus ad ea consideranda, quae studio et amore digna sunt; partim, autem, inflammatur voluntas et accenditur ad ea ipsa studio et amore prosequenda. Et, similiter, illo fulmine conculitur desertum Cades, nam sensus et animus noster varie afficiuntur; sensus, enim, in Sacris Litteris deserti appellatione atque nomine saepe censentur, propterea quod natura sua nihil, praeter spinas et tribulos, germinare possint; igitur, carnis sensus, percussi hoc fulmine spiritus Dei, graviter dolent, quia eos hoc fulmine separat atque divellit ab his rebus, quae sunt dulcia et suavia in vita, et ab iis rebus, quas adamabant, nam, ut scriptum est *ad Hebraeos*, capite XII: *Omnis disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris: postea autem, fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiae.*

Vel, certe, sine figura aliqua, parturiunt ad ista fulmina sensus; quia ad meliora studia conversi, fructus edere incipiunt coelo dignos, seque vestiunt gramine honestissimarum actionum. Sequitur:

9.—Vox Domini praeparantis cervos, et revelabit condensa: et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Exequitur David alios effectus hujus vocis divinae, quo illius magnitudinem magis amplificet. Vox, inquit, DOMINI PRAEPARANTIS CERVOS. Graeci hoc loco legunt in recto, scilicet, PRAEPARANS CERVOS, aut CONFRINGENS; ex quo intelligitur superiora illa CONFRINGENTIS et INTERCIDENTIS pro rectis accipienda esse; id quod Euthymius etiam adnotavit. Pro eo, autem, quod noster interpres vertit CERVOS, hebraea CERVAS habent, et graeca ambigua sunt ad utrumque genus. Praeparat, autem, haec vox ejusmodi *cervas* ad partum, scilicet, nam in hebraeo ad verbum sic habetur: VOX DOMINI PARTURIRE FACIENS CERVAS; quod et Hieronymus sequutus est in sua versione psalmi ex hebraeo. In eo, autem, quod additur: ET REVELABIT CONDENSA, pro condensis verbum graecum atque etiam hebraicum *sylvas* et *nemora* significat. Itaque, Hieronymus ex hebraeo vertit: REVELABIT SALTUS. Demonstrat, ergo, David in hoc versiculo magnitudinem hujus vocis, id est, tonitrui, ex magnitudine terroris, quo cervos afficit; nam tonitrui metu perculsae, cervae suos foetus ejiciunt. Cervarum, autem, partus sunt difficillimi, ut Aristoteles et Plinius tradunt, et ut constat ex libro Job, capite XXXIX. Tanta, igitur, est vis tonitrui, ut quae difficillimos partus habent, prae ejus metu pariant facillime. Et eodem pertinet quod sequitur: ET REVELABIT CONDENSA. Nam fragore tonitrui et ventorum, qui simul spirant, vi arboribus evulsis atque dejectis, sylvae nudantur, fit arborum magna

strages; ex quo opaca arboribus loca, nuda et aperta remanent. Id, enim, nominat revelare condensa. Quae cum fiunt, accidere solet quod sequitur: ET IN TEMPLO DEI OMNES DICENT GLORIAM, eo quod metu procellae atque tempestatis ad loca sacra confugientes homines, Deo offerant suas preces et vota, Deoque gloriam dicant, hoc est, ipsius nutu cuncta regi fateantur. Atque haec de tonitruo.

De voce, autem, Evangelii Domini est, illa voce cervas ad partum praeparatas dici, vel quia quod videbatur factu difficillimum, ut scilicet, mundus antiquas religiones, a majoribus suis acceptas et tot millibus annorum confirmatas, descreret et abjiceret, id mira facilitate pauci et illiterati homines, hac edita Evangelii voce, effecerunt. Vel, certe, hac voce ad partum cervae praeparatae sunt; quia timidi quique et imbecilles, ut puellae et pueri, ab ea voce animati, robur acceperunt ad edenda heroica virtutis opera, scilicet, ad omnia abjicienda, et ad mortem oppetendam pro Christo. Et eadem voce revelasse condensa dicitur, vel quia dejecit cultum idolorum, quem figurate lucorum atque nemorum et hortorum vocabula significant in Sacris Litteris, eo quod in hortis atque nemoribus illis cultus exhiberetur, ut patet Esaiae I et XVII, LXI et LXVI, et Hieremiae XVII, et in libro III et IV *Regum*, et in libro II *Paralipomenon* pluribus in locis, multa mentio fit lucorum in hac significatione. Vel dicitur ista vox Evangelii revelasse condensa, quia veterum errorum umbras densissimas, illata luce veritatis, illustravit, et quid sequendum quidque fugiendum esset in lucem produxit. Ex quo, factum est quod sequitur: UT OMNES IN TEMPLO EJUS DICANT GLORIAM, id est, ut omnes gentes, veri Dei cognitione illustrati, et a vanissimo numinum deorum cultu ad unum Deum colendum conversi, ejus laudem pleno ore decantarent juxta Malachiae vaticinium, capite I: *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda: quia*

magnum est nomen meum in gentibus (1). Vox, etiam, Dei interior, qua ad justitiam singulos vocat, praeparat ad partum cervas, quia quod imbecillum, timidum atque fugax in nobis est, ita metu afficit atque consternit, ut abjicere faciat id, quod intra se complectebatur et fovebat arctissimo amore, scilicet, voluptates et bona hujus vitae. Et similiter, dejectis arboribus, id est, depulsis umbris quibus obscurabatur nostra mens, ne posset cognoscere verum quod est, revelavit condensa, id est, demonstrat haec divina vox, illis umbris depulsis, quanto in periculo versabatur, et quantus fuerit vitae anteactae error, quae et quanta turpitudo studiorum, quam caeca consilia, quam vanae cogitationes. Nam ista vox verbi Dei est, ut Paulus scribit *ad Hebraeos*, capite IV: *Penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia, autem, nuda sunt et aperta oculis ejus*; quod quando fit, statim accidit, quod sequitur: UT IN TEMPLO EJUS DICANT GLORIAM. Nam quando se aliquis videt liberatum a summo malo et summo restitutum bono, cognoscens illud bonum se a Deo accepisse, statim auctorem salutis suae summis laudibus prosequitur, Deo dicit gloriam in templo ipsius, id est, in semetipso, qui jam per gratiam et justitiam effectus est templum Dei gratissimum. Sequitur:

10. Dominus diluvium inhabitare facit: et sedebit Dominus rex in aeternum.

In hoc versiculo neque graeca satis cum latinis, neque hebraea consentiunt; nam hebraea ad verbum sic habent: DOMINUS IN DILUVIO SEDET, SEDEBIT DOMINUS REX IN AETERNUM; graeca, autem, per futurum vertenda sunt,

(1) In margine: «F. L. Leg. sup. c. 8. *Cant.*, explan. 3., pag....»

isto scilicet modo: DOMINUS DILUVIUM INHABITARE FACIET. Sunt, autem, variae sententiae de hujus versiculi explanatione. Quidam, enim, arbitrantur Davidem locutum de his aquarum inundationibus atque de his procellis et turbinibus, quae quotidie accidunt; atque hujusmodi inundationes, propter copiam aquarum de coelo cadentium, diluvium nominare. Alii ipsum locutum credunt de diluvio, quod accidit tempore Noe; nam dicunt Davidem hoc loco ejus mentionem intulisse, quia agebat de procella et nimbis et tonitruis, scilicet, ob rerum similitudinem. Qui, autem, haec figurate dicta volunt, maxima ex parte diluvium interpretantur sanctum baptismum; alii, multitudinem gentium, undis curarum et vitiorum fluctuantium; alii, carnis cupiditates et affectus, quorum tanquam undis noster animus agitatur; alii, alias interpretationes sequuntur. Nos, autem, id dicemus, quod propius accedere judicabimus et veritati et gravitati.

Atque, in primis, illorum sententiam valde probamus, qui et haec et quae continentur sequenti versiculo arbitrantur dicta esse per mimisim, id est, per imitationem sermonis alieni. Nam quoniam supra dixerat David, omnes, metu procellae atque nimborum in templum Dei confluentes, laudem Deo dicere; idcirco, nunc ponit quibus verbis Deum deprecentur qui sic in templum confluunt, illorum orationem atque verba imitatus, quasi si clarius dixisset: OMNES IN TEMPLO EJUS DICENT GLORIAM, sic, nimirum, precantes: DOMINUS DILUVIUM INHABITARE FACIET, etc. Cujus, quidem, precationis, si latina sequamur, haec sententia est: Dominus immittit hoc diluvium, et in aeternum Deus sedet, hoc est, et in hac re et in omnibus semper dominatur. Idque rectissime dicunt: nam qui metu tempestatis confugiunt ad precandum Deum, confugiunt scilicet ut opem divinam implorent; quare consentaneum est, ut principio orationis suae fateantur ipsum dominari in his rebus, quas effugere cupiunt, nam, nisi illis

praecesset ac dominaretur, frustra auxilium illius implorarent. Ajunt itaque: DOMINUS DILUVIUM INHABITARE FACIT, quasi dicerent: Fatemur, Domine, hoc diluvium a te immissum esse, te hanc saevam tempestatem commovisse, nam tuae potestati subjectum est, non solum hoc, sed quidquid in omni tempore fiet; tu, enim, in omni re et in omni aetate dominaris. A qua sententia hebraea non abhorrent; nam cum dicunt: DOMINUS IN DILUVIO SEDET, idem est ac si dicerent: Dominus praecst nimbis atque procellis, Dominus ventos atque pluvias moderatur, moderaturusque est in aeternum. Aut si existimamus Davidem locutum de diluvio universali, ut quidam dicunt, necesse est ut ista sic interpretentur, scilicet: Quemadmodum tu, Domine, olim immisisti illud diluvium, sic et nunc commoves hanc tempestatem, et ut illas aquas effudisti ut poenas sumeres de sceleratis hominibus, sic etiam nunc, Domine, hac tempestate fulguribus et horrisono tonitruo omnes homines, tui oblitos, revocas ad te colendum atque timendum; tu, enim, cum tonas es rex, tu in omni aetate et tempore et in omnibus etiam dominaris. Atque haec de proprio sensu.

De figurato, autem, dictum est hoc in loco diluvii vocabulo multitudinem gentium significari: nam, ut supra docuimus, aquarum nomen in his Litteris pro populis atque gentibus accipitur; quo constituto, David posteaquam in superioribus versibus vocis Dei, id est, Evangelicae praedicationis magnitudinem et varios effectus expressit, in hoc et sequenti versu ponit illud, ad quod omnia superiora relata et ordinata sunt, id est, id quod omnibus illis effectum est et constitutum, scilicet, totius mundi conversionem, et Dei in omnibus rebus dominantis regnum, et humani generis ad perfectum atque felicem statum restitutionem; idque ponit, vel ex sua persona loquens, vel certe eorum verba et sermones referens, quos supra dixerat daturos Deo gloriam. Itaque ait: DOMINUS DILUVIUM INHABITARE FACIT; quasi dicat: Igitur, ex omnibus his,

quae supra diximus, sequutum est, ut Deus faciat inhabitare diluvium; id est, ut gentes, quae antea erant hospites testamentorum et advenae, intrent et inhabitent Ecclesiam Dei, juxta illud Petri (1): *Fratres, jam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei.* Vel, juxta litteram hebraicam, his rebus factum est, ut Deus sedeat in diluvio, id est, ut in gentibus, a quorum mentibus longe aberat, propterea quod et idola colerent et falsissimas de Deo persuasiones haberent, jam sedeat, id est, regnet per verum cultum atque fidem; regnetque ita, ut perpetuo regnaturus sit, nam nunquam eveniet ut, abjecto veri et unius Dei cultu, iterum mundus ad idola colenda revertatur. Quod, autem, attinet ad singulorum vocationem, ad quos etiam hunc psalmum pertinere diximus, et de quibus ipsum tertio et postremo loco explanavimus, dicere oportet diluvium hoc loco accipi, ut supra dictum est, pro sensibus corporis et eorum cupiditatibus et affectibus; quod diluvium Deus inhabitare facit, quia homo, revocatus ad justitiam per voces Dei interiores et per auxilia gratiae et eisdem vocibus et auxiliis eruditus et in exercitio virtutum confirmatus, continet in officio suos affectus atque cupiditates; nam ad eorum officium pertinet parere et obtemperare rationi, contra quam per peccatum rebellarunt. Itaque, vox Dei interior eos sensus et affectus ad officium redire facit, et tamquam in domum reducit, atque suis dominiis restituit. Vel, juxta hebraica, Deus in hoc diluvio sedet, quia per vocationem gratiae, cultum justitiae, non solum in animo justi, sed etiam in corpore regnat Deus; non solum in parte superiore animae suae gratiae atque justitiae dona manent, sed etiam ad haec inferiora illa derivantur, ita ut exellens atque extinguens, si quid in illis est, pravum atque turbidum, ea plene sanctificet, sicuti faciet, cum justi, resumptis corpo-

(1) Sic in codice, pro: *Pauli.*

ribus, ad vitam resurgent: et sic in illis tunc regnabit Deus in aeternum, quia ex illo tempore postea nihil poterit accidere, quod justos separet a cultu et amore Dei; idque eveniet, quia Deus suos confirmabit in justitia, illis tribuet plenam salutem mentis et corporis, qua corpus, perfecte subjectum animae, non amplius illi repugnabit. Itaque, pace summa perfruetur; cui rei valde consentanea (sunt) quae sequuntur, nam sequitur:

II. — Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

Supra diximus, hoc superiori versu Davidem per mimisim referre eorum verba, qui, ingruente tempestate, Deum orant atque precantur. Unde hic psalmus dicitur continere formam deprecandi contra tempestatem; haec autem precatio et oratio continet duas partes, quarum prior habet professionem et confessionem divinae potestatis; qui, enim, in hoc psalmo precantur, fatentur Deum omnia posse et illius nutu cuncta regi et gubernari: idque continetur superiori versiculo. Posterior, vero, hujus precationis pars continet petitionem ejus, quod in tempestate solet desiderari, petitionem, scilicet, tranquillitatis et pacis, et petitionem conjunctam cum magna fiducia consequendi id quod postulatur, atque adeo petitionem mixtam cum praedictione optati eventus; nam illa futura DABIT ET BENEDICET, et optandi et precandi vim habent. Igitur, qui tempore tempestatis ad preces confugiunt, optant et postulant a Deo, ut illis tribuat virtutem, id est, robur et fortitudinem adversus tempestatis terrores; deinde, petunt, ut benedicat in pace, id est, ut serenitate reddita, pacata omnia et tranquilla reddat, nam omnia laeta et fausta, et utilia et salutaria Sacrae Litterae, ex proprietate hebraici sermonis, benedictione Dei constare dicunt.

In allegoria, vero, et in figurata sententia, David in

hoc versu et optat et praedicit id, quod in populo fidelium, scilicet, per vocem Evangelii ad Deum converso, et in singulis justis hominibus, quos vox Dei interior a peccato ad justitiam traduxit, tandem erat eventurum: nam dedit illis Deus, primum, robur animi invictum; deinde, magnam pacem. Ac primum, in populo Dei id videre licet, nam initio nascentis Ecclesiae, cum in illam insurgerent Imperatores Romani, fideles fortissimi steterunt adversus illos, et eorum odia atque gladios invicta patientia fregerunt, sicque illos ad suas partes traduxerunt; itaque, pace constituta latissime, Ecclesia per omnes gentes regnare coepit. Et, similiter, idem videre licet in his qui, voce Dei permoti, a peccato ad justitiam redeunt: primum, enim, accipiunt a Deo magnum robur adversus ea, quibus infestari solet ille primus aditus ad virtutem et justitiam, quae certe sunt plurima; unde Sapiens dicebat: *Fili, accedens ad servitutem Dei, praepara animam tuam ad tentationem.* Deinde, pace perfruuntur maxima, idque ordine quodam et quibusdam tanquam gradibus: nam primum, accipiunt pacem in mente, scilicet, sublatis illis terroribus, qui existere solent ex animo male sibi conscio, de qua pace Paulus *ad Romanos*, v, dicebat: *Justificati ergo ex fide pacem habemus ad Deum.* Deinde, etiam ipsum corpus ea pace perfunditur, sublatis maxima ex parte pravis ejus cupiditatibus et affectibus, de qua pace David in psalmo CXXXII canit, dicens figurate: *Ecce quam bonum et quam jucundum est habitare fratres in unum: sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti ejus.* Postremo, in alio saeculo haec ipsa, adjuncta corporis immortalitate et sublatis omnibus quae interius et exterius infesta esse possunt, perficientur ita, ut eo statu corporis et animae nihil pacatius, nihil laetius, nihil beatius, dici aut fingi possit: tunc, enim, plene, imo vero plenissime BENEDICET DEUS POPULO SUO IN PACE. Cui sit honos et gloria in saecula saeculorum. Amen.

In Psalmum LVII (1)

Hic psalmus conscriptus creditur a Davide in exilio, id est, cum fugiebat David, et eo tempore potissimum, quando (sicut scribitur in I libro *Regum*, cap. XXVI) cum obsideretur a Saule, venit noctu in castra Saulis et ingressus illius tentorium, ipsum dormientem offendit, et cum posset illum impune interficere, noluit tamen; sed, accepta lancea Saulis, ex loco edito vocavit ducem exercitus Saulis et illius negligentiam accusavit in custodiendo regem. Hac, igitur, occasione, ut quidam dicunt, David confecit hunc psalmum; in quo arguit atque reprehendit, non solum Saulem, sed etiam illos, qui ipsi erant a consiliis, quod, cum profiterentur se esse studiosos et amatores justitiae, tamen suis consiliis atque factis se injustissime persequerentur; se, inquam, adeo innocentem, ut cum posset inimicum suum occidere et se constituere extra periculum, tamen id facere noluerit. Et potest, etiam, hic psalmus recte intelligi de Christo Domino, quasi David, ex illius persona, reprehendat Pontifices atque Pharisaeos, qui cum se profiterentur custodes religionis, tamen injustissime Christum accusaverunt et condemnaverunt; et generaliter hic psalmus invehitur in omnes illos, qui aliud sunt et aliud simulant, quos primo describit atque reprehendit, et deinde agit de illorum supplicio et interitu. Inquit:

(1) In codice: *Explicatio in psalm.* LVII *per doctissimum Mag. leonem.*

2.—Si vere utique justitiam loquimini: recte judicate filii hominum (1).

Nonnulli codices Vulgatae editionis habent non RECTE, sed RECTA, quibus respondent graeca et hebraica exemplaria; et totus iste versus in hebraeo legitur per interrogationem sic, isto modo: AN VERE JUSTITIAM LOQUIMINI? NUM RECTE JUDICATIS, FILII HOMINUM? Sed utrovis modo accipiatur, est idem sensus; nam dicit David: si vos, qui estis consultores Saul, tales estis quales videri vultis, scilicet, amatores et studiosi justitiae, RECTE JUDICATE, id est, vos ipsi judices estote inter me et Saulem, uter quisnam sit justior: ille, qui me innocentem persequitur, an ego, qui ipsum cum possem interficere, nolui. Ex persona, autem, Christi sic interpretabimur hunc versum: Si vos, o Pharisaei et sacerdotes, religiosi estis, quemadmodum profitemini verbis, cur me, qui veritatem dico vobis, quaeritis injuste interficere? si Deo patre gloriamini, cur me persequimini qui ex Deo sum? Atque, ut dixi, hic psalmus valet etiam in omnes illos, qui non se tales exhibent ipsa re, quales se esse profitentur verbis et signis exterioribus; itaque dici de illis vere potest: si christianum te esse dicis, fac ut opera verbis tuis respondeant; si te monachum profiteris, non discrepet vita ab instituto; si magister theologus esse vis, cum munere et insignis conveniat vita atque doctrina; si judex es, jus serva; denique, non alius sis in vita et in more, et alius esse videri velis. Nam est duplex malitia: una aperta quae talis est, qualem se exhibet conspiciendam; alia, vero, tecta et se simulans longe aliam ab eo quod est, quae est pestilentissima malitia. Unde qui

(1) Ita in codice, omissa psalmi inscriptione, quae etiam juxta Vulgatam numeratur in hunc modum: *1.—In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptionem.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tales sunt in S. Scriptura dicuntur homines duplici corde et Deo maxime odibiles, ut patet *Ecclesiastici*, capite secundo: *Vae duplici corde, labiis scelestis et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis;* et idem vitium notatur figurate a Salomone in *Proverbiis*, XX: *Pondus et pondus, mensura et mensura: utrumque est abominatio apud Deum*, et infra: *Abominatio est apud Deum pondus et pondus: statera dolosa non est bona;* nam sicut pondus legitimum et mensura legitima debet esse una, sic vita atque mores hominum debent esse uni atque simplices; nam qui aliud pondus ostentat et alio utitur, et justum se simulans vivit injustissime, talis, inquam, est abominatio apud Deum.

3. — Etenim in corde iniquitates operamini: in terra injustitias manus vestrae concinnant.

Quasi dicat David: sed tantum abest ut quales esse dicitis vos tales sitis, scilicet, justitiae amatores et defensores, ut omnem vestram cogitationem ponatis in eo, ut vestras malas cupiditates, aliquo justitiae colore quaesito, ad exitum perducatis. Ut apparet in Pharisaeis et in Christi causa, de qua proprie agitur in hoc psalmo; nam illi rem omnium sceleratissimam, id est, Christi mortem, boni publici colore quaesito et obtento, honestare voluerunt, dicentes: *Oportet ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat*, et: *Si hunc permittimus, venient Romani et tollent gentem nostram.* ETENIM INIQUITATES IN CORDE OPERAMINI.—Id est, non solum intra vosmetipsos mala cupitis et desideratis, sed etiam operamini, id est, excogitatis et machinamini apud vos attentissime, quibus modis atque ratione ea, quae male cupitis, possitis efficere ita, ut quamvis sceleratissima et impia sint, tamen appareant justa atque honesta. Quod ita debere intelligi declarat id quod sequitur: INJUSTITIAS MANUS VESTRAE CONCINNANT;

nam concinnare est apte componere et ita polire et aptare alicujus rei partes inter sese, ut pulchra videri possit. Unde et in hebraeo, pro CONCINNARE eodem sensu legitur PONDERARE isto modo, scilicet: ET INJUSTITIAS MANUS VESTRAE PONDERANT, id est, ita conficiunt, ut quamvis prava sint et injusta, tamen videri possint effecta ad pondus, id est, ad justitiae normam atque praescriptum. Dicit, autem, David quod isti operantur mala in terra, id est, in loco infimo et a coeli regione remotissimo, qui est proprius locus eorum, qui terrena cupiunt; nam justi atque filii Dei, quamvis sint in terra, tamen sunt peregrini in illa, quia nullius rei terrenae cupiditate tenentur, juxta id quod dicitur a Div. Petro sua prima canonica, cap. II: *Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a vitiis et concupiscentiis, quae militant adversus animam;* contra, autem, impii et injusti dicuntur esse in terra in S. Scriptura, quia terrena cupiunt, ut patet ex illo *Genesis* VI: *Gigantes erant super terram*, et psalmo XVI: *Oculos suos statuerunt declinare in terram*, et rursus (psalm. XLVIII): *Et reliquerunt nomina sua in terris suis*, et I. *ad Corinth.*, cap. XV (1): *Primus homo de terra, terrenus.* Igitur, male operantur iniquitates in terra, id est, in loco in quo habent collocatum domicilium cupiditatum suarum, ut ex natura loci significetur et intelligatur ipsorum ingenium alienum ab omni cupiditate coelesti; et praeterea, cum dicit IN TERRA subindicat David, illos ad brevissimum tempus usuros hac facultate male operandi, nam male operantur in terra, id est, dum vivunt hanc vitam terrenam et temporalem, quae citissime transit. Sequitur in textu:

(1) Codex, mendose sane, ita: *et ad Colossenses, 3...*

4.—Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero: locuti sunt falsa.

Id varie exponitur, sed simplicissima ratio exponendi est haec: quod isti sive Christi sive Davidis adversarii, et in universum omnes qui, simulata honestatis specie, student iniquitati et injustitiae, isti, inquam, scelerati sunt ab ipsis incunabulis, id est, non laborant aliquo malo recente et adventitio, sed innato quodam modo ex longa consuetudine peccandi contracto. Nam, sine dubio, hoc vitium hypocrisis, de quo agitur in hoc psalmo, est quasi fructus et tanquam culmen aliorum vitiorum; nam nemo repente fit talis, sed ex multis aliis vitiis atque peccatis oritur hoc vitium, et ad hoc genus peccati multis aliis peccatis pervenitur. Ex quo existit id, quod statim sequitur in psalmo:

5.—Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdae obturantis aures suas.—6.—Quae non exaudiet vocem incantantium et venefici incantantis sapienter.

Nam quoniam animus eorum, qui pervenerunt jam ad hoc malitiae genus, obduruit in malo, idcirco illorum furor atque malitia, nulla adhibita ratione, nullo prudenti consilio sanari aut mitigari potest. FUROR ILLIS SECUNDUM SIMILITUDINEM SERPENTIS, id est, furor diutissime perseverans, nam serpentis ira dicitur maxime implacabilis; SICUT ASPIDIS SURDAE, id est, quae ut se reddat surdam, obturat suas aures, ne incantatorem audiat, nam carminibus serpentes disrumpi solere liquet ex illo poetae: *Frigidus in pratis*, etc. Quod, inquam, qua vi fieri possit, vel utrum fieri possit, docet divus Thomas in II.ª II.ae, quaest. XCVI, per totam, et in quaestionibus *De potentia*, quest. VI, art. 5.°, et divus Augustinus libro III *De Trinitate*, capite II et VII; sed

utrum id naturaliter fiat, aut quomodo fiat, ad praesens propositum nihil refert, dummodo constet id fieri solere, nam ex eo quod fit S. Scriptura similitudines ducit. Igitur, istorum furor, non solum implacabilis est, ut est ira serpentum, sed adeo obstinatus, ut curam adhibeant ut nulla ratione possit mitigari atque sanari; itaque isti non solum aspernantur sana consilia, sed etiam studiose curant, ut nihil boni consilii ipsis adhibeatur. Quod videre licet in Christi adversariis, de quibus praecipue agitur hoc loco; qui, quamvis illos Pilatus variis rationibus conatus est revocare ad sanam mentem, tamen obstinati perseveraverunt in proposito, et obturatis auribus, saepe inclamaverunt: *Crucifige*, *crucifige*. FUROR, inquit, ILLIS SECUNDUM SIMILITUDINEM SERPENTIS.—Nomen serpentis in S. Scriptura interdum usurpatur ad significandum magnum terrorem, propterea quod natura serpens maxime formidabilis est hominum generi; unde *Ecclesiastici* cap. XXI, dicitur: *Quasi a facie colubri fuge peccatum*. Interdum, etiam, id nomen serpentis usurpatur in S. Scriptura ad significandam summam calliditatem et fraudem et versutiam, juxta illud *Genesis*, III: *Serpens erat callidior cunctis animalibus*. Igitur, David, cum dicit furorem istorum hominum esse secundum similitudinem serpentis, duo praecipue significat: primum, esse maxime metuendum et formidandum; secundo, esse plenum fraude et furore et eadem causa nocentiorem. Sequitur in textu:

7.—Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.

Exposita malitia istorum hominum, jam agit David de illorum supplicio et interitu; et primo, praedicit futurum, ut istorum conatus irriti sint, dicens: DEUS CONTERET DENTES EORUM IN ORE IPSORUM, nam dentes sunt artes nocendi et prava consilia, quibus isti homines bonos perdere

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

nituntur. Igitur, hujusmodi conatus et consilia DEUS CONTERET IN ORE IPSORUM, id est, ubi et quando creduntur esse maxime firma sua consilia, quia non aliis armis atque consiliis, sed ipsorummet, ipsos conteret Deus; sic, enim, inquit divus Augustinus: IN ORE IPSORUM, id est, ore ipsorum contra se dicent; sic, enim, Christus Dominus confutavit inimicos suos, ipsum cupientes capere in sermone, in casu (1) Caesaris; sic etiam confutavit, quando induxerunt milites ut mentirentur Christi corpus a discipulis fuisse sublatum. Sequitur in textu:

8.—Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum suum, donec infirmentur.

Jam ex hoc loco praedicit fragilitatem potentiae illorum et interitum subito futurum, quod declarat variis similitudinibus. AD NIHILUM, inquit, DEVENIENT TAMQUAM AQUA DECURRENS.—Torrentes, collecta pluvia, primo decurrunt magna copia aquarum et magno strepitu; deinde, brevi tempore defluunt et evanescunt: sic, inquit David, hujusmodi homines, qui nunc omnia posse videntur, brevi temporis momento ad nihilum redigentur. Et, praeterea, aqua decurrrens aut effusa in S. Scriptura non solum significat celerem interitum, sed etiam significat extinctionem perfectam nominis atque memoriae, propterea quod aqua, postquam effusa est, statim imbibitur a terra: sic *Genesis* ultimo (2), dicitur de Ruben: *Effusus es sicut aqua, non crescas;* et II. *Regum*, cap. XIV (3): *Ecce extinguimur, et sicut aquae dilabimur quae non revertuntur.* Sed addit David: INTENDIT ARCUM SUUM, DONEC INFIRMENTUR, id est, Deus iraesuae arcum in illos intendet, nec remittet, donec suis sagittis illos conficiat. Quanquam possunt haec, etiam, aliter

(1) Ms.: *incensu.* (2) Ita in codice, pro: cap. XLIX.
(3) Ms.: cap. XVI.

intelligi, quia hebraica in hoc loco sunt ambigua ad plures sensus: INTENDET ARCUM SUUM aut sagittas suas, scilicet, ipse peccator atque impius, DONEC INFIRMETUR; quasi dicat: ipse peccator sua intentione malefaciendi se ipsum conteret atque confringet, sibique ipsi nocebit, dum studet bonis malefacere, quemadmodum contingit sagittatori, qui cupidus alicujus rei configendae, usque eo arcum intendit, ut frangat ipsum arcum; talis, enim, suamet arte periit, et eo ipso, quo aliis nocere volebat, sibi ipsi intulit damnum. Sequitur in textu:

9.—Sicut cera, quae fluit, auferentur: supercecidit ignis, et non viderunt solem.

Idem declarat David aliis similitudinibus: quam facile, inquit, cera liquescit calore, tam facile isti perituri sunt: SUPERCECIDIT IGNIS, id est, super ceram ignis cecidit, et ex eo subito liquefacta est; sic isti, subito non videbunt solem, id est, privabuntur ista luce atque vita. Haec habentur in hebraeo aliquanto diversa, sed utrobique est idem sensus; hebraea sic habent, ut vertit divus Hieronymus in suo psalterio: SICUT VERMIS TABEFACTUS AUFERENTUR, SICUT ABORTIVUM MULIERIS, QUOD NON VIDIT SOLEM. Nam etiam his verbis ostenditur futurum, ut peccatores atque impii celerrime deficiant: nam, inquit, quam cito atque celeriter resolvitur in humorem vermis statim natus, et quam cito discedit a vita abortivum, quod extinctum fuit antequam veniret in lucem; tam cito atque celeriter peccatores deficient et perituri sunt. Sequitur in textu:

10.—Priusquam intelligerent spinae vestrae rhamnum: sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

Insistit David in eadem re, scilicet, in vaticinando celeri interitu impiorum, et id magis declarat alia adhibita

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

similitudine, scilicet, impios perituros antequam adolescat illorum iniquitas: PRIUS, inquit, ANTEQUAM INTELLIGERENT SPINAE RHAMNUM. Rhamnus, ut constat ex Dioscoride, libro I, capit. CII, est planta quaedam spinosa. Igitur, inquit David: ANTEQUAM SPINAE VESTRAE, id est, vestri aculei et mala, quibus bonos afficitis atque pios; igitur, antequam ista mala INTELLIGANT RHAMNUM, id est, perveniant ad sui justam magnitudinem, id est, antequam corroborentur et perducantur ad optatum exitum, SICUT VIVENTES SIC IN IRA ABSORBET EOS, id est, Deus illos absorbet et ad nihilum rediget. SICUT VIVENTES, id est, in ipso flore atque vigore vitae suae, cum maxime videntur vigere atque valere; vel quemadmodum accidit illis, quos terra, viventes et nihil minus quam de interitu cogitantes, subito absorbet, ita isti interibunt repentino nec opinato interitu. Nonnulli haec ipsa verba ex hebraeo aliter interpretantur et exponunt, scilicet, isto modo: PRIUSQUAM INTELLIGANT, id est, sentiant VIVENTES, id est, carnes crudae, nam vivens et verbum hebraicum, quod illi respondet, in S. Scriptura accipi solet pro carne cruda, ut constat ex libro I *Regum*, cap. II; igitur, inquit, sicut carnes crudae, quae sunt in olla, antequam sentiant ignem excitatum ab spinis et ramis, ille ignis deficit et extinguitur, ita peccatores subito interibunt. Nam, inquit, ignis excitatus ab spinis edit quidem magnum sonitum, sed subito et celerrime deficit et extinguitur: igitur, sicut ille ignis spinarum deficit et extinguitur, antequam eo calefiant carnes crudae, id est, summa celeritate; sic omnis potentia et omnis felicitas malorum brevissime interitura est. Sequitur in textu:

II. — Laetabitur justus, cum viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatorum.

Exposito celere interitu peccatorum, nunc, ultimo loco, exponit David gaudium, quo afficiuntur justi de illorum interitu. LAETABITUR, inquit, JUSTUS, CUM VIDERIT VINDICTAM. Sed quid est, quod sequitur: MANUS SUAS LAVABIT IN SANGUINE PECCATORUM? Glossa ordinaria et interlinearis, et Lyra, et nonnulli alii expositores sic exponunt: MANUS SUAS LAVABIT, id est, mundabit opera sua, efficietur purior atque melior justus, animadversa punitione peccatorum, nam frequenter in S. Scriptura manus ponuntur pro operibus. Cui sententiae videtur simile illud, quod dicitur in *Proverbiis*, cap. XXI: *Mulctato*, inquit, *pestilente, sapientior erit parvulus*. Alii, vero, hoc aliter exponunt, nam putant quod his verbis David adhuc magis explicat, quanta sit magnitudo ejus laetitiae, quam justi capiunt de malorum interitu, idque explicat, sumpta metaphora a victoribus, nam, illis hostibus occisis, gaudent manus atque pedes tingere in ipsorum sanguine et ea re videntur saturare animi sui desiderium, quale est illud quod supra dicebamus in psalmo LXVII: *Ut intingatur pes tuus in sanguine, linguam canum tuorum ex inimicis ab ipso*. Sed quaeret aliquis fortasse, quomodo verum sit justos laetari atque gaudere de interitu malorum, cum videatur maxime proprium justorum orare ut Deus peccatoribus ignoscat, ut apparet in Christo et Stephano; et Paulus *ad Romanos*, cap. XII, inquit: *Non vos defendentes charissimi: sed date locum irae*, et in eodem: *Non reddentes malum pro malo*, et rursus: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Sic enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus;* et Christus, apud Matthaeum, cap. V, aperte praecipit, ut diligamus inimicos. Ad hoc dubium, varie respondetur ab expositoribus: Cas-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

siodorus ita exponit: LAETABITUR JUSTUS, CUM VIDERIT VINDICTAM, non quidem, quod illi peccatores afficiantur poena, sed quod ipsi cum illis non puniantur; caeterum, interlinearis (Glossa) sic exponit: Justus gaudet de poena peccatorum, non quidem aeterna, sed de ista temporali quae illis saepe valet ad medicinam et salutem; alii, vero, sic interpretantur: LAETABITUR justus, non propterea quod peccatores poena afficiuntur, sed quia ipse melior et cautior efficitur ex consideratione ejus rei. Sed quamvis ista vera sint, tamen dubitandum non est, quin justi desiderent punitionem malorum, et laetentur de illorum supplicio; nam in Apocalypsi, sexto, dicitur: *Vidi sub altari animas interfectorum*, etc... *dicentes: Vindica, Domine, sanguinem nostrum de his qui sunt in terra*, et similiter *Sapientiae*, cap. v, dicitur: *Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum;* et sacri Prophetae saepissime in suis scriptis petunt a Deo instantissime ut animadvertat in peccatores, adeo ut ipsum interdum accusare Deum videantur morae atque tarditatis in puniendo. Itaque, hoc certum est. Atque etiam est certum, quod justi non inducantur ad id desiderandum odio inimicorum suorum, aut cupiditate propriae vindictae, sed inducuntur ad id expetendum studio honoris divini atque etiam virtutis respectu; nam utrumque, scilicet, opinio virtutis et honor Dei, minuitur et labefactatur quodammodo, quamdiu peccatores non afficiuntur supplicio atque poena. Nam qui vident peccatores vivere feliciter et bonos misere et calamitose, inducuntur ad judicandum cultum virtutis esse infructuosum et inutilem; et ex consequenti, retrahuntur ab ejus studio, atque etiam simul male opinantur, male judicant de providentia et justitia Dei, id quod bonis hominibus molestissimum est. Unde quando, rebus in contrarium mutatis, vident quod Deus publice poenas sumit de peccatoribus et flagitiosis, liberantur ab illa molestia, et valde gaudent atque laetantur ex eo quod

illa re restituitur suus honor Deo et virtuti. Quod ita esse declarat id quod statim sequitur in psalmo.

12.—Et dicet homo: Utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra.

Id est, laetabitur justus et maximo afficietur gaudio ex eo, quod publice animadversum sit in peccatores, quia DICET HOMO; id est, non vindictae cupiditate, sed quia universi homines ea re intelligent atque fatebuntur, et vitam studiosam fructuosam esse, et Deum gerere curam rerum humanarum; quod utrumque, felicitate et impunitate impiorum quodammodo in dubium revocabatur. Atque haec dicta sint de isto psalmo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In Psalmum LXVII (1)

Hic psalmus valde nobilis est, sed multis difficultatibus involutus; ideoque illum elegi ad interpretandum. Et primum, est difficile explicare, quodnam sit illius argumentum, propterea quod et nostri et Hebraeorum Doctores multum inter se dissentiant: nam quidam existimant hunc psalmum solum esse historicum, id est, solum continere enarrationem et celebrationem rerum gestarum a Deo ante Davidis tempora; idque existimant nonnulli ex nostris Doctoribus. Et cum illis objicitur, quod Div. Paulus *ad Ephesios*, cap. IV, citat versiculum ex isto psalmo, scilicet: ASCENDISTI IN ALTUM, CEPISTI CAPTIVITATEM: DEDISTI DONA HOMINIBUS, et illud interpretatur de Christo, ex quo videtur quod hic psalmus sit propheticus; ad hoc, inquam, respondent, quod Paulus non citavit illum versiculum in sensu litterali, sed in sensu mystico, in quo sensu dicunt omnia, quae continentur in isto psalmo, posse interpretari de Christo et de ejus Ecclesia. Alii vero fatentur hunc psalmum esse propheticum, id est, continere praedictionem et vaticinium rerum a Deo faciendarum post tempora Davidis; sed qui hoc dicunt in varias sententias dividuntur: nam quidam illorum dicunt, quod isto psalmo praedicitur victoria, quam Judaei consecuti sunt de Sennacherib, rege Assyriorum, tempore Ezechiae, regis Judae, de quo fit mentio in libro IV. *Regum*, cap. XIX, et apud Esaiam, cap. XXXVII. Alii, vero, dicunt quod isto psalmo praedicitur victoria, quam Judaei sperant se consecuturos

(1) In codice: *Incipit Explicatio psi. 67 per f. ludovicum leonem, anno 1582.*

extremo mundi tempore de Gog et Magog. Alii, autem (1), arbitrantur hoc psalmo praedici victoriam de Esau, id est, de Romanis, quam Judaei inaniter sperant. At, vero, nostri Doctores maxima ex parte existimant, quod hoc psalmo praedicitur adventus Christi et ejus victoria de diabolo et peccato et morte; idque praedicitur non mystice, sed in sensu litterali, quamvis obscure, juxta consuetudinem propheticam. Quae sententia, meo judicio, est verissima: nam nulla res potest proferri ex his quae acciderunt in Veteri Testamento, nec ante Davidis tempora neque post, cui possit exacte accommodari totum id quod in hoc psalmo dicitur. Quare ipsum nos interpretabimur de Christo et de rebus pertinentibus ad Ecclesiam.

Igitur, David in isto psalmo, magna verborum varietate atque elegantia, praedicit Christi adventum, dominationis daemonum interitum, redemptionem generis humani, sanctarum animarum, quae erant in sinu Abrahae, liberationem, resurrectionem Christi, ascensionem in coelum, missionem Spiritus Sancti, Evangelii promulgationem, idolatriae extinctionem, propagationem Ecclesiae, populi Judaici ultimo Ecclesiae tempore ad fidem Christi conversionem; et omnia ista praedicit David in psalmo eodem ordine quo a me proposita sunt, sed tamen involuta variis figuris et obscuritate. Igitur, jam ipsum Davidem audiamus dicentem:

2.—Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus (2).

Septuaginta interpretes ista convertunt per imperativum, scilicet, isto modo: EXURGE DOMINE etc., et in hebrai-

(1) Ad marginem: « En 9 de Febrero de (1582?) ».

(2) Omittitur in codice inscriptio psalmi, quam ut versum numerat Vulgata.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eo textu ista proferuntur per futurum, scilicet: EXURGET DOMINUS, ET DISSIPABUNTUR INIMICI EJUS; ex quo sequitur quod ista verba, quae in latina editione videntur dici hortandi atque optandi modo, habent quamdam vim imperativi et, ex consequenti, quamdam vim praedictionis atque vaticinii. Quod ut melius intelligatur, notandum est, quod in S. Scriptura est varius usus imperativorum aut optativorum, quae ponuntur pro imperativis: nam, primo, sunt quaedam imperativa in S. Scriptura, quae non tam habent vim praecipiendi, quam vetandi atque prohibendi et deterrendi homines ab eo, de quo agitur, ut docet divus Hieronymus, commentariis in *Amos*, cap. IV; quale est illud, quod dicitur *Ecclesiastes* capite XI: *Laetare, juvenis, in adolescentia tua, et ambula in viis cordis tui et in intuitu oculorum tuorum;* nam ibi non praecipitur juveni ut laetetur, sed potius deterretur et dehortatur juvenis ab inani laetitia, nam illa loquendi ratio habet quamdam comminationem adjunctam, tacitam. Similiter illud, quod dicitur *Canticis*, I: *Si ignoras te, o pulcherrima mulierum, abi post vestigia gregum tuorum, et pasce hoedos tuos juxta tabernacula pastorum;* ubi illa verba: *abi* et *pasce*, non sunt praecipientis, sed potius comminantis et prohibentis. Et similiter *Amos*, cap. IV, dicitur: *Venite in Bethel, et impie agite;* in quo non praecipit, ut manifestum est, sed potius deterret et tacite comminatur. Et similiter accipiendum est quod Christus dixit apud Joannem, XIII: *Quod facis, fac citius;* non, enim, praecipit Judae ut prodat ipsum, sed potius deterret et revocat ab incepto. Et ad hoc genus imperativorum quidam existimant pertinere id, quod Christus dixit, *Lucae* XXII, instante tempore suae passionis: *Et qui non habet, vendat tunicam et emat gladium;* nam dicunt id fuisse dictum per ironiam, ut illos revocaret a sui defensione; sed haec explicatio mihi non placet, quoniam moderata defensio sui honesta est et licita; quocirca, illa verba alium habent sensum valde elegantem, et sunt interpretanda ex

alia proprietate loquendi S. Scripturae. Nam, ut superius dictum est, S. Scripturae multa solent significare ex habitu quo fieri solent: igitur, quoniam in bello, in tempore belli, aut metu belli unusquisque sibi arma comparat, ideirco Christus Dominus, ut significaret discipulis suis, quod, ipso discedente, erant futuri multi qui illos persequerentur, et quod non erant fruituri ea pace et tranquillitate, qua hactenus usi fuerant, cum Christus erat praesens; ideo, dixit illis, ut emerent gladium, id est, ut arma sibi compararent, quemadmodum in tumultu solet fieri, tempore belli. In quo non simpliciter praecepit illis, ut emerent gladium, sed ostendit atque declaravit, qualis in posterum eorum vitae ratio erat futura, scilicet, turbulenta, et sollicita, et discriminibus exposita et periculis. Atque haec de illa prima ratione imperativorum.

Sunt etiam alia imperativa in S. Scriptura, quae accipiuntur pro futuris, et vocantur imperativa prophetica; quae, non tam habent vim imperandi, quam praedicendi, qualia multa sunt in psalmo CVIII, ut illud: *Constitue super eum peccatorem: et diabolus stet a dextris ejus. Fiant dies ejus pauci: et episcopatum ejus accipiat alter:* nam illis verbis David non tam praecipit, aut male precatur alicui, quam praedicit et vaticinatur quid illi eventurum esset; itaque, illud *constitue* valet idem quod *constituea*, et reliqua imperativa similiter, quemadmodum Div. Augustinus vere vidit atque docuit comentariis in illum psalmum. Tale etiam est illud, quod dicitur *Esaiae* VI: *Excaeca cor populi ejus, et aures ejus aggrava;* nam illis verbis non male optat Esaias populo suo, sed quod praevidebat illi aliquando eventurum, id futurum praedixit. Neque alia ratione commodius possemus interpretari illud, quod Div. Paulus dixit pontifici Judaeorum: *Percutiat te Deus, paries dealbata;* nam divus Paulus non illa protulit vindictae cupidus, sed providus ejus quod in futurum erat eventurum. Ad quam rationem pertinet etiam hoc quod nostro psalmo dicitur:

EXURGAT DEUS, ET DISSIPENTUR INIMICI EJUS; nam illud EXURGAT habet vim futuri prophetici, perinde ac si dixisset: EXURGET DEUS, ET DISSIPABUNTUR INIMICI EJUS. Itaque, David in his verbis praedicit aliquid postea futurum.

Sed quaeret aliquis, quidnam sit illud quod praedicitur. Ad hoc, quidam dicunt, quod praedicit his verbis adventum Christi ad judicium; sed haec sententia refellitur a toto quod dicitur in psalmo: nam omnia quae sequuntur continent praedictionem earum rerum, quae factae sunt aut faciendae ante judicii diem: unde divus Augustinus commentariis in hunc psalmum dicit, quod his verbis praedicitur resurrectio Christi. Inquit Augustinus: « EXURGAT DEUS ET DISSIPENTUR; jam vides esse completum: surrexit Christus a mortuis, et dissipati sunt inimici ejus. » Idem tenet auctor eorum commentariorum in psalmos, quae circunferuntur inter opera divi Hieronymi; et Beda tenet eamdem sententiam, inquit enim: « Fiat quod dictum est, veniat quod promissum est, moriatur homo et resurgat Deus et homo. » At, vero, d. *(sic)* Theodoretus, quem sequitur Euthymius, verosimilius existimat, his verbis Davidem praedicere Christi adventum, scilicet, cum homo inter homines natus est: nam dicitur Deus exurgere et quasi se erigere, cum carnem humanam suscepit, quia ex illo tempore maxime declaravit vim potestatis suae contra diabolum et illius membra, quorum tyrannide homines tenebantur oppressi. Itaque, in S. Scriptura iste adventus Christi saepe vocatur exsurrectio Dei, ut apparet in psalmo XLIII, cum dicitur: *Exurge, Domine, quare obdormis? exurge, ne repellas in finem;* nam genus humanum oppressum tyrannide daemonum illis verbis precatur Deum, ut homo fiat. Et similiter psalmo LXXIX, in quo aperte agitur de Christi adventu, is adventus appellatur excitatio et exsurrectio; inquit: *Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ovem Joseph. Qui sedes super cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin et Manasse. Excita potentiam tuam, et*

veni ut salvos facias nos. Et, certe, in eo quod Deus homo factus est ad daemones conterendos, se ipsum excitavisse et surrexisse adversus hostes suos censendus est; et haec est causa, quare Prophetae hunc Christi adventum fere semper praedicunt sub metaphora et similitudine rerum bellicarum: nam cum sit duplex effectus adventus Christi, unus liberare homines ab oppressione daemonum, alter vero conferre ipsis hominibus liberatis dona gratiae et Spiritus Sancti, iste effectus posterior fere semper praedicitur a Prophetis sub metaphora rerum rusticarum; at, vero, prior effectus semper describitur a Prophetis, similitudine ducta a re militari. Unde quia duces dicuntur insurgere in hostes suos, cum invadunt in illos et ipsos opprimunt, et Christus Dominus suo adventu daemones oppressit, idcirco ejus adventus recte appellatur exsurrectio; exsurrectio, inquam, in eos qui Deo adversabantur.

Potest, etiam, alio modo non incommode intelligi iste versiculus, scilicet: non proprie de adventu nec de resurrectione Christi, sed potius de morte illius, quam mortem David in hoc loco vocat exsurrectionem et vaticinatur futuram; nam, certe, mors Christi in S. Scriptura vocatur exaltatio, ut patet *Joannis* capite XII: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia trahaam ad me ipsum*, et rursus Joannes, III: *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis*, et de morte atque de cruce Christi inquit Paulus in prima *ad Corinthios*, capite primo: *Quod infirmum est Dei potentius est quam hominis.* Et ratio hujus nominis et appellationis est aperta: quia Christus non, ut alii homines moriendo, cecidit et victus est; sed potius moriendo vicit et superavit inimicos suos, et tunc maxime in illos insurrexit, quando ab ipsis occisus est. Inquit, ergo, David: EXURGAT DEUS ET DISSIPENTUR INIMICI EJUS, id est, exurget et adveniet et mortem oppetet, homines liberaturus. ET DISSIPENTUR INIMICI EJUS: ET FUGIANT QUI ODERUNT EUM A FACIE EJUS. — Persistit in metaphora rerum bellicarum, nam in

certamine sic fieri solet ut, duce acriter instante, hostes in fugam versi dissipentur. ET DISSIPENTUR INIMICI EJUS; id est, dissipabuntur atque fugient, nam David praedicit futurum, non solum ut Christus adveniat, sed etiam ut suo adventu atque morte consequatur plenam victoriam de inimicis suis.

Sed quaeret aliquis, quinam sint isti inimici Christi. Divus Augustinus et Beda, locis citatis, dicunt, quod Judaei hoc loco appellantur inimici Christi, propterea quod illum semper prosecuti sunt maximo odio; at vero Theodoretus et Hieronymus et Euthymius intelligunt daemones et aereas potestates. Sed certum est, utrosque significari a Davide, quoniam utrique studuerunt nocere Christum; praecipue, autem, significantur daemones, qui et odio prosequuntur Christum et aliis sunt auctores atque duces ejusdem odii et malevolentiae: isti, igitur, adventu atque morte Christi dissipati sunt, quia spoliati sunt potestate, quam sibi usurpaverant in humanum genus, ut dicitur Joannis capite XII: *Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Unde, non sine causa, dicit David: ET FUGIANT A FACIE EJUS, quia in S. Scriptura facies Dei appellatur Christus, secundum quod est homo, ut constat ex multis locis S. Scripturae, ut est illud psalmi LXXXVIII: *Misericordia et veritas praecedent faciem tuam*, et in psalmo LXXIX, ubi aperte agitur de adventu Christi, ita scribitur: *Converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus*, et praecipue id patet *Numerorum* capite VI, in benedictione, quam summus sacerdos dabat populo, ubi Christus Dominus, qui est auctor omnis benedictionis, appellatur facies Dei, inquit (sacerdos): *Ostendat Dominus faciem suam tibi et misereatur tui. Convertat Dominus faciem suam ad te, et det pacem tibi;* ex quo intelligitur, quod non solum a Christi divinitate daemones fuerunt superati, nam illud non est valde mirandum, sed etiam superati fuerunt a facie Dei, id est, a Christi humanitate. Sequitur in textu:

3. — Sicut deficit fumus deficiant: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Dixerat David, quod erat futurum, ut Christo adveniente, daemones et caeteri inimici superarentur; et quoniam posset aliquis dubitare, utrum Christus superaturus esset inimicos suos saepe cum illis decertando, ad hoc respondet David in hoc versu. Et adhibet duas similitudines: unam, desumptam a fumo, qui vento disperditur; et alteram a cera. Inquit, igitur: DISSIPABUNTUR INIMICI DEI A FACIE EJUS, id est, Christo adveniente et apparente; id quod fiet temporis momento, nam quam cito fumus dissipatur a vento, et quam cito cera liquescit admota igni, tam brevi tempore hostes Christi in fugam conversi peribunt. Quod et re ipsa factum est: nam statim atque e Christi corpore egressa est illius sanctissima anima, Christi inimici, id est, daemones victi sunt omnino; nam illomet temporis articulo judicatus est Satanas et ejectus foras, id est, spoliatus imperio, quo homines tenebat oppressos.

Sed examinemus hujus versiculi singula verba. SICUT DEFICIT FUMUS DEFICIANT: in S. Scriptura variae similitudines duci solent e fumo, et id nomen in arcano sermone varia significat. Nam, primo, quoniam fumus procedit ab igne, ejus nomen in S. Scriptura interdum usurpatur ad significandum aliquod magnum incendium, incendium, inquam, interdum proprie sumptum, interdum metaphorice sumptum: de incendio proprie dicto est illud, quod dicitur Josue, capite VIII: *Et respicientes viderunt fumum urbis*, id est, incendium; de incendio, autem, metaphorice dicto, id est, de ira atque anxietate animi est illud, quod dicitur in psalmo XVII: *Ascendit fumus in ira ejus*, et secundo *Regum*, capite XXII: *Ascendit fumus de naribus ejus*, quo significatur animum ardere incendio irae; et in illo Apocalypsis, capite XIV, cum dicitur: *Fumus tormentorum ejus ascendit,*

significatur animi incendium, quod in eo succendunt tormenta atque anxietates. Secundo, quia natura fumi est ut facile se insinuet in omnes partes et omnia complcat, idcirco ejus nomen in S. Scriptura interdum sumitur ad significandam gloriam et majestatem Dei, quae omnia complet, ut patet in illo Esaiae, capite VI: *Et domus repleta est fumo* et Apocalypsi, capite XV: *Impletum est templum fumo*, id est, majestate et gloria Dei. Tertio, quia fumus ea corpora, quibus adhaeret, nigra efficit, et nigredo in S. Scriptura, translata ad animum, significat moestitiam atque moerorem; inde fit, ut hoc nomen fumi traducatur ad significandam moestitiam atque luctum, ut patet in illo Baruch, cap. VI (1): *Nigrae sunt facies a fumo*, id est, omnes sunt pleni moestitia atque luctu propter calamitatem. Quarto et ultimo, quoniam fumus natura sua levissimus est, et ob eam causam facile dissipatur a vento, idcirco in S. Scriptura ejus nomen transfertur ad significandum alicujus rei facilem interitum, ut apparet in illo psalmi CI: *Defecerunt sicut fumus dies mei*. Et similiter in isto loco, cum dicit David: SICUT DEFICIT FUMUS DEFICIANT, significat atque praedicit inimicorum Dei celerem interitum. Quod autem addit: SICUT FLUIT CERA A FACIE IGNIS eamdem fere significationem (habet); caeterum, similitudo geminata atque repetita amplificat et confirmat magis id, de quo agitur, quamquam est quoddam discrimen inter istas duas similitudines; nam prior similitudo declarat majus excidium quam posterior, nam fumus ita dissipatur a vento ut nullum illius vestigium relinquatur; at, vero, cera, cum ab igne liquescit, tantum amittit duritiem suam, ipsa tamen manet liquens atque dissoluta.

Ex qua differentia et discrimine, Beda atque Euthymius et nonnulli alii sumpserunt causam novae et non inceptae interpretationis in hoc loco; nam duas partes hu-

(1) Codex: *cap.e 4.°*

jus versus referunt ad duo malorum genera distincta: priorem partem, scilicet, SICUT DEFICIT FUMUS DEFICIANT interpretantur de daemonibus, quorum potestas Christi adventu penitus extincta fuit; at, vero, partem posteriorem, scilicet, SICUT FLUIT CERA A FACIE IGNIS, accipiunt et intelligunt de hominibus peccatoribus, nam quemadmodum cera ab igne non absumitur, sed liquescit, sic isti peccatores, Christi adventu atque doctrina, amiserunt cor durum atque lapideum, et sunt effecti molles et mites, et ad cultum pietatis faciles. Et ita Christus adveniens obstinatis in malo attulit interitum, et eos dissipavit, sicut fumus dissipatur; at, vero, caeteris peccatoribus attulit conversionem in meliorem vitam illosque reddidit blandos, sicut cera redditur ab igne. Et propter istam causam, dicunt, quod David in hoc loco signanter nominavit peccatores, cum dixit: SICUT FLUIT CERA, etc., SIC PEREANT PECCATORES. Nam adverti debet, quod in S. Scriptura alii sunt peccatores, et alii impii: peccatores, qui ab Hebraeis vocantur *attahim*, sunt illi, qui peccant fragilitate aut ignoratione; at, vero, impii, qui ab Hebraeis vocantur *resaim*, sunt illi, qui consulto et pravo animi proposito et falsa persuasione imbuti de providentia divina, peccant et scelesti sunt. Unde in psalmo primo, istis tribuit David malum consilium et malum animi propositum, dicens: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*; et ad hoc genus impiorum pertinent illi, qui Sapiae. capite II inducuntur dicentes: *Coronemus nos rosis. Nullum sit pratum, quo non pertranseat luxuria nostra*, et, tandem, dicunt: *quia haec est pars nostra*. Caeterum, quamvis haec expositio ipsa per se vera sit et ingeniose excogitata, tamen non potest accommodari huic loco atque versiculo: nam pro peccatoribus, quos posuit latinus interpres, in hebraico textu habetur *resaim*, qui proprie sunt peccatores impii; unde divus Hieronymus in conversione Psalmorum, quam fecit ad hebraicam veritatem, sic hunc locum convertit: SICUT FLUIT CERA A FACIE

IGNIS, SIC PEREANT IMPII A FACIE DEI. Quocirca, dicendum est, quod in utraque parte hujus versus idem dicitur per repetitionem: quae est figura usitatissima in S. Scriptura.

Sed occurrit gravis quaestio circa id quod diximus, quod David, cum dicit: SICUT DEFICIT FUMUS DEFICIANT, significat daemonum potestatem et cultum ita penitus extinguendum Christi adventu, ut nullum illius vestigium relinquatur; est, inquam, quaestio, utrum idolorum atque daemonum cultus ita sit sublatus per Christi adventum, ut iterum vigere non possit; vel potius, utrum ante finem mundi homines redituri sint ad cultum idolorum. Quam quaestionem, quod ego sciam, nemo antiquorum Patrum discussit; et, certe, in utramque partem sunt multa, quae istam quaestionem dubiam faciunt. Et, primo, quod iterum homines sint redituri ad idolorum cultum ante mundi consummationem probari potest ex illo Apocalypsis, capite vigesimo, quod daemon atque Satanas, qui nunc per mille annos (est) alligatus, extremo mundi tempore est solvendus, ut seducat gentes; igitur, illo tempore seducet gentes longe alia ratione, quam nunc seducit cum est alligatus, et nulla alia ratio est, nisi inducendo illas in cultum idolorum; igitur, extremo tempore cultus idolorum revocandus est. Item, secundo, in eodem Apocalypsi, capite XIII, dicitur, quod illa bestia quae ascendet de mari, in qua, secundum omnes Doctores, significatur Antichristus, suam imaginem proponet adorandam cunctis gentibus; atque etiam dicitur, quod alia bestia dabit illi imagini spiritum atque loquelam: sed hujusmodi cultus nihil aliud est, quam cultus idolorum; igitur idololatriae reditura est ante mundi finem. Item, tertio, divus Paulus in secunda *ad Thessalonicenses*, capite secundo, loquens de Antichristo, dicit quod se extollet *supra* id, *quod dicitur* aut nominatur *Deus, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se sicut Deus*, quod profecto (nihil aliud est) quam idolorum cultus, quando, scilicet, honor qui debetur Deo, exhibetur creaturae. Et ita Rupertus

Abbas dicit, Antichristum publice propositurum simulacra sui ut adorentur; a qua etiam sententia divus Augustinus non videtur abhorrere; qui etiam Augustinus super (psalm.) VII, in illa verba: *Propter hanc in altum regredere*, aperte affirmat, quod quemadmodum propter peccata populi Judaici et in Christum ingratitudinem illo populus excaecatus est, et fides est translata ad gentes (quemadmodum docet divus Paulus, *ad Romanos*, capite X et XI), ita ante finem mundi fideles ex gentibus, propter ipsorum gravissima peccata, maxima ex parte expellendi sunt ab Ecclesia et in eam inserendi fideles ex Judaismo, quando scilicet in mundi fine futura est conversio populi Judaici. Igitur, gentes, quae tunc rejiciendae sunt ab Ecclesia, redibunt ad veterem cultum idolorum.

Sed, nihilominus, mihi contra videtur dicendum, scilicet, quod quamvis nunc in nonnullis mundi partibus, ubi nondum est praedicatum Evangelium, vigeat cultus idolorum; tamen in his populis atque nationibus, ubi semel is cultus extinctus est per praedicationem Evangelii, nunquam est rediturus, etiam si illae nationes discedant a fide Christi et infideles efficiantur; quemadmodum accidisse videmus multis Asiae et Europae nationibus, quae, relicta fide Christi, Mahometanam sectam sunt secutae, in qua unus Deus colitur. Atque hoc ita esse probatur primo ex illo testimonio Christi apud Joannem, capite XII: *Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras;* igitur, ubi semel ejectus est foras et spoliatus potestate usurpata per tyrannidem, numquam restituetur in eumdem locum: patet hoc manifeste, quia jam semel de illo lata est sententia a Deo, quae revocari non potest. Item, secundo, interitus idololatriae praedictus est a Daniele in illa statua, quam vidit Nabuchodonosor per quietem, ut vere atque docte animadvertit Burgensis: sed de illa statua dicitur, quod lapis abscissus de monte sine manibus, incidens in illam, ipsam comminuit ita, ut nullum illius vestigium re-

maneret; igitur, si idololatria ita comminuenda est, sequitur manifeste, quod ubi jam semel comminuta est, nunquam restituetur nec reparabitur. Et, certe, quod me plurimum inducit in hanc sententiam, est ipse rerum eventus: nam cum tot populi atque nationes defecerint a fide Christi, et inciderint in varios errores; tamen videmus, quod nulla istarum nationum reversa sit ad idola colenda. Unde ad primum argumentum ex illo Apocalypsis, in quo dicitur quod solutus Satanas seducet gentes, respondetur, quod dicitur gentes seducturus, non quia illas inducet in cultum idolorum, sed quia excitaturus est illo tempore gravissimas persecutiones contra Ecclesiam Dei et inducturus homines in vitia gravissima. Et ad secundum argumentum de imagine sua, quam proponet Antichristus adorandam, respondetur, primo, cum divo Augustino, quod imago ibi sumitur, non proprie, sed metaphorice pro similitudine morum et operationum; et ita, cum dicitur Antichristus propositurus imaginem suam adorandam, significatur quod inducet homines ad imitationem suam: vel, secundo, respondetur, quod cultus idolorum proprie est cultus plurium deorum; at, vero, etiam si Antichristus proponat imaginem suam adorandam, non tamen ex hoc sequitur, quod redibit idololatria, proprie loquendo, quia proponet se Antichristus quasi ipse sit unus et verus Deus; et ita in illius cultu non adorabuntur plures dii, sed unus qui existimatur verus Deus, quamvis falso. Et per hoc etiam patet (responsio) ad tertium argumentum ex Apostolo. Sequitur in textu:

4.—Et justi epulentur et exultent in conspectu Dei: et delectentur in laetitia.

Ubi nos legimus EPULENTUR, LXX interpretes converterunt LAETENTUR, et in textu hebraico similiter etiam habetur LAETENTUR, et Vulgata latina editio, qua in suo tempore usus est divus Augustinus, legit JUCUNDENTUR;

sed quoniam in convivio significatur magna vis laetitiae atque jucunditatis, idcirco noster interpres ad significandam magnitudinem laetitiae, qua justi afficiuntur et quae in hebraico verbo significatur, in isto loco usus est verbo epulandi, et ita traduxit: ET JUSTI EPULENTUR IN CONSPECTU DEI. Duo sunt effectus Christi adventus atque mortis: unus est, eripere daemonibus imperium quod in homines exercebant; alter, vero, ipsos homines efficere justos et sanctos et Dei filios. Quos duos effectus subindicavit divus Paulus illis verbis: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum filii dilectionis suae.* Priorum effectum exposuit David atque praedixit futurum illis verbis: DISSIPENTUR INIMICI EJUS, etc.; posteriorem, vero, exponit isto versiculo, significans justitiam atque sanctitatem, qua homines justi, per Christi adventum, erant afficiendi ex consequentibus et ex effectibus. Nam, quoniam effectus atque fructus justitiae est pax atque gaudium in Spiritu Sancto, idcirco, ad explicandam magnitudinem sanctitatis atque justitiae fidelium, exponit David magnitudinem laetitiae atque gaudii, quod oritur atque nascitur ex illa justitia: ET JUSTI inquit, EPULENTUR ET EXULTENT IN CONSPECTU DEI.

Jam dixi omnia ista verba accipienda esse pro futuris propheticis, sed est notandum, quod in S. Scriptura epulandi et cibum capiendi, atque adeo convivii nomina varias significationes habent in arcano sermone. Nam, primo, istis nominibus significatur in S. Scriptura animi securitas, propterea quod non facile cibum capiunt nisi qui animo securo sunt, quomodo accipitur illud psalmi XXII: *Parasti in conspectu meo mensam adversus omnes qui tribulant me*, id est, inter medios hostes atque inimicos meos me esse fecisti animo securo atque tranquillo. Secundo, significatur istis nominibus quies et laborum finis, propterea quod postquam homines sunt perfuncti suis laboribus cibum capiunt; ad quam significationem pertinet illud quod

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicitur *Lucae*, capite XII: *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quia praecinget se, et faciet illos discumbere et ministrabit illis*, id est, dabit illis quietem et finem dulcissimum suorum laborum omnium. Tertio, istis nominibus significatur gaudium et animi relaxatio, quoniam ista proprie nascuntur ex cibo atque potu, sicut scriptum est: *Vinum laetificat cor hominis et panis cor hominis confirmat;* et ad hanc significationem pertinet illud *Proverbiorum*, capite XV: *Secura mens, juge convicium*, id est, mens justi perfunditur eximia et continuata laetitia, et Esaiae capite LXV: *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis*, id est, illi gaudebunt, vos autem moerore et tristitia afficiemini. Quarto, his nominibus significatur in S. Scriptura dominium atque potestas et quaedam praerogativa dignitatis; ad quam significationem pertinet illud, quod habetur *Lucae* capite XII: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus, ut edatis atque bibatis super mensam meam*, id est, ego vos efficio participes dignitatis, potestatis, mihi a patre collatae. Ultimo, ista nomina significant conjunctionem et communionem animorum, propterea quod qui una capiunt cibum, eodem alimento aluntur; et ad (hanc) significationem pertinet illud *Canticorum*, V: *Veniat dilectus meus in hortum suum et comedat fructum pomorum suorum*, id est, efficiat me participem suum, conjungatur mihi maximo et conjunctissimo amore; et, similiter, ad hanc significationem pertinet illud prioris *ad Corinthios*, capite X: *Non potestis participes esse mensae Domini et mensae daemoniorum*, id est, non potestis simul habere communionem et conjunctionem cum Deo et cum daemonibus et utrisque conjungi; item, etiam illud Esaiae, capite LXV: *Qui ponitis fortunae mensam et libatis super eam*, id est, qui hac ratione studetis vobis efficere maxime familiarem atque conjunctam fortunam. Igitur, cum sit tam varius usus et significatio istorum nominum, dico quod in praesenti, cum David praedicit futurum ut JUSTI EPULENTUR IN CONSPECTU DEI, comprehendit fere omnes istas significationes. Nam dicuntur epulari justi, ut intelligatur, quod futuri sunt laetissimi, et quod sunt adepturi finem et quietem laborum suorum, et quod futuri sunt animo securo atque tranquillo, et quod sunt adepturi magnam dignitatem atque potestatem, atque, quod ultimum et maximum est, sunt futuri conjunctissimi cum Christo per charitatem et amorem; nam, certe, Christus adveniens omnia ista bona contulit sanctis et justis hominibus.

ET JUSTI, inquit, EPULENTUR ET EXULTENT IN CONSPECTU DEI. Videtur mihi, quod David, cum ista dicit, alludit ad veterem atque usitatum suae gentis morem; nam in more erat Hebraeis, post adeptam aliquam victoriam, persolvere Deo vota sua et sacrificia, et de animalibus quae sacrificabant, partem in altari offerebant, partem vero ipsi consumebant epulantes atque convivantes, sicut dicitur Judith capite XVI: *Et factum est post victoriam, omnis populus venit in Jerusalem adorare Dominum, et obtulerunt omnes holocausta, et vota, et repromissiones suas, et erat omnis populus jucundus secundum faciem sanctorum.* Igitur, quoniam David, ducta metaphora a rebus bellicis et militaribus, induxerat Christum aggredientem inimicos suos et illos dissipantem atque in fugam convertentem, idcirco persistens in incepta metaphora, inducit ipsum atque suos exultantes, laetantes et epulantes, id quod victores victis hostibus facere solent. ET JUSTI, inquit, EPULENTUR. — Ter invitat ad laetitiam justos, sive potius ter praedicit illos laetitia exultaturos; idque facit, primo, ad declarandam magnitudinem laetitiae atque gaudii, quo homines afficiendi erant justificati per mortem Christi; secundo, ad declarandum, quod justi per Christi mortem sunt liberati a triplici servitutis jugo, scilicet, a diabolo, et a peccato, et a morte, et ob id illos habere triplicem causam laetandi. Sequitur in textu:

5.—Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.

Persistit David in incepta metaphora rerum bellicarum: nam primo praedixerat Christum, tanquam fortissimum ducem, aggredientem inimicos suos et eos dissipantem; nunc, vero, dissipatis jam hostibus atque superatis, inducit illum triumphantem, et quemadmodum in triumpho fieri solet, invitat atque provocat universos ad celebrandas victoris laudes. CANTATE, inquit, DEO, PSALMUM DICITE NOMINI EJUS: ITER FACITE EI, QUI ASCENDIT SUPER OCCASUM.—Nicolaus de Lyra arbitratur, quod David in hoc versu praedicit ascensionem Christi, et quod conversus ad Angelos, Christum comitantes, dicat illis: CANTATE ILLI PSALMUM, DICITE, etc; at vero doctus (?) Theodoretus et Euthymius, a quorum sententia non abhorret divus Augustinus, arbitrantur, quod David in hoc versu loquitur cum Apostolis, et eos hortatur ut Evangelium praedicent per universum orbem; et cum praedicationem vocat cantum et psalmum et itineris complanationem per figuram atque metaphoram. Caeterum, Beda et divus Hieronymus haec referunt ad Christi resurrectionem; et Christum ascendere super occasum dicunt significare, quod Christus, rediens ad novam vitam, superavit mortem, quae vitae occasus est: quae sententia mihi magis probatur; nam, ut diximus in hoc loco, David inducit Christum triumphantem, et triumphus Christi in resurrectione illius exstitit, scilicet, cum, devictis hostibus et inferno spoliato, victor rediit ad vitam.

Itaque in hoc versu vaticinatur David resurrectionem Christi; sed antequam probemus hoc vaticinium de Christi resurrectione esse, necesse est ut explicemus quasdam voces hujus versus. Et, primo, pro eo, quod est CANTATE, in haebreo est verbum, quod pertinet ad significandos can-

tus vocum; at, vero, pro eo, quod est PSALLITE aut PSALMUM DICITE, est verbum in hebraeo, quod proprie spectat ad sonus citharae et caeterorum instrumentorum significandos: ex quo intelligitur, quod David et voce et instrumentis celebrari vult hoc triumphum Christi. Quod, autem, additur: ITER FACITE, quamquam LXX interpretes eodem modo converterunt, pro eo in haebreo est quoddam verbum, quod proprie significat *facere aggerem (hacer balladar*, ci romance); unde per translationem transfertur ad sermonem atque orationem, et accipitur pro exaggerare, id est, pro laudare aliquem cum exaggeratione et amplificatione, unde nonnulli in hoc versu verterunt: PSALMUM DICITE NOMINI EJUS, celebrate laudibus amplissimis ipsum. Sed multo verius est, quod hoc verbum in hoc loco proprie accipitur, non metaphorice, pro eo quod est *aggerem facere*, nam id fit quando viae complanantur, nam loca inferiora, addito aggere, extolluntur ut via reddatur plana. Unde rectissime et noster interpres latinus et LXX hoc loco verterunt: ITER FACITE, aut complanate viam, et id postulat id quod statim sequitur, scilicet: EI QUI ASCENDIT SUPER OCCASUM: nam ascendere in hoc loco, idem est, quod inequitare *(ir à caballo)*. Idque aperte intelligitur ex verbo haebraico, cujus loco ponitur: nam inducit David Christum Dominum super occasum, tanquam super equum incidentem, quemadmodum in triumpho fit; recte, autem, convenit, ut illi, qui ingreditur super equum, via ipsa muniatur et complanetur, ne quid ipsi possit esse offendiculo. Quod, autem, dicit: SUPER OCCASUM, in eo notandum quod verbum haebraicum, pro quo latinus interpres OCCASUM posuit, tria significat: primo, significat coelum altissimum, et ita nonnulli interpretantur hunc locum: QUI ASCENDIT SUPER OCCASUM, id est, super coelum altissimum; quod faciunt illi, qui hunc versum intelligunt de ascensione Christi, in qua sententia est etiam Burgensis. Secundo, significat id nomen loca vasta atque deserta, et nonnulli per

loca deserta intelligunt gentilitatem, propterea quod, quantum attinebat ad verum cultum Dei, erat deserta et inculta; et ita accipiunt qui intelligunt hunc versum de praedicatione Evangelii, scilicet, Theodoretus et Euthymius. Tertio, hoc nomen significat eam partem mundi, in qua sol occidit, id est, occasum, et inde per translationem accipitur pro morte, in qua vitae lumen, tanquam sol, occidit.

His, igitur, expositis, quemadmodum dixi, mihi videtur magis vera et probanda sententia illorum, qui dicunt, in hoc loco praedici resurrectionem, cum, devicta morte, victor atque triumphans ad vitam rediit. Quod ita esse probatur, primo, quoniam jubet David applaudi EI, QUI ASCENDIT SUPER OCCASUM, id est, super mortem, quae vitae occasus est; equitare, autem, aut ascendere super mortem, nihil aliud est, quam, resurgendo ad novam vitam, mortem superare atque vincere: et quemadmodum in triumpho hostes victi ducebantur ante currum victoris, sic Christus in hoc loco, quia inducitur tanquam triumphans in resurrectione, apte et convenienter dicitur ascendere et inequitare super mortem, quam resurgendo plane vicit atque superavit. Secundo, id comprobatur ex eo, quod sequitur in eodem versu, scilicet: DOMINUS NOMEN ILLI, quod hebraice, ad verbum, sic habetur: IA NOMEN EJUS; *Ia*, autem, est unum e decem divinis nominibus, quod nomen positum hoc loco magnum argumentum est ad judicandum hic agi de Christi resurrectione. Nam est notandum, quod hoc nomen *Ia*, ex vi suae propriae significationis, denotat in Deo esse vim et facultatem creandi et ex nihilo omnia producendi: unde quando S. Scripturae provocant omnes creaturas ad laudandum Deum, utuntur praecipue isto nomine, ut patet in psalmo CVI et CXI; et in psalmo CXIII, cum dixisset David: *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem*, quoniam illud opus, scilicet, efficere ut steriles et infecundae essent aptae ad filios generandos,

pertinebat ad istam vim et facultatem Dei generandi atque creandi, idcirco statim post illa verba adjecit: ALLELUIA; et similiter psalmo CXXXIV, ubi David commemorat pleraque eorum, quae Deus fecit in creatione rerum, tandem (ei) tribuit hoc nomen, inquit enim: *Omnia quaecumque voluit Ia fecit, in coelo, et in terra, et in mari et in omnibus abyssis. Educens nubes ab extremo terrae: fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis*, etc.

Igitur, cum in hoc loco David tribuat Deo hoc nomen, posteaquam dixit Christum ascendere super occasum, satis aperte declarat, quod hic agitur de resurrectione Christi: nam, ut dictum est, Deus vocatur isto nomine propter facultatem creandi atque generandi, quam habet in sese; et ista facultas atque potentia Dei maxime declarata est et enituit in resurrectione Christi, in qua, non solum factus est regressus a privatione ad habitum, quod est solius divinae potentiae, sed factus est regressus ad habitum, id est, ad vitam multo praestantiorem, quam antea, atque meliorem, id est, ad vitam immortalem, et impassibilem, et plane divinam. Ex quo ista Christi resurrectio in S. Scriptura, non solum vocatur generatio, sed generatio proprie competens uni Deo et soli, et sibi Deus illam attribuit tamquam propriam suae potentiae atque potestatis, ut manifeste appareat in psalmo II, ubi dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, id est, ego, sine adminiculo et concursu alterius causae, sed mea magna potentia te genui, id est, revocavi ad novam vitam. Nam quod hoc testimonium psalmi II sit aperte intelligendum de Christi resurrectione, testatur divus Paulus, *Actorum* capite XIII, sic dicens: *Quoniam repromissionem, quae ad Patres vestros facta est, eam Deus adimplevit filiis vestris, resuscitans Christum Jesum, sicut et in psalmo scriptum est: Ego hodie genui te;* nam, cum dicit Paulus: *resuscitans Christum Jesum*, aperte agit de resurrectione Christi ex mortuis, quamquam nonnulli non satis considerate id negare ausi sunt. Quod ita esse, probatur,

primo, ex consensu veterum Patrum, qui id ita intelligunt et interpretantur, ut divus Ambrosius, lib. III *De Sacramentis;* et Div. Hilarius, commentariis in psalmum II; et Chrysostomus, similiter; et Theophilus Alexandrinus, et divus Basilius. Et, secundo, probatur ex auctoritate et judicio Vulgatae editionis, quae in illo loco posuit: *resuscitans*, et non *suscitans*; at, vero, verbum resuscitandi, proprie sumptum, nusquam in Novo Testamento reperiatur positum, nisi pro resurrectione ex mortuis. Tertio, patet manifeste ex eo, quod statim sequitur; nam post illa verba, adjecit Paulus: *Quod autem hunc suscitavit a mortuis, amplius non reversurum in corruptionem, testatur idem David;* ex quo manifeste patet Paulum in illo loco agere de Christi resurrectione et ad illam accommodare illud psalmi: *Ego hodie genui te;* quod verissime in illam quadrat et de illa dici potest.

Igitur, ut ad propositum revertamur, Christi resurrectionem Deus attribuit sibi soli, et ob eam causam dicit in psalmo: *Ego hodie genui te;* nam, quamvis, quando Christus natus est temporaliter ex Maria Virgine, Deus ipsum genuerit, tamen, quia non genuit illum tunc sine concursu et adminiculo alterius causae, scilicet, Sanctissimae Virginis, idcirco illam generationem et nativitatem temporalem non attribuit sibi soli; at, vero, resurrectio Christi tota a solo Deo perfecta est, et ideo dicit, loquens de illa: *Ego hodie genui te.* Nam illud *ego* habet emphasim, ac si diceret: *Ego* ipse solus *genui te;* et, certe, sine dubio justissima ratione Deus sibi soli tribuit istam generationem, quia vere est generatio digna Deo. Nam prima Christi generatio temporalis, quoniam perfecta est simul a Deo et a femina, idcirco imitata est naturam ejus principii, a quo exordium sumpsit: nam, quoniam illa generatio facta est a Deo sine semine viri, sed per efficaciam Spiritus sancti, idcirco corpus Christi, quod fuit genitum illa generatione, expers fuit concupiscentiae et malae libidinis atque totius peccati; at,

vero, quia etiam illa generatio facta fuit a femina mortali et passibili, idcirco Christi corpus natum fuit illa generatione obnoxium morti et passioni. At, vero, secunda generatio Christi, quae in resurrectione facta est, quia a solo Deo perfecta est, sine concursu alterius causae, habuit omnes conditiones sui principii; nam resurrexit Christus ab immortali immortalis, ab impassibili impassibilis, a luce ipse plenus splendore atque luce, ab impeccabili ipse expers totius peccati. Quam meam explicationem aperte confirmant illa verba Christi apud Lucam, capite vigesimo, ubi loquens de resurrectione, dicit: *Illi, qui digni habebuntur illo saeculo et resurrectione ex mortuis, nec nubent nec uxores ducent: nec ultra mori poterunt: aequales enim sunt Angelis et filii sunt mei, cum sint filii resurrectionis;* quibus verbis aperte dicitur, quod qui resurgent, ultra non poterunt mori, id est, immortales erunt, quia sunt filii Dei, id est, quia Deus ipse solus illos genuit, et ita imitantur naturam sui genitoris. Quod, autem, Deus solus illos generet, probat id, quod statim sequitur: *quia*, inquit, *sunt filii resurrectionis;* nam quos Deus excitaturus est a mortuis in fine mundi, sua solius vi excitaturus est. Unde ista potentia atque vis excitandi mortuos ad novam et immortalem vitam in S. Scriptura propter istam causam vocatur *ros*, ut patet Esaiae capite XXVI: *Ros lucis, ros tuus;* quo in loco aperte agitur de resurrectione futura in ultimo saeculo; appellatur autem *ros*, quia, quemadmodum rore matutino redditur terra fecunda sine opera et cultura hominum, sic ad eumdem modum illa vis coelestis atque divina excitatura est mortuos e pulvere sine cujusquam alterius causae concursu. Ex quibus omnibus satis colligitur quod convenienter sanctus David in hoc versu, in quo vaticinatur Christi resurrectionem, celebrat filius potentiam atque facultatem creandi et generandi, vocans illud IA, propterea quod ista potentia maxime declarata est in Christi resurrectione. Sequitur in textu:

6.—Exultate in conspectu ejus, turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum et judicis viduarum....

Pergit David conficere carmen, quo laudandus est Christus, quem (ut dixi) inducit resurgentem et veluti triumphantem de hostibus suis; et ita inquit: EXULTATE IN CONSPECTU EJUS; quo significatur eximium laetitiae genus, quo laetati sunt illi Sancti Patres, qui simul cum Christo resurgente ad vitam revocati sunt. TURBABUNTUR A FACIE EJUS.—Id pertinet ad timorem atque terrorem significandum, quo affecti sunt custodes sepulcri, Christo resurgente, et quo affecti sunt principes Judaeorum et caeteri, qui illorum partes sequebantur, audita Christi resurrectione. Sed videamus quod sequitur: PATRIS ORPHANORUM ET JUDICIS VIDUARUM; nam quoniam in superiori versu laudaverat Christum a potentia creandi, quam ostendit in sua ipsius resurrectione, nunc laudat eumdem a pietate et clementia qua inductus fuit ad ista omnia et facienda et patienda pro salute humani generis; inquit, enim: PATER ORPHANORUM, JUDEX VIDUARUM. Sed quaeret aliquis, quinam sint isti orphani atque viduae, quorum Christus pater esse dicitur. Theodoretus accipit ista nomina simpliciter pro his qui sunt et dicuntur orphani et viduae, quorum Deus dicitur esse pater, ut intelligatur quanta sit illius benignitas atque clementia, ut rerum etiam minimarum habeat curam et illarum dignetur pater vocari. Divus Augustinus, quem sequitur Beda, intelligit hoc loco vocari orphanos et viduas illos, qui se abdicaverunt ab omnibus hujus mundi bonis, ut Christum sequerentur, et qui dicunt cum Davide (in psalmo XXVI): *Pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.* At, vero, Euthymius censet, hoc loco vocari orphanos fideles conversos ex gentilitate; quoniam, antequam ad fidem converterentur, habebant diabolum pro patre, quem dereliquerunt, cum ad fidem

conversi sunt. Cui expositioni suffragatur illud, quod dicitur in psalmo XLIV: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram;* nam, ut interpretantur nonnulli ex Sanctis, illa verba diriguntur ad Ecclesiam conversam ex gentibus, et habent hunc sensum: *Pro patribus tuis*, id est, pro idolis et daemonibus, quos colebas et habebas tanquam duces et parentes vitae tuae, pro illis, inquam, quos deseruisti et abnegasti, *nati sunt tibi filii*, id est, loco illorum tibi successerunt Apostoli et martyres et confessores, quos *constitues principes super omnem terram.*

Sed, ut haec cum superioribus melius conjungantur, aptius erit hoc loco nomine orphanorum et viduarum intelligere universum humanum genus, quod ipsum non abhorret a consuetudine S. Scripturae: nam humanum genus postquam per peccatum devenit in potestatem diaboli, fuerunt tanquam orphani, a patre destituti, universi homines, et tamquam viduae orbatae suis viris; et ita diripiebantur ab illo, et in varios errores inducebantur, nam impii et superbi daemones abutebantur sua potestate in humanum genus, infirmum et pauperem. Unde in S. Scriptura daemones appellantur superbi atque potentes; homines vero appellantur pauperes et humiles, ut dicitur in *Cantico* Beatissimae Virginis: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles*; *potentes*, id est, daemones, qui per tyrannidem homines oppresserunt; *deposuit de sede*, id est, dejecit de potestate et imperio, quod obtinebant; *et exaltavit humiles*, id est, genus humanum, humile et oppressum, in Christo crexit ad summam celsitudinem et imperium, ita ut Christo, in quantum est homo, et caeteris fidelibus, qui cum ipso charitate conjunguntur, omnia (etiam ipsi daemones) sunt subjecta. Igitur, istorum orphanorum et viduarum Christus in hoc loco praedicitur pater futurus atque vindex; quod et re ipsa completum fuit: nam, Christo moriente, et ad novam vitam resurgente, diabolus condem-

natus est et spoliatus ea potestate et imperio, quo oppressum tenebat humanum genus, et hic fuit proprius effectus Christi mortis et resurrectionis; unde convenientissime David in hoc loco, ubi vaticinatur Christi resurrectionem, ipsum appellavit patrem orphanorum atque viduarum, quoniam resargendo filios vindicavit ab omni miseria, in qua erant, et fuit illis vere pater.

Sequitur in textu: DOMINUS IN LOCO SANCTO SUO.—Quibus verbis, David prosequitur institutam laudationem Christi et eam amplificat, quasi ita dicat: quamvis tu, o mortis victor! habites IN LOCO SANCTO TUO, id est, in coelo, remotus a nostra contagione, tamen, inquit, ad pauperes et ad humiles, in terra jacentes, respexisti, nec passus es, ut humanum genus interiret. DOMINUS IN LOCO SANCTO SUO.—Magna vis atque significatio est in istis verbis, multaque comprehendit David, cum dicit: DOMINUS IN LOCO SANCTO SUO. Quod ut melius intelligatur, notandum est, quod locus sanctus, in quo dicitur Deus hic esse et habitare, coelum est: coelum, autem, in S. Scriptura et in illarum arcano sermone multa significat, quorum pleraque David hoc loco complexus est. Nam, primo, coelum, quia est locus altissimus et remotus a terrenarum rerum contagione, eo ipso indicat atque significat habitatorem suum esse maximum et altissimum, et ad quem nullum malum et nulla terrena vis atque facultas possit se applicare. Et hanc significationem habet id, quod dicitur in psalmo CXIII: *Coelum coeli Domino: terram autem dedit filiis hominum*, id est, coelum, qui est locus altissimus, Domino coeli, scilicet, convenit, qui et ipse altissimus est et ab omni terrena labe est remotus; *terram, autem, dedit filiis hominum*, id est, filiis Adam, id est, terram dedit terrenis. Et propter istam causam et significationem, dicebat Dominus Exodo, XX: *Vos vidistis, quod de coelo locutus sum vobis. Non facietis deos argenteos nec deos aureos facietis vobis*, in quo primus versus causam reddit posterioris, quasi ita dicat: quia de coelo locutus sum vobis, idcirco

deos argenteos aut aureos non facietis vobis; nam, inquit, quia locutus sum vobis de coelo, loco sublimi et remoto ab omni terrena labe, idcirco intelligere debetis me, juxta mei loci naturam, esse excelsissimum et ab omni materia et corporea forma expertem, et idcirco *non facietis mihi simulacra corporea et aurea*. Secundo, propterea quod in coelo est magna vis atque facultas ad producendum omnia ea, quae fiunt in hoc inferiori mundo, idcirco, cum quis dicitur esse in coelo, significatur ipsum habere magnam potentiam ad efficiendum omnia quaecumque velit; et hanc significationem habet id, quod dicitur in psalmo CXIII: *Deus autem noster in coelo: omnia quaecumque voluit fecit*, id est, quia in coelis est, inde intelligimus illum esse praeditum summa facultate efficiendi quaecumque velit. Tertio, quia coelum est locus aptissimus, propter suam altitudinem, ad prospiciendum ea quae in terris geruntur, idcirco, cum dicitur Deus esse in coelo, significatur ipsum habere cognitionem et providentiam omnium rerum, ut apparet in psalmo XIII: *Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum*, id est, quia Dominus est in coelo, scilicet, apto loco ad speculandum, prospexit super filios hominum; et apertissime in psalmo X: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in coelo sedes ejus. Oculi enim ejus in pauperem respiciunt: et palpebrae ejus interrogant filios hominum;* et in psalmo XXXII: *De coelo respexit Deus super omnes qui habitant terram*. Quarto et ultimo loco, quia coelum est purissimum, longe alienum ab omni sorde, idcirco, cum Deus dicitur esse in coelo, significatur ipsum esse purissimum et similiter delectari rebus purissimis atque mundissimis. Ad cujus rei explicationem pertinet illud Matthaei, capite VII: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regno coelorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui est in coelis;* quia pater meus purus et mundus est, sicut et ipsi coeli sunt, in quibus habitat, ideo nemo in coelum intrabit nisi qui similiter mundus fuerit et purus.

Igitur, cum David in hoc loco dicit: DOMINUS IN COELO SANCTO SUO, omnes istas significationes complexus est, perinde ac si dixisset: quamvis habites in coelo loco excelsissimo et sis ipse excelsissimus, juxta naturam tui loci; tamen non dedignatus es respicere ad humanum genus, infirmum atque infimum: et quamvis habites in coelo, loco efficacissimo ad influendum in inferiora, et tu sis, juxta tui loci naturam, efficacissimus et potentissimus ad efficiendum quidquid velis, ac proinde posses nos redimere solo tuo verbo; tamen voluisti ipse ad nos descendere, et pro nobis mori, et pro nobis resurgere, ut simul nos resuscitares ad novam et beatam vitam: et similiter quamvis habites in coelo, loco aptissimo ad prospiciendum, ac proinde tu omnia cognoscas et omnia provideas, juxta tui loci naturam; tamen, ut melius nostris malis providere possis, voluisti ea ipsa experiri et miseriarum nostrarum gustum capere, ut *tentatus per omnia* (sicut scribit Paulus *ad Hebraeos*, IV) *posses compati infirmitatibus nostris:* et tandem, ultimo, quamvis habites in coelo, loco mundo et puro, ac proinde tu, juxta tui loci naturam, sis purissimus et alienus ab omni sorde; tamen, ut nobis benefaceres, sordem sordis nostrae, id est, humanae naturae, suscepisti sine peccato. DOMINUS, inquit, IN LOCO SANCTO SUO, id est, potens, excelsus, nullius egens, providens universa, ab omni sorde purissimus, nostri causa adeo se dejecit ad nostram conditionem, ut nobis, orphanis et ab omni bono viduatis, esse voluerit pro patre et pro marito et sponso dulcissimo. Sequitur:

7.—Qui habitare facit unius moris in domo....

Pro eo, quod noster interpres UNIUS MORIS, similiter LXX interpretes posuerunt UNIUS MODI; Symmachus, autem, (et divus Hieronymus in editione Psalmorum ad veritatem hebraicam) posuit SOLITARIOS. Vox, autem, hebraica, quae habetur in hoc loco, proprie significat *solus;* quo nomine

Hebraei significant coelibes, id est, qui sine conjuge vivunt, sibi ipsis unis et solis. Ex quo intelligitur, nostrum interpretem recte vertisse, cum dixit: UNIUS MORIS, nam ista ratione rectissime significantur coelibes, nam qui vitam coelibem vivunt, sunt UNIUS MORIS, hoc est, servant eumdem tenorem vitae et sunt sibi similes, cum contra vita conjugatorum divisa sit secundum varietatem curarum et negotiorum, quibus illa vita est obnoxia, sicut divus Paulus scripsit in prima *ad Corinthios*, capite VII, dicens: *Qui cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Igitur, cum UNIUS MORIS (verbo) in hoc loco significat (David) solitarios et coelibes, filiis et prole carentes. Sed videndum est, quid significet id, quod dicitur habitare in domo.

Pro quo adverti debet, quod, quamvis usus metaphorae sit communis omnibus linguis, tamen in S. Scriptura sunt quaedam metaphorae propriae illarum Litterarum, et non communes illi cum aliis linguis, quarum exempla nonnulla proferam. V. g.: nomen *uberum* in S. Scriptura per metaphoram transfertur ad significandos complexus et amores, et ea metaphora est propria S. Scripturae; sic, enim, accipitur *Canticorum* primo id, quod dicitur: *Quia meliora sunt ubera tua vino*, id est, amores tui vino potentiores sunt ad laetificandum animam et ad complendum eam optima spe et ad excitandum animum ad maxima quaeque et praeclara facta; quod idem efficit charitas Dei, de qua scribitur quod fructus illius est *pax et gaudium in Spiritu Sancto*, et caetera, quae sequuntur. Simili modo accipitur idem nomen *Proverbiorum* capite V, cum dicitur: *Cerva charissima et gratissimus hinnulus, ubera illius inebrient te in omni tempore*, id est, quemadmodum cerva grata est et voluptatem affert aspicientibus, ita tibi grata esse debet conjux tua et illius amore te oblectare debes. Et eodem modo accipitur paulo infra, capite VII, cum ex persona cujusdam feminae dicitur: *Veni, inebriemur uberibus, donec illucescat*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dies. Similiter, est proprium S. Scripturae ista verba, scilicet, stillare aut imbres emittere, transferre ad significandum copiosam et eloquentem orationem; sic dicitur in psalmo LXXI, de Christo et de illius sermone dulcissimo: *Descendet sicut pluvia in vellus: et sicut stillicidia stillantia super terram;* hoc est, Christus oratione dulcissima penetrabit ad hominum animos, quemadmodum pluvia, sensim et guttatim descendens, terram penetrare solet. Et similiter in *Cantico* Moysis dicitur: *Concrescat sicut pluvia doctrina mea*; et in libro *Sapientiae* (1), capite VII, dicitur: *Sapientia emittet quasi imbres eloquium suum.* Ita est proprium S. Scripturae hanc vocem: *lignum* vel *arbor* transferre ad significandos homines: et bonos vocat lignum viride; malos, autem, lignum aridum. Quod lignum transferatur ad significandos homines, patet ex illo *Ecclesiast.*, capite XI: *Ubicumque ceciderit lignum, sive ad aquilonem sive ad austrum, ibi erit;* quibus verbis, sicut veteres Patres interpretantur, Salomon metaphorice significat, quod in quamcumque partem quis moriendo ceciderit, in eamdem (est) permansurus. Quod, autem, mali vocentur lignum aridum et boni viride, manifestum est ex illis verbis Christi: *Si in ligno viridi*, id est, in me *ista fiunt, in arido*, id est, in vobis *quid tandem futurum est?* Videtur, autem, ista metaphora ducta ex psalmo I: *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*; nam, quemadmodum plantata arbor juxta aquas, virescit et folia profert, sic justi proferent uberrimos fructus, et idcirco vocantur lignum viride; contra, autem, injusti et peccatores, quia carent virore gratiae, nec proferunt bonorum operum fructus, idcirco vocantur lignum aridum. Igitur, ad hoc genus metaphorae, quod est proprium S. Scripturae, pertinet hoc, de quo agimus, scilicet, HABITARE IN DOMO, nam quia domus accipitur pro familia et

(1) Textus, ad verbum, invenitur *Ecclesiastici* cap. XXXIX.

posteritate (v. g., *domus David* significat familiam et posteritatem David), ideo habitare in domo in S. Scriptura aut facere habitare in domo nihil aliud significat, quam abundare prole et posteritate, ut patet ex psalmo CXII: *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem;* nam posterior pars hujus versus declarat priorem partem illius; quod, enim, dixit: *Qui habitare facit sterilem in domo*, id statim explicat: *matrem filiorum laetantem.* Igitur, cum UNIUS MORIS, proprietate hebraica, appellentur coelibes et prole atque filiis carentes, et HABITARE IN DOMO significet abundare prole et posteritate, cum David dicit: QUI HABITARE FACIT UNIUS MORIS IN DOMO, id sine dubio significat, scilicet, Deum efficere, ut qui steriles erant prole et posteritate abundent.

Sed quaeret aliquis, quinam sint isti coelibes qui a Davide praedicuntur donandi a Deo prole et posteritate? Ad quod respondetur, primo, his nominibus Davidem in hoc loco significare genus humanum, quod quia venumdatum erat peccato, nullam prolem habebat bonorum operum; et tamen virtute mortis atque resurrectionis Christi et per fidem vivam illius, id quod antea erat sterile et infecundum, edidit magnos fructus bonorum omnium operum: et sic, recte dicitur, quando agitur de Christi morte atque resurrectione, quod fecit HABITARE IN DOMO UNIUS MORIS; id est, fecit ut qui erant steriles in bonis operibus, abundarent prole bonorum operum. Vel, etiam, potest dici, his nominibus significari a Davide eos, qui posuerunt prima fundamenta primitivae Ecclesiae, scilicet, illam congregationem Apostolorum et discipulorum Domini; quae congregatio cum in initio sui esset in tam parvo numero, et ab hominibus contemptui habita, ita ut vere appellari potuissent secundum homines solitarii et steriles, tamen, brevi, Deo cooperante per mortem, ad eam magnitudinem pervenit et tot genuerunt filios in fide, ut verissime dictum sit a Davide: QUI HABITARE FACIT UNIUS MORIS IN DOMO. Sequitur:

QUI EDUCIT VINCTOS IN FORTITUDINE, SIMILITER EOS, QUI EXASPERANT, QUI HABITANT IN SEPULCHRIS.—Et hoc etiam pertinet ad laudem Christi, quam illi tribuit David in his carminibus, in hoc psalmo, cum illum inducit a morte redeuntem atque triumphantem. In qua laude, ut superius visum est, David ea bona commemorat, quae Christus attulit hominibus per suam mortem atque resurrectionem; quorum bonorum et hoc unum est, quod illos liberavit a vinculis et a carcere. QUI EDUCIT, inquit, VINCTOS IN FORTITUDINE; id est, qui magna sua potentia atque fortitudine in libertatem asseruit eos, qui vinculis constricti tenebantur. Quod, quidem, dupliciter intelligi potest: vel generaliter, de toto humano genere, quod Christus sua morte, quantum ad sufficientiam, liberavit a vinculis peccati; vel potest intelligi particulariter, de his Patribus sanctis, qui erant detenti in limbo, quos Christus resurgens liberavit et secum duxit; quam expositionem sequitur Cassiodorus. Quae, quidem, mihi magis probatur: nam, ut dictum est, in his versibus David Christi resurrectione et quasi in triumpho ipsum inducit; cui, quidem, resurrectioni et triumpho maxime conjuncta est liberatio Sanctorum Patrum e limbo. Quare convenientissime David illius meminit in isto loco, dicens: QUI EDUCIT VINCTOS IN FORTITUDINE.

Quod, autem, sequitur: SIMILITER EOS, QUI EXASPERANT, QUI HABITANT IN SEPULCHRIS, potest dupliciter intelligi: primo, repetendo a communi illud verbum: QUI EDUCIT, ut sit sensus: et SIMILITER EDUCIT EOS, QUI EXASPERANT et cactera, quasi dicat: non solum vinctos, qui erant in limbo liberavit et secum duxit, cum victor ad vitam rediit, sed etiam eos, qui in hac vita erant aversi a Deo et illi inimici, et quasi habitantes in sepulchris suorum peccatorum, ad fidem convertit et ad Deum perduxit. Secundo, potest intelligi, non repetendo illud verbum: EDUCIT, sed potius supplendo oppositum verbum, scilicet: *reliquit*, ut sit sensus:

quemadmodum vinctos educit e locis inferni, sic similiter relinquet in inferno VINCTOS et perterrefactos, id est, daemones ipsos; et QUI HABITANT IN SEPULCHRIS, id est, in inferno loco, quod mortis domicilium (est). Cui expositioni vehementer suffragantur verba hebraica, ad verbum conversa, sicut illa convertit divus Hieronymus in interpretatione psalmi, quam fecit ad hebraicam veritatem; quae verba sic habent: DESERTORES ET REBELLES HABITARE FECIT IN LOCO SITICULOSO, quasi dicat: Christus, descendens ad inferos et vinctis spiritibus praedicans, et tandem rediens ad vitam, sicut bonos atque pios, qui in limbo erant, liberavit et secum duxit, sic DESERTORES, id est, daemones, et REBELLES, id est, illos qui daemonum partes sequuntur, reliquit IN SITICULOSO LOCO, id est, in inferno; qui infernus sic appellatur, non solum propter ignis ardorem, sed etiam propter ariditatem et sterilitatem omnis boni. Sequitur:

8.—Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.—9.—Terra mota est, etenim coeli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.

Verba haec, vel dicantur a Davide, sermonem suum ad Deum convertente, vel dicuntur per mimesim, id est, per imitationem sermonis alieni fingantur dici ab illis sanctis Patribus qui Christum resurgentem comitabantur. Sed, quocumque modo dicantur, continent historiam et vaticinium rerum gestarum a Christo, dum mortem obiit, in illo triduo quod intercessit inter ejus mortem et resurrectionem: nam, quoniam hactenus David exposuerat mortem Christi, et daemonum fugam et bonorum laetitiam, et reditum Christi ad novam et immortalem vitam, idque exposuerat tanquam in generali; nunc magis in particulari, vel ex sua, vel ex persona aliorum, exponit, quomodo id factum fuerit; exponit, autem, non simpliciter illa narrans, sed sub imagine et figura earum rerum, quas Deus

fecit, quando eduxit ex Ægypto populum Israeliticum, nam illa liberatio ex Ægypto fuit figura et imago hujus liberationis. Sed ita David meminit illarum rerum, quae factae sunt in liberatione aegyptiaca, ut facile intelligatur ipsum non proprie agere de illis rebus, sed illis mediantibus, significare velle aliud genus majus rerum atque sublimius. DEUS, inquit, CUM EGREDERERIS IN CONSPECTU POPULI TUI. Hoc loco subintelligenda est et supplenda similitudinis particula, id quod saepe fit et in aliis locis S. Scripturae, quasi ita dicat sanctus David: Sicut, cum exires ante populum tuum Israel et cum perduceres eum per desertum, te gesisti erga eum populum, similiter te habuisti, cum e potestate Satanae et e servitute illa multo pejore quam fuit aegyptiaca servitus, liberasti vinctos tuos; et ea, quae a te gesta sunt illo tempore liberationis aegyptiacae, eadem, aut etiam multo majora, nunc gessisti, cum e infernis locis educebas populum tuum. Et, ut intelligeremus, ipsum Davidem loqui, non tam de illa liberatione aegypciaca, quam de ista, quae facta est per Christum, addidit post illa verba hanc vocem: SELAM, quae, ut docet divus Hieronymus in variis locis, est quaedam nota quae, quoties adhibetur in psalmis, significat, in illo versu, cui additur, inesse aliquod arcanum atque sublime; et, certe, si in hoc versu ageretur de illa liberatione aegyptiaca, res dicitur notissima et saepe decantata a Davide et aliis Prophetis: caeterum, videamus, quid vaticinetur in ista piorum liberatione, quando illos Christus eduxit e locis infernis. TERRA, inquit, MOTA EST, ETENIM COELI DISTILLAVERUNT; quibus verbis David significat futuram quamdam magnam rerum mutationem, Christo homines educente de potestate daemonis, sicut et magna rerum mutatio facta est, quando Moyses eduxit Judaeos ex Ægypto: nam, sicut tunc mutatio facta est in ipsis Judaeis atque Ægyptiis, quod illi liberati fuerunt et hi fuerunt extincti, atque etiam magna mutatio est (facta) in ipsis elementis et

natura, nam mare divisum fuit, et mons Sinai contremuit, et pluit manna; ita, similiter in liberatione facta per Christum vincti educti sunt e carcere inferni, et daemones, victores, sunt spoliati e sua potestate, et elementa ipsa varie affecta sunt, nam, Christo moriente atque resurgente, terraemotus factus est magnus, et quando spiritum emisit, tenebrae factae sunt super universam terram et velum templi scissum fuit in duas partes. Quod ut magis significaret, adjecit: A FACIE DEI SINAI, A FACIE DEI ISRAEL; nam debet intelligi verbum *contremuit*, ut sit sensus: A FACIE DEI, id est, ad praesentiam Dei, mons Sinai contremuit; id quod evenit in prima illa liberatione, quando Deus descendit in eum montem, legem daturus, atque etiam impletum fuit in ista secunda liberatione, quando terra contremuit Jerosolymis, et velum templi scissum fuit, nam nomen Sinai transfertur in S. Scriptura ad significandas Jerosolymas gentes, ut docet aperte divus Paulus *ad Galatas*, capite IV. Sequitur in textu:

10.—Pluviam voluntariam segregabis Deus haereditati tuae.....

Quasi ita dicat: Sicut illic, quando educebas populum ex Ægypto, largitus est manna, tanquam pluviam, in magna copia; sic in ista secunda liberatione effudisti magnam copiam coelestium bonorum in eos, qui continebantur in illis infernis locis. Quod, autem, dicit VOLUNTARIAM, pro eo in hebraeo est, ad verbum, LIBERALITATEM aut MUNIFICENTIAM; quo significatur, 1.°, quod illa bona coelestia, quae Christus largiturus erat, futura erant in magna copia; et 2.°, significatur, quod illa bona non sunt potissimum referenda ad hominum propria merita, sed ad Christi summam liberalitatem et misericordiam. PLUVIAM, inquit, VOLUNTARIAM SEGREGASTI, id est, peculiariter dedisti; HAEREDITATI TUAE, id est, illis sanctis qui te expectabant. Et sequitur in textu:

INFIRMATA EST, TU VERO PERFECISTI EAM. INFIRMATA, inquit, EST, id est, illi sancti tui, id est, haereditas tua laborabat et anxiabatur tui desiderio adventus, et confirmasti eam, id est, confirmasti illos et laetitia magna affecisti, transferendo ipsos a loco inferni ad gradum felicissimum beatitudinis. Possunt etiam haec omnia, generaliter dicta, de tota Ecclesia bonorum et fidelium intelligi, in quam Ecclesiam Christus resurgens effudit magnam copiam bonorum spiritualium, tamquam pluviam; quae etiam Ecclesia in suo initio infirmata est propter varias persecutiones, quas passa est; sed tandem illam confirmavit Deus, quando delevit et stinxit illius persecutores, et illam collocavit in magna gloria et dignitate. Cui expositioni valde consentaneum est id, quod sequitur:

11.—Animalia tua habitabunt in ea: parasti dulcedinem tuam pauperi, Deus.

ANIMALIA, inquit, TUA HABITABUNT IN EA, scilicet, in ea haereditate; ANIMALIA, autem, TUA (significant in hebraeo GREGEM TUUM) vocat David eos, qui sunt infirmiores aut imperfectiores in Ecclesia. Nam Ecclesia constat ex imperfectis, qui metaphorice in S. Scriptura vocantur *animalia* atque *grex;* et ex perfectis, qui vocantur *pauperes Dei*, juxta illud (Matth., v): *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum coelorum;* quibus pauperibus Deus dicitur parasse IN SUA DULCEDINE, quia et in hac vita et in futura illos afficit magnis bonis et consolationibus spiritualibus. Sequitur in textu:

12.—Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.

Pro EVANGELIZANTIBUS in hebraeo est nomen generis femenini, quo significantur mulieres, quae aliquid annuntiant aut evangelizant; quamquam et intelligi potest in

hoc loco, femeninum positum esse pro masculino, et sic intellexerunt LXX interpretes et Chaldaicus paraphrastes. Virtus, autem, in hoc loco, cum dicitur: IN VIRTUTE MULTA, non accipitur pro animi habitu honesto, sed pro potentia et exercitu, ut manifeste apparet ex verbo graeco et hebraico quod ponitur isto loco; unde alii verterunt cum divo Hieronymo: DOMINUS DABIT VERBUM ANNUNTIATORIBUS MAGNI EXERCITUS. Sed utroque modo idem est sensus: nam David, ut communiter exponitur, agit hic de praedicatoribus Evangelii; quamquam Chaldaicus paraphrastes hoc exponit de Moyse et Aaron, qui legem Dei annuntiaverunt populo Israelitico. DOMINUS, inquit, DABIT VERBUM, id est, legem et doctrinam suam; EVANGELIZANTIBUS, id est, Moysi et Aaron, ut ea annuntient; IN VIRTUTE MULTA, id est, in magno exercitu atque congregatione filiorum Israel. Nam, quoniam ea, quae praecesserant hunc versum, videntur in spem dicta esse de illa liberatione aegyptiaca, cum qua fuit conjuncta Legis traditio; idcirco Chaldaicus consequenter hunc versum interpretatus est de illa doctrina Legis. Sed, ut continuemus ordinem nostrae expositionis, dicendum est David in hoc loco vaticinari alterum ex duobus: vel id quod accidit sanctis illis mulieribus, quae post resurrectionem ipsum quaerebant in monumento, quasi ita dicat: DOMINUS DABIT VERBUM, id est, DOMINUS resurgens DABIT VERBUM, id est, mandabit evangelizantibus, id est, illis sanctis mulieribus, quibus resurgens primo apparuit, ut annuntient Apostolis et caeteris Judaeis suam resurrectionem; nam illis mulieribus primo visus est Christus, et illis praecepit, ut festinanter cunctis fratribus suis annuntiarent se resurrexisse. Dicuntur autem evangelizantes virtute multa aut magni exercitus, quia annuntiaverunt se vidisse visiones Angelorum, aut potius, quia fuerunt annuntiatrices potentiae magni Dei, quam ostendit in Christi resurrectione. Vel, 2.°, potest dici, quod ita vaticinatus est David hic id, quod accidit illis sanctis spiritibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qui, Christo resurgente, dicuntur in Evangelio resurrexisse et introisse in sanctam civitatem et apparuisse multis, et illis annuntiase ea quae Christus, ad inferna descendens, fecerat in illis locis; dicuntur, autem, isti spiritus annuntiantes VIRTUTE MULTA, vel quia annuntiabant magnam potentiam Christi, vel quia ipsi erant in magna copia atque numero; sic, enim, scribitur: *Et multa corpora sanctorum resurrexerunt, et introierunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis.* Cui sententiae aptissime possunt conjungi ea, quae statim sequuntur, scilicet:

13.—Rex virtutum dilecti dilecti: et speciei domus dividere spolia.

Hujus versus varia interpretatio est juxta varietatem punctorum hebraeorum: nam pro ista voce DILECTI in hebraeo est quaedam vox, quae recipit varia puncta; et juxta eorum varietatem, varia significat. Nam cum quibusdan punctis significat dilectum, idquo secuti sunt LXX interpretes, quos etiam secutus est noster interpres latinus, et propterea ista lectio: DILECTI, DILECTI aliis praeferenda est; at vero cum aliis punctis, illa significat fugere. Et, similiter, pro illo quod dicitur: REX VIRTUTUM, in hebraeo est pluralis numerus; unde alii cum divo Hieronymo verterunt: REGES VIRTUTUM FUGIANT, FUGIANT ET SPECIES DOMUS DIVIDET SPOLIA. Ut statim dicemus, utraque interpretatio continet eamdem sententiam: qui hunc psalmum interpretantur, non quidem de Christo, sed de his rebus, quae evenerunt populo Israelitico, referunt hunc versum ad illa, quae acciderunt illi populo, postquam eductus fuit e Ægypto et introductus fuit in terram promissionis; nam reges, qui illam obtinebant, Judaei in fugam verterunt et estinxerunt, et terram ipsorum atque praedam intersese partiti sunt.

Sed, quoniam pro certo constitutum est a nobis superius, quod totus hic psalmus intelligendus est ad litteram de Christo, idcirco, persistentes in incepta interpretatione, dicimus, quod David isto versu vaticinatur illa quae illi sancti spiritus (qui, Christo resurgente, resurrexerunt) annuntiaverunt illis, quibus apparuerunt; quasi ita David dicat: Dominus daturus est verbum, id est, vim atque vitam ad annuntiandum ea, quae ab ipso gesta sunt in infernis locis; itaque apparebunt multis, et dicent illis primo metum atque trepidationem daemonum, cum primo viderunt animam Christi, coelesti lumine circunfusam, coelesti inquam lumine; secundo, dicent inferni direptionem; tertio et ultimo, sanctarum animarum gaudium atque laetitiam. Et de primo, scilicet, de daemonum metu atque trepidatione, ubi primum viderunt Christi animam descendentem, dicitur: REX VIRTUTUM, DILECTI, DILECTI, nam referunt illi sancti, per imitationem sermonis alieni, ea verba, quibus usi sunt daemones, conspecta Christi anima; quasi ita dicat: Ubi Christus primum descendit ad inferna loca, illius conspecta majestate et splendore, daemones perterriti et se ad fugam mutuo cohortantes dixerunt: DILECTI, DILECTI, *en adest* REX VIRTUTUM, nostras domos direpturus.

Et eamdem sententiam habet id, quod alii vertunt in hoc loco, scilicet, REGES VIRTUTUM *fugerunt, fugerunt;* nisi quod non dicitur per imitationem sermonis alieni, sed ipsi sancti ex sua persona narrantes ea, quae ibi gesta sunt, dicunt: reges illi potentes, qui orbem tenebant tyrannide oppressum, statim atque viderunt animam Christi descendentem ad inferna loca, metu consternati, in fugam conversi sunt, ET SPECIEI DOMUS DIVIDERE SPOLIA, id est, SPECIEI DOMUS datum est DIVIDERE SPOLIA. Dixerunt trepidationem daemonum; nunc dicunt, quemadmodum a Christo infernum fuit direptum, dicentes: ET SPECIEI DOMUS concessum est, ut videret spolia. Species domus proprietate sermonis hebraici significat mulieres, eo quod mu-

neris illarum sit domestica negotia curare, quemadmodum tradit Xenophon in Œconomia, et ornare domum et ordinare et curare, ut omnia sint culta atque nitentia; ex quo alii hunc locum convertunt isto modo: ET HABITATRIX DOMUS DIVIDERE SPOLIA. Unde per metaphoram species domus vocatur ipsa anima, quae sicut mulier in domo sic ipsa in corpore illi affert decus atque ornamentum; ex quo ipsum corpus in S. Scriptura metaphorice vocatur domus, ut apparet in illo Job, capite IV. *Qui habitant domos luteas et terrenum habent fundamentum.* DIVIDERE, autem, SPOLIA in S. Scriptura idem significat, quod praedam diripere; dicitur, autem, Christus Dominus spolia divisisse, quando ad infernum descendit, et eripuit e daemonibus sanctos Patres, quos detinebant; unde Esaias, LIII, ubi agit de ista Sanctorum Patrum liberatione, eadem figura verborum dicit de Christo: *Et cum fortibus dividet spolia*, quemadmodum id interpretantur fere omnes antiqui Patres. Inquit, ergo, David ex persona illorum sanctorum: ET SPECIEI DOMUS DIVIDERE SPOLIA, quasi ita dicat planius: Conspecta Christi anima, daemones perterriti fugerunt, et, illis recedentibus, species ipsa domus, id est, illa anima sanctissima, quae praecipua quadam ratione ornamentum afferebat corpori suo, divisit spolia, id est, eripuit e potestate daemonum illos, quos illi vinctos tenebant. Dicitur, autem, Christus divisisse spolia, quia non omnes, qui erant in inferno, secum duxit; sed partim reliquit, scilicet, impios, et partim liberavit, scilicet, pios: unde et alibi de hac re dicitur, ex persona Christi: *Morsus tuus ero, inferne; morsus tuus*, inquit, quia non exhausit totum infernum, sed quadam ex parte vacuum reliquit. Sequitur in textu:

14.—Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi ejus in pallore aureo.

Valde consonat iste versus cum superioribus, intellectis eo modo quo a me exposita sunt; ex quo intelligitur, hanc nostram expositionem ipsa veritate fulciri. Sed, quoniam pleraque verba hujus versus sunt figurata et variae significationis, idcirco primo dicemus de verbis et secundo de sententia ipsa. Igitur, pro eo quod noster interpres, secutus LXX, posuit: INTER MEDIOS CLEROS, in hebraeo est quaedam vox, quae varia significat: nam significat cleros, id est, sortes, et divisiones, et terminos; atque etiam significat, ut tradunt hebraei et recentiores interpretes, significat, inquam, ollas et lebetes et tripodes. Unde alii vertunt: SI DORMIATIS SIVE HABITETIS INTER TRIPODES aut LEBETES, quo significatur habitare in loco fuliginoso et nigro et sordido, qualis est hic locus, ubi reponuntur hujus vasa; id, autem, significat esse in tristitia et moerore, nam quemadmodum candor atque lux in S. Scriptura habent significationem laetitiae et felicitatis, sic nigredo et fuligo et tenebrae habent significationem tristitiae et calamitatis. Quod, autem, additur: PENNAE COLUMBAE DEARGENTATAE, idem est ac si diceret, columbae candidae aut candore coopertae, qualis est argenti color. ET POSTERIORA DORSI EJUS IN PALLORE AURI; alii vertunt: IN FULGORE AURI, quod idem est; caeterum, per POSTERIORA DORSI noster interpres intellexit caudam et extrema alarum, referentia auri fulgorem; et ita, his verbis describit columbam pulcherrimam, dorso et extremis alarum referentem fulgorem auri, reliquo autem corpore candidiore argento. Et dicit, quod illi, qui jacebant inter terminos aut inter ollas, facti sunt candidi et pulchri ad similitudem columbae candidae atque pulcherrimae. Atque haec dicta sint de verbis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Jam videamus, quae sit sententia hujus vaticinii, et ad quos pertineat. In superiore versiculo, ut dictum est, inducti sunt a Davide illi Patres, qui cum Christo Domino resurrexerunt annuntiantes illis, quibus apparuerunt, daemonum trepidationem et direptionem inferni, factam per Christum; nunc, in isto versu, idem sancti pergunt dicere sanctarum animarum, quae erant in illis locis, a summa tristitia ad summum gaudium traductionem. Itaque dicunt: SI DORMIATIS INTER MEDIOS CLEROS, id est, Christo ad inferna loca descendente, non solum trepidaverunt daemones et spoliati sunt a Christo; sed etiam sancti, qui erant in illis locis, ex tristissimis sunt effecti laetissimi. SI DORMIATIS, inquit, id est, quamvis illi dormiebant et jacebant, tanquam in nocte; nam ponitur secunda persona pro tertia, quod est usitatum in S. Scriptura; igitur, quamvis illi dormiebant in nocte, maerore oppressi et impediti, ne alio se conferrent, INTER MEDIOS CLEROS, id est, inter duos illos terminos (nam sic vocat loca ea, in quibus sancti illi erant, propterea quod essent tanquam in confinio mortis atque vitae, scilicet, in confinio inferni, qui est locus damnatorum, et coeli, quae est sedes beatorum); igitur, quamvis illi jacebant INTER MEDIOS CLEROS aut, secundum aliam significationem, inter tripodes aut ollas, id est, in loco obscuro et caliginoso; tamen, Christo adveniente et sua claritate loca illa illustrante, PENNAE COLUMBAE DEARGENTATAE, id est, effecti sunt nitidiores et candidiores et fulgentiores, quam sit columba candidissima et pulcherrima, penniis suis imitata candorem argenti, id est, effecti sunt laetissimi, nam, ut diximus, *candore* significatur laetitia atque felicitas. Usus est, autem, columbae similitudine, potissime ad declarandam pulchritudinem et laetitiam, quam illae sanctae animae ex Christo acceperunt, quia, ut videmus in *Canticis*, anima pulchra per divinam gratiam et splendorem saepius appellatur columba. Potest etiam hic versus accipi, non incommode, quasi dictus ex persona eorum,

quibus illi sancti apparuerunt, ut sit in eo alia imitatio sermonis alieni, ita ut illi, quibus apparebant, conspecta illorum claritate et cognitis his rebus, quae a Christo gesta sunt in infernis locis, tanquam illis gratulantes de sua liberatione, et cum quadam significatione admirationis, respondeant atque dicant: SI DORMIATIS, id est, quamvis jacebatis vos, sancti, in loco illo tenebroso subterraneo, tamen, ut videmus, redditi estis candidiores columba candidisima, id est, traducti estis a tristitia ad laetitiam, a locis tristissimis ad loca plena claritatis et felicitatis. Cui valde consentaneum est id, quod sequitur in textu:

15. — Dum discernit coelestis reges super eam, dealbabuntur nive in Selmon. — 16. — Mons Dei, mons pinguis.

Nam ista verba sunt eorum, qui cum Christo resurrexisse et apparuisse dicuntur, quibus verbis reddunt rationem sui candoris atque splendoris illis, quibus apparuerunt et qui id ipsum admirabantur. Sed ut sententiam hujus versus melius declaremus, prius est notandum, quod discernere in hoc loco idem est quod dividere aut separare, et dicitur hic, quemadmodum fit in certamine, ubi qui vincuntur, divisi atque dispersi, diffugiunt in varias partes. Et quod id verbum in hoc loco sic accipiendum sit, constat ex verbo hebraico, cujus loco ponitur; quod proprie significat dissipare. Quod, autem, dicitur SUPER EAM, pro *super* in hebraeo est particula, quae etiam significat *in*; unde alii vertunt: CUM DISPERGIT COELESTIS REGES IN EA. Selmon aut cujus hic fit mentio mons est, qui dicitur hiberna nive semper albare; igitur, hoc supposito, David in hoc versu inducit loquentes illos sanctos, de quibus loquimur, et rationem reddentes sui splendoris quibus apparuerunt, et quasi ita dicentes: minime mirandum esse, se splendere atque lucere; nam, inquit, etiam illa loca carceris obscura et tenebrosa effecta sunt nive candidiora, quando, Christus

descendens ad illa loca, daemones fugerunt. Et territi fugiunt, inquit, DUM DISCERNIT, id est, quando dividebat et dissipabat vi suae claritatis atque potentiae; COELESTIS, id est, Christus, sic enim rectissime a nostro interprete et a Septuaginta conversum est id, quod in hebraeo legitur in hoc loco, scilicet, OMNIPOTENS, ut intelligeremus hic agi de Christo, qui in S. Scriptura proprie appellatur coelestis, ut patet in illo Pauli *ad Corinthios* primae, cap. XV: *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de coelo, coelestis*, et: *Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus imaginem coelestis;* igitur quando dispergebat COELESTIS, id est, Christus, REGES, id est, daemones, qui in S. Scriptura vocantur principes ut in illo Pauli *ad Ephesios*, VI: *Principes tenebrarum harum*, et Joannis capite XIV: *Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam.* Igitur, quando illos Christus dispergebat super eam aut in ea, id est, super eam regionem aut in ea regione, in qua cum illis fuit congressus, id est, in locis infernis: tunc, inquam, NIVE DEALBABUNTUR IN SELMON, id est, tunc illa loca ab ipsa claritate et praesentia Christi effecta sunt nive candidiora, quemadmodum fit in monte Selmon, qui nive perpetuo albescit. Nam illa praepositio *in*, et particula hebraica quae illi respondet, aliquando in S. Scriptura est similitudinis nota, et valet idem quod *sicut*, ut apparet in illo Esaiae XLVIII: *Examinavi te, sed non in argento*, id est, non sicut examinari solet argentum. Itaque dicunt, quod quando Christus discernebat et dissipabat daemones, illa loca inferni ab ipsius claritate lucidissima effecta sunt; et statim, converso sermone ad ipsum Christum, exprimit David admirationem, quam aequum erat accipere de rebus gestis a Christo, tam magnis atque praeclaris, et ita dicit: MONS DEI, MONS PINGUIS.

Vocat montem ipsum Christum, quasi ita dicat: O MONS DEI, O MONS PINGUIS, quam es admirabilis, quantum documentum dedisti tuae excellentiae atque magnitudinis!

MONS, inquit, DEI; vocatur Christus mons apte atque convenienter: nam in S. Scriptura nomen montis translate ponitur ad significandos principes atque reges, qui eminent inter alios, sicut montes altiores sunt quam reliqua loca terrae; id patet manifeste in illo psalmi LXXI: *Accipiant montes pacem populo, et colles justitiam* et multis aliis in locis. Igitur, cum Christus in S. Scriptura nominetur Rex Dei, ut patet in psalmo II, idcirco convenienter etiam vocatur mons Dei, per translationem et metaphoram; quo nomine etiam appellatur ab Esaia, capite II, cum dicitur: *Et erit in novissimis diebus mons Domini praeparatus in vertice montium* etc.; et Daniel, capite II, loquens de Christo, dicit, quod lapis ille *abscissus sine manibus*, qui statuam percussit atque comminuit, postea crevit in montem magnum. Igitur, illi qui viderunt et audierunt ea, quae Christus gessit in inferno, in hoc versu a Davide inducuntur laudantes et admirantes ipsum Christum. Idque valde convenienter: quia ita natura comparatum est, ut quando videmus aut audimus aliquid gestum praeclare ab aliquo, statim prorumpimus in voces, quae significent et animi nostri admirationem, et contineant laudem illius, de quo agimus. Quod idem in hoc loco fit. MONS, inquit, DEI, MONS PINGUIS, quasi ita dicat: hic est vere mons, id est, vere rex, et vere omnipotens, et beneficus in suos et praestans omnia, quae desiderari possunt ab optimo rege; itaque, vere hic est MONS DEI, id est, rex a Deo constitutus, atque etiam MONS PINGUIS, utpote qui suos afficiat larga copia bonorum. Sed est advertendum, quod pro eo, quod noster interpres posuit: MONS PINGUIS in hebraeo est: MONS BASAN; Basan, autem, est nomen montis proprium, sorte qui contigit Rubenitis, qui mons est aptissimus ad pastum pecoris. Ex quo noster interpres, respiciens ad sensum et sententiam, rectissime vertit, non: MONS BASAN, sed: MONS PINGUIS; nam ista de causa, scilicet, propter pinguedinem et fertilitatem, hic mons transfertur ad significandum Chris-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum; quamquam et ipsum nomen Basan pinguedinem significat, quare utroque modo hujus montis et nomen et natura recte traditur ad significandam Christi bonitatem et largitatem erga fideles suos. Sequitur:

MONS COAGULATUS, MONS PINGUIS.—Repetitio est ejusdem sententiae cum quadam amplificatione, quo magis significent sui animi admirationem. MONS, inquit, COAGULATUS; pro COAGULATUS, alii vertunt eodem sensu: MONS INCASEATUS, ut adnotavit Glossa interlinearis, id est, mons qui abundat coagulo et casco et lacte; appellatur autem sic ille mons Basan, quia, ut dictum est, erat maxime pascibulus, id est, pascuus, et ob id abundabat gregibus. Alii, vero, pro monte coagulato vertunt MONS EXCELSORUM, quod adnotavit Lyranus, quia verbum hebraicum in hoc loco ambiguum est ad omnes istas significationes; dicitur, autem, mons Basan MONS EXCELSORUM, propterea quod assurgit in plura juga. Quae omnia rectissime quadrant Christo Domino, ad quem hoc nomen metaphorice transfertur: nam 1.°, dicitur MONS COAGULATUS, id est, abundans lacte, ut significetur ab ipso ali atque sustentari, non solum perfectos, sed etiam imperfectos, qui lacte nutriuntur, ut inquit divus Paulus; et quemadmodum in illo monte inferiores partes sunt aptae pro ferendis frugibus, superiores vero habent lectissima pascua, ita in Christo Domino et est panis, id est, cibus perfectorum, et est lac, id est, nutrimentum imperfectorum: 2.°, dicitur Christus, secundum aliam significationem, MONS EXCELSORUM, id est, qui in plura juga assurgit, quia Christus non excedit atque eminet uno modo, sed totus constat ex excellentiis et, ut inquit Paulus (*ad Ephesios*, I): *tenet primatum et principatum in omnibus* rebus. Et, ut magis ostendat David hujus divini montis laudem, amplificat illam ex collatione et comparatione ad alios montes, dicens:

17. — Ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

PRO SUSPICAMINI alii vertunt: QUID AEMULAMINI, aut: QUARE INVIDETIS MONTES COAGULATI huic, scilicet, monti? etc. Et utraque versio habet eamdem fere sententiam: quamquam semper praeferenda est nostra latina conversio. Inquit, ergo, David ex persona eorum, quos supra diximus: UT QUID SUSPICAMINI MONTES COAGULATI? nam in his verbis convertunt sermonem suum ad alios montes, id est, ad alios reges et praecipue ad ipsos daemones et omnino ad omne illud, quod Christo contradicit; quasi dicat: Hic est mons vere pinguis; vos, autem, qui illi contradicitis, QUID SUSPICAMINI? id est, quare falso vobis persuaderis esse alios montes coagulatos, id est, esse alios Deos aut Dominos, qui praesideant rebus universis, cum iste solus sit constitutus a Deo Patre judex vivorum atque mortuorum, nec *sit aliud nomen sub coelo, in quo oporteat nos salvos fieri*? Ita interpretantur divus Augustinus et Cassiodorus. Vel secundum aliam significationem, ita dicunt: quare vos, qui haberi vultis montes coagulati et cupitis vobis arrogare divinitatem et rerum dominium, QUARE, inquam, INVIDETIS huic monti vere divino? nam quid in vobis est, quod conferri cum illo possit, sive attendatis ad potentiae magnitudinem, sive ad regni durationem, sive ad reliquas dotes egregias atque praestantes? Nam, inquit, MONS iste est IN QUO BENEPLACITUM EST DEO HABITARE IN EO: ETENIM DOMINUS HABITABIT IN FINEM, quasi ita dicat: nam istum montem, id est, Christum Deus amat amore praecipuo et prosequitur amore eximio, et in eo dulcissime conquiescit; ETENIM IN EO HABITABIT IN FINEM, id est, habitabit in aeternum. His, igitur, praedictis a Davide de Christi resurrectione et de rebus ab ipso gestis in inferno, jam pergit ad

caetera praedicenda, quae secuta sunt Christi resurrectionem, scilicet, ad praedicendam ipsius in coelum ascensionem, et missionem Spiritus Sancti, et Evangelii predicationem, et caetera hujusmodi. Et, primo, praedicit ascensionem Christi, ipsum inducens circumfusum, cinctum millies millibus curruum atque equitum et triumphali habitu atque more coelum ascendentem, scilicet, metaphorice per ista significans multitudinem angelorum atque hominum, qui ipsum ascendentem comitabantur. Inquit, ergo:

18. — Currus Dei decem millibus multiplex millia laetantium: Dominus in eis in Sina, in sancto. — 19. — Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus....

CURRUS DEI, inquit, etc.; istis verbis, quemadmodum dixi, (significat David) quam magno comitatu Angelorum atque hominum Christus coelos ascendat. Sed addit: DOMINUS IN EIS, id est, Dominus inter eos, IN SINA, IN SANCTO, id est, sicut contigit in Sina, monte sancto; nam confert David istis verbis majestatem Christi, ascendentis in coelum, cum ea, in qua se conspiciendum prebuit, cum apparuit populo Israelitico in monte Sinai, Legem daturus. Et statim, ad Christum sermone converso, David enuntians ea quae futura erant quasi essent praeterita, subjungit: ASCENDISTI IN ALTUM, scilicet, illis curribus angelorum atque hominum te comitantibus; CEPISTI CAPTIVITATEM, id est, captivitatem, quam eripuisti e potestate daemonum, tecum duxisti (vocat autem captivitatem, multitudinem illorum sanctorum, qui antecesserunt nativitatem et mortem Christi, qui et captivi tenebantur); ACCEPISTI DONA EX HOMINIBUS, id est, jam in coelum sublatus, accepisti a Patre dona, quae in homines effunderes, scilicet, dona Spiritus Sancti, sicut ipse Christus dicit apud Joannem, capite XVI: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem ego abiero, mittam illum ad vos.* Sed quaeret aliquis hoc loco, quare divus Paulus *(ad Ephesios*, IV), in quo loco citat hunc versiculum et exponit illum in hanc sententiam, non dicit: ACCEPISTI DONA IN HOMINIBUS, sed: DEDIT DONA HOMINIBUS? Ad hoc respondetur, quemadmodum respondet Glossa ordinaria, quae est desumpta ex divo Augustino, quod divus Paulus retulit sensum horum verborum; nam sive dicas ACCEPISTI, sive DEDISTI, utrobique eadem sententia est, et utrumque verissime dicitur: DEDISTI, quia Christus, quatenus Deus est, misit Spiritum Sanctum, sicut et Pater; ACCEPISTI, quia Christus, quatenus homo est, id impetravit a Patre, ut suis largiretur Spiritum Sanctum. Caeterum, quia dixit David: ACCEPISTI DONA IN HOMINIBUS, ne aliquis existimaret illam missionem Spiritus Sancti solum pertinere ad Judaeos, et in illos solum, et non in gentes, conferenda esse dona Spiritus Sancti, idcirco adjecit statim:

ETENIM NON CREDENTES INHABITARE DOMINUM DEUM. Id est, etiam in NON CREDENTES, nam sic vocat gentiles, eo quod essent dediti cultui idolorum, quasi ita dicat: haec liberalitas Christi et haec fusio coelestium bonorum et donorum, non solum pertinebit ad Judaeos, qui verum Deum colebant, sed etiam ad eos, qui illum ignorabant; nam, inquit, etiam NON CREDENTES, id est, qui antea erant infideles et gentiles, INHABITARE DOMINUM DEUM, id est, cognoscent habitare inter ipsos Dominum Deum, nam videbunt dona Spiritus Sancti visibiliter effudi in plurimos gentiles, quemadmodum contigit in primitiva Ecclesia. Et sic exponit hunc locum Glossa interlinearis, et Lyranus; et ipsa verba hebraica, ad verbum conversa, hanc sententiam aperte insinuant, nam inquiunt: ACCEPIT DONA HOMINES ETIAM REBELLES, AD HABITANDUM ETIAM IN IPSIS DOMINUM DEUM, id est, contulit Deus dona Spiritus Sancti, non solum Judaeis, Deum colentibus, sed etiam illis, qui obsistebant atque repugnabant verae religioni atque cultui Dei, id est, gentilibus. Nam ista res commovit magnam admirationem in prima Ecclesia apud Judaeos fideles, adeo ut ipse

divus Petrus, post acceptum Spiritum Sanctum, necesse habuerit admoneri de ea re per peculiarem revelationem, ut constat *Actorum* capite x; quo etiam loco Judaei, admirantes Spiritum Sanctum gentibus dari, dicebant: *Quia et in gentes gratia Spiritus Sancti effusa est.* Sequitur:

20.—Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Exposito illo ingenti dono atque beneficio, cum Spiritus Sanctus hominibus datus est, consequenter David adjungit gratiarum actionem, dicens: BENEDICTUS DOMINUS DIE QUOTIDIE, id est, per singulos dies. Et statim ex tanto Dei beneficio concepta fiducia, quod Deus nunquam erat defuturus suo populo, vaticinatur Evangelii praedicationem habituram successum felicissimum, ipso Spiritu Sancto adjuvante, dicens: PROSPERUM ITER FACIET NOBIS DEUS SALUTARIUM NOSTRORUM. Id est, quoniam Spiritus Sanctus datus est, ut eo accepto, Apostoli Evangelium praedicarent juxta illud *Actorum*, capite I: *Sedebitis in Jerusalem, donec induamini virtute ex alto* (1); idcirco, post commemorationem Spiritus Sancti, consequenter additur a Davide: PROSPERUM ITER FACIET NOBIS; aut, ut habetur in hebraeo et a divo Hieronymo vertitur: ET PORTABIT NOS DEUS SALUTARIUM NOSTRORUM, id est, ipse ducet nos, et ubicumque pervenerimus Evangelium praedicaturi, felicem successum praedicationi (dabit). Atque, ut hoc ipsum magis confirmet, utitur repetitione ejusdem rei, dicens:

(1) Textus, quoad verba, potius pertinet ad Lucam, capite XXIV, vers. 49.

21.—Deus noster Deus salvos faciendi: Domini Domini exitus mortis.

DEUS, inquit, NOSTER; repentendum est superius verbum, scilicet: PROSPERUM ITER DABIT NOBIS DEUS NOSTER. DEUS, inquit, SALVOS FACIENDI, id est, Deus qui potest salutem dare quibuscumque velit. Quo nomine etiam videtur proprie Christus significari, cujus proprium nomen est Jesus, id est, Salvator. Convenientissime, autem, commemorat David in hoc loco hanc potentiam Dei SALVOS FACIENDI, id est, liberandi quoscumque velit, a quibusvis periculis et malis, nam, ut dictum est, agit in hoc loco de felici successu Evangelii et de ejus praedicatione. Caeterum, praedicare Evangelium et condemnare tamquam falsam antiquam et in toto orbe receptam idolorum religionem, nemo hominum auderet aggredi, nec sperare posset felicem successum, nisi magna vi coelesti roboraretur, et nisi persuasus esset, se agere causam ejus, qui posset eum ab omni periculo liberare: nam, sine dubio, erat audax negotium et periculi plenum et antiquas et a majoribus acceptas religiones hominibus velle eripere. Quam ob causam, David convenientissime cum vaticinio praedicationis Evangelicae conjunxit commemorationem divinae potentiae, docens quam facile esset Deo servare suos praedicatores ab omni incursu malorum, quasi ita dicens: DOMINUS DABIT PROSPERUM ITER NOBIS praedicatoribus Evangelii, scilicet, et nostrum conatum ad felicem exitum perducet; quod, quamvis sit minis periculosum, tamen Deo erit facile, nam est DEUS SALVOS FACIENDI, id est, Deus praeditus summa potestate servandi quos velit et a quibuscumque periculis velit. Et statim adjecit: DOMINI DOMINI EXITUS MORTIS; ubi subintelligenda est particula causalis, quasi dicat: idcirco est DEUS SALVOS FACIENDI, id est, Deus potens ad salvandos suos a quocumque periculo, quia in ejus pote-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

statis imperio sunt EXITUS MORTIS, id est, potest eripere suos a morte, sive corporis, sive animi. In quo David argumentatur a majori, dicens: nam si Deus habet mortem in sua potestate, sequitur, quod potest eripere a morte quos velit; et si a morte potest eripere, quod habetur gravissimum et maxime formidandum malum, poterit etiam eripere a caeteris malis minoribus. DOMINI, inquit, SUNT EXITUS MORTIS: usus est numero multitudinis, ut significaretur utraque mors, et corporalis et spiritualis; dicitur, autem, Deus habere mortem in sua potestate: primo, quia habet jus vitae (et) necis in universos; secundo, quia in morte, id est, in re tristissima et maxime metuenda, cum privamur ista luce et cum circumcingimur horrore et timore magno malorum agmine, tunc, inquam, Deus ostendit erga suos maximam vim suae bonitatis atque dulcedinis, illos perfundens gaudio laetissimo in mediis malis; unde apud *Job*, XI, dicitur per metaphoram: *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer*. Sequitur:

22.—Verumtamem Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Quidam (ista) interpretantur de eversione Judaeorum, quae conjuncta fuit cum prima praedicatione Evangelii: sic Esaias, IV, cum praediceret eversionem Judaeorum faciendam per Romanos, cum illa copulavit praedicationem Evangelii, dicens: *In illa die erit germen Domini in magnificentia, et fructus terrae sublimis*. Sed et commodius intelligitur iste versus de eversione idololatriae, idque est magis consentaneum cum superioribus: nam praedicebat David praedicationem Evangelii et quasi hortabatur Apostolos ad id intrepide praedicandum, securos illos faciens de ejus felici successu; unde ut magis id confirmaret, adhibet affirmationem, et affirmat sine dubio futurum, ut idolorum cultus,

tanto annorum numero corroboratus, ad nihilum redigatur. Itaque dicit: VERUMTAMEN, hoc est, certe, sine dubio, Evangelium praedicabitur felici successu; nam Deus, non solum praedicatores liberabit a periculo, sed etiam CAPITA INIMICORUM SUORUM, id est, ipsa idola, quae praesunt atque imperant suis inimicis, id est, infidelibus, CONFRINGET atque comminuet. Quasi, sermone converso ad Apostolos, ita dicat illis: Ne timeatis, quod pauci et inermes vos circumcingi videatis a tot gregibus luporum; nam, sine dubio, CONFRINGET DEUS, non solum vulgares inimicos, sed etiam ipsa CAPITA, id est, ipsos duces atque deos illorum superbissimos conteret atque comminuet. Sed addit: VERTICEM CAPILLI PERAMBULANTIUM IN DELICTIS SUIS; idem repetit aliis verbis per expolitionis figuram: nam quod in superiori parte versus dixerat CAPITA, hic vocat verticem capilli; et quod superius appellaverat INIMICOS, hic vocat PERAMBULANTIUM IN DELICTIS SUIS. In quo manifeste significat gentiles, qui non solum erant inquinati multis delictis, sed etiam illa habebant pro licitis et honestis, et peccandi exempla sumebant a suis diis; et ideo dicuntur PERAMBULANTES IN DELICTIS SUIS, id est, habentes illa pro honestis et non verentes palam et in oculis omnium illa perpetrare. Caeterum, non sine causa David dixit, non quidem istos inimicos esse confringendos, sed ipsorum CAPITA eorum; quia, eversis idolis et illorum cultu, ipsi cultores, non quidem extincti sunt, sed magna ex parte traducti ad verum Dei cultum. Quod idem, exemplo quodam adhibito, magis adhuc confirmat, dicens:

23.—Dixit Dominus: Ex Basan convertam, convertam in profundum maris.

Subintelligenda est hoc loco particula similitudinis hoc sensu: Dixit Dominus etc., quasi ita dicat: Non est cur dubitetis, quin hoc futurum sit ita, quemadmodum vaticina-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tus sum, nam DIXIT DOMINUS, id est, Dominus ita confirmavit futurum, cujus verba frustrari eventu non possunt; nec solum dixit, sed etiam exemplo rerum non dissimilium, a se gestarum, confirmavit et approbavit, dicens: Ex BASAN CONVERTAM, CONVERTAM IN PROFUNDUM MARIS, id est, sicut olim ex Basan, id est, quando filii Israel pugnaverunt, duce Moyse, contra Sehon, regem Amorrhaeorum, et Og, regem Basan, tunc, inquam, illos reduxi laetos ac victores, et sicut olim ex profundo maris Rubri populum meum eduxi incolumem et inimicos ipsorum eodem mari submersi; sic nunc CONVERTAM, id est, reducam laetos atque victores praedicatores Evangelii, omnibus ipsorum inimicis deletis atque extinctis: et quemadmodum in illa victoria filii Israel, non solum fuerunt victores, sed etiam potiti sunt urbibus atque terra illorum regum; sic, inquam, et vos, praedicatores Evangelii, idolis atque daemonibus superatis, vasa illorum diripietis, id est, cultores ipsorum ad veram fidem traducetis. Et, ut ostenderet hanc victoriam praedicationis perfectam futuram et omni ratione illustrem, persistens in eadem metaphora rerum bellicarum, adjecit:

24.—Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Nam in certamine, quando omnes inimici obsidione occisi sunt, omnia complentur cadaveribus et rivi sanguinis decurrunt; ex quo et pedes victorum et ora canum sanguine imbuuntur, quod est signum perfectae et completae victoriae; sic ista similitudine docet regius vates praedicatores Evangelii consecuturos perfectam victoriam de idolis et de infidelitate. Unde dicit: LINGUA CANUM TUORUM, id est, tanta erit caedes, ut canes ab ipso, scilicet, sanguine, quem haurient ab inimicis tuis, id est, qui sanguis effuet ab inimicis tuis occisis, ab hoc igitur sanguine hausto ca-

nes ipsi gerent ora atque linguas infectas et maculatas. Unde consequenter sequitur in textu:

25.—Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei: regis mei, qui est in sancto.

Nam istis verbis, comparata jam victoria de idolis et eorum templis eversis, praedicit David gloriam et imperium Christi, jam in toto orbe per fidem dominantis; idque praedicit rerum corporearum imaginibus aptissimis et lectissimis. VIDERUNT, inquit, INGRESSUS TUOS, id est, extinctis hostibus et per praedicationem Evangelii occidione occisis, ingressus est orbem victor, cunctis hominibus applaudentibus et videntibus. Dicitur, autem, Christus ingredi aut venire, cum ejus fides recepta fuit ab universo mundo, ut docet divus Augustinus in epistola ad Paulinum; et certe, in psalmo LXXXVIII gressus Christi ponuntur pro ejus adventu ad dominandum per fidem in omnes gentes: nam, ubi nos legimus: QUOD EXPROBRAVERUNT INIMICI TUI, DOMINE, QUOD EXPROBRAVERUNT COMMUTATIONEM CHRISTI TUI (in quo noster interpres optime sententiam reddidit, nam significat inimicos populi Israelitici solitos irridere eorum spem de adventu Christi ad imperandum in universo mundo), id, inquam, in hebraeo ad verbum sic habetur, sicut etiam convertit divus Hieronymus: *Quod exprobraverunt gressus Christi tui*. Et haec veniendi ratio est illa, quae a divo Joanne appellatur prima resurrectio in Apocalypsi, regnum *mille annorum*, scilicet, cum, finitis persecutionibus tempore Constantini, Christi fides regnare coepit in toto orbe, nemine contradicente, et coeptus est haberi honor publice Apostolis et sanctis martyribus, tanquam Divis. Sequitur:

26.—Praevenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.

PRAEVENERUNT, id est, praecedebant principes conjuncti psallentibus, id est, principes chori atque cantus, positi in medio juvencularum, id est, in medio chori cantorum atque cantatricum, praecedebant cantando, id est, praecinebant caeteris succinentibus. In quo, David nihil aliud dicit aut agit, quam describere chorum, constantem e vario cantorum genere, et personantem laetissimis vocibus, sicut fieri solet in pompa festo et laeto die. Per quae David metaphorice exponit et vaticinatur publicam Ecclesiae laetitiam, non solum spiritualem, sed etiam externam, quae contigit tempore Constantini, cum, Evangelio praedicato fere per totum orbem, et Christi fide recepta fere ab omnibus gentibus, imperatorio edicto reddita est pax Ecclesiae et facta est potestas publice colendi Christum et Sanctis templa erigendi, eversis idolis et eorum cultu. Igitur, hanc Ecclesiae laetitiam, quae sine dubio maxima fuit, describit David in ducendo chorum cantorum, Deum laudantium cantu dulcissimo. Quorum cantus explicatur in eo, quod sequitur:

27.—In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel.

Nam his vocibus atque isto carmine chorus cantorum, qui inducitur, celebrat atque laudat Deum. IN ECCLESIIS, inquit, id est, non jam in uno loco, sed in Ecclesiis sparsis per totum orbem BENEDICITE DEO. Quod, autem, sequitur: DE FONTIBUS ISRAEL, vel per appositionem, hoc sensu: BENEDICITE DEO, qui ortus est E FONTIBUS ISRAEL, id est, ex genere Israelitico; quasi dicat: BENEDICITE Christo, qui et Deus est, atque etiam homo ab Israele genus ducens. Vel potest accipi alio modo, scilicet vocandi casu,

in hoc sensu: BENEDICITE DEO VOS, qui manastis EX FONTIBUS ISRAEL, id est, vos, Israelitae et Judaei; per quos intelligit David vel in communi omnes fideles, qui sunt vere Israelitae, vel proprie illos fideles, qui conversi sunt e Judaismo; nam isti habebant propriam et peculiarem causam laetandi et benedicendi Deum, tunc quia ex ipsis ortus erat Christus, tunc etiam quia ipsorum opera atque praedicatione mundus conversus est ad fidem Dei, et cultus idolorum est eversus, id est, ipsorum opera comparata est haec victoria, de qua nunc agit David et quam celebrat his verborum figuris. Cui interpretationi est (consonum) id, quod statim sequitur:

28.—Ibi Benjamim adolescentulus, in mentis excessu. Principes Juda duces eorum: principes Zabulon et principes Nephthali.

Id quod omnes veteres Patres intelligunt pertinere ad Apostolos et ad eos Apostolorum discipulos, qui ex Judaeis ad fidem Christi sunt conversi, et qui fuerunt principes comparandae hujus victoriae et duces, de qua agimus: fit, autem, mentio Benjamin tribus, et tribus Juda et Zabulon et Nephthali, quia ad has quator tribus pertinebant fere omnes Apostoli atque discipuli. Sequitur:

29.—Manda Deus virtuti tuae: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

Exposita atque praedicta Christi victoria de idolis atque infidelitate, quae comparata est per Evangelii praedicationem, et Ecclesiae pace et tranquillitate et publico imperio praedictis, jam progreditur David ad ea praedicenda, quae tandem eventura sunt mundi atque Ecclesiae extremo tempore; in primisque praedicit populi Judaici conversionem ad fidem, futuram in mundi fine, dicens: MANDA DEUS VIRTUTI TUAE, id est, mitte, aut certe mis-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

surus es (nam, ut diximus, ista verba imperativa saepe ponuntur pro futuris propheticis), itaque missurus es virtutem tuam, vel robur tuum, vel efficaciam Evangelii; quod in S. Scriptura appellatur virtus atque robur Dei, nam, illo mediante, vincet atque delebit Deus omnes inimicos suos. Sed quaeret aliquis, cujus gratia Deus dicatur missurus hoc suum robur; id explicant quae sequuntur, scilicet: CONFIRMA HOC DEUS QUOD OPERATUS ES IN NOBIS, quasi dicat: mittes, Domine, robur tuum, ut quod olim in nobis operatus es, cum elegisti nos in populum tuum et magnis donis affecisti, id tandem confirmes, id est, perducas ad felicem exitum, introducendo nos in Ecclesiam tuam, a qua hactenus per infidelitatem sumus exclusi. Nam, ut inquit divus Paulus, *ad Romanos*, XI: *Sine poenitentia sunt dona Dei*; quo significat Deum, qui elegit hunc populum, et postea eumdem propter infidelitatem abjecit, non ita abjecisse, ut mutaret primum suum consilium et electionem, sed fecisse ad tempus, tandem ipsum recepturum in gratiam suam. Hoc, igitur, praedicit David in hoc loco; in quo tandem est notandum, quod in hac re praedicenda non utitur David verbis propheticis, sed potius orantis et deprecantis. Et ratio est, quia cum tanta sit Judaici populi erga Christum ingratitudo et odium et obstinatio, idcirco quod Deus illum revocaturus est ad fidem, id totum ex insigni Dei clementia et amore erga illum populum erit, et non ex aliqua condignitate aut idoneitate, quae in ipso populo sit; quod ut significaret David, non tam vaticinando, quam deprecando, hanc rem explicavit. Nec etiam, ut Deum inducceret ad praestandam misericordiam isto populo, mentionem facit alicujus rei bonae, quae in ipso esset, quae certe nulla est; sed tantum admonuit Deum suae electionis et misericordiae, quam praestitit illi populo in principio, dicens: CONFIRMA HOC DEUS QUOD OPERATUS ES IN NOBIS, id est, memento fidei tuae, quam olim nobis praestitisti, cum nos elegisti in populum tuum, exhibe te constantem

in tuendo beneficio tuo, et quos semel a principio elegisti, eos, quamvis ingratos et aberrantes, ad extremum revoca in amicitiam et gratiam tuam. Convenienter, autem, dicit: CONFIRMA, sive ut in hebraeo habetur: ROBORA quod fecisti, id est, pactum, quod pepigisti cum nostro genere, firmum redde. Nam, certe, id pactum isto tempore ita videtur languere et infirmum esse, ut ejus Deus videatur oblitus; et certe oblitus non est, nec id pactum, quod olim pepigit Deus cum populo Israelitico, illo tempore omnino abolitum est: nam, quamvis nunc Judaei sint Deo ingrati et Christo inimici, tandem illius populi quamdam providentiam adhuc gerit peculiariter et pascit eos, si non tritico vel gratia, saltem hordeo, ut praedictum est apud Oseam, capite X. Nam, quod ille populus et nunc teneat fidem unius Dei et non dilapsus sit ad cultum idolorum aut alias impias religiones, et similiter quod sint adeo studiosi S. Scripturae, et quod in tantis miseriis et tam longa (1) captivitate, tamen nunquam a spe divinae misericordiae defecerint; et similiter, quod tot locis dispersi, tot malis afflicti per tot saecula, gens illorum non sit funditus extincta, id profecto declarat illum populum, nec nunc quidem esse penitus a Deo abjectum, sed foveri a Deo aliquo providentiae genere. Et ita pactum, quod cum illo a principio pepigit, non est penitus discissum, sed est redditum debile et infirmum; et tandem extremo tempore, cum is populus recipietur ad fidem et gratiam Christi, id pactum est roborandum et confirmandum, id est, reducendum ad pristinum suum decus atque firmitatem aut etiam majorem, id quod precatur David in hoc loco, et dum precatur, futurum praedicit; precatur, autem, propter causam expositam, quam magis explicant ea quae sequuntur. Nam sequitur in textu:

(1) Sequitur in codice lacuna unius fere paginae. Nihil tamen deesse videtur, ut notat ipse scriba his verbis: *Nihil deest.*

30. —A templo tuo in Jerusalem.

Nam est oratio defectiva, cui deest verbum; estque supplendum isto modo: A TEMPLO TUO IN JERUSALEM hoc bonum, haec restitutio antiqui pacti proficiscitur; vocat, autem, templum Dei, ipsum Christum, in quo *habitat omnis plenitudo Divinitatis*. Igitur, A TEMPLO TUO, id est, a Christo, a summa bonitate et clementia, quae in illo habitat, hoc bonum, haec restitutio, haec veteris pacti confirmatio derivabitur in Jerusalem, id est, in populum Judaeorum, non quidem illius populi meritis, sed infinita bonitate Dei, propter Christum. Vel, alio modo, templi nomine possumus intelligere ipsam Ecclesiam fidelium, ut alibi saepe significatur, et erit sensus: hoc beneficium et hoc lumen verae fidei atque doctrinae, quo Jerusalem, id est, Judaeorum populus illustrandus est extremo mundi tempore, ab Ecclesia Dei ad ipsos Judaeos deveniet et permanabit, contrario modo quo factum est in principio nascentis Ecclesiae: tunc, enim, a Judaeis fidelibus per praedicationem Evangelii lux doctrinae derivata est ad gentes, juxta illud Esaiae, capite II: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem;* at, vero, in mundi fine ab Ecclesia ad Judaeos perveniet fidei doctrina; et qui a principio doctores fuerunt tandem fiunt discipuli, id est, posteri eorum, qui Ecclesiam gentium docuerunt, a gentium Ecclesia docebuntur.

Quod, autem, sequitur in textu: TIBI OFFERENT REGES MUNERA, hoc varie accipi potest; nam si pronomen TIBI demonstret Deum, erit sensus: ob hoc beneficium in Judaeos conferendum, multi REGES, id est, multi magni in saeculo et multi spiritu mundi inflati, ob eam rem admiratione commoti, Evangelii perfectionem sequentur et adjungent se tibi. Nam (est) valde verosimile, quod illa conversio Judaeorum, quae futura est extremo mundi tempore, et illa spiritualium bonorum abundantia, quae eodem tempore futura est in Ecclesia, non continget sine magna rerum mutatione, sine illustribus miraculis; quae res multos homines, aversos a fide vel in fide torpentes, excitabunt ad veram pietatem atque fidem. Nam, sicut in primo Ecclesiae tempore Deus multis miraculis declaravit potentiam suam, sic simile est futurum in extremo tempore Ecclesiae, cum totus ille Judaeorum populus ad fidem adducendus est. Alio modo, illud pronomen TIBI potest demonstrare Jerusalem, cujus mentio proxime praecesserat; et tunc erit sensus: REGES, id est, Ecclesia fidelium, qui fideles vocantur reges a divo Petro in prima sua canonica, capite II; isti, ergo, REGES TIBI, Jerusalem, id est, populo Judaeorum OFFERENT MUNUS fidei atque doctrinae, quam ille populus accepturus est illo tempore, Ecclesia dicente atque tradente. Qui sensus mihi valde probatur, non solum quia habet sententiam valde cum superioribus congruentem, sed etiam quia ipsa verba hebraica valde suffragantur huic sententiae. Nam pro eo, quod est MUNUS, in hebraeo non est nomen *mingela*, quod proprie significat illud munus, quod ad obtestandam (1) subjectionem minores majoribus tradere solent, sed est nomen *say*, quod habet significationem utilitatis et commodi: et similiter, pro offerre in hebraeo non est verbum *jabal*, quod proprie significat *deducere* aut pro eundo deducere. Et sic, secundum proprietatem horum verborum, erit sensus: REGES, id est, fideles, TIBI, o Jerusalem, erunt auctores atque duces magni commodi atque utilitatis; quod ita eventurum est, nam illo tempore Ecclesia erit dux synagogae, et erit illi auctor magnae utilitatis consequendae, cum illam fide illustrabit et imbuet sacramentis. Sequitur:

(1) Codex: *detestandam*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

31.—Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos qui probati sunt argento.

Certe, est valde obscura hujus versiculi sententia; sed si sequamur ordinem institutae interpretationis, ipsemet ordo nos deducet in veram ejus rei intelligentiam. Nam constat, non solum ex vaticiniis Prophetarum, sed etiam ex litteris Novi Testamenti, quod quando in extremo mundi tempore Judaei convertentur ad fidem, sunt futuri multi reges potentissimi et multi populi, qui adversentur Christi fidem et Ecclesiam persequantur, conantes avertere a Christi fide ipsos fideles. Quae persecutio futura est maxima et gravissima omnium persecutionum, quas unquam Christi Ecclesia pertulit et passa est, quemadmodum Sancti tradunt; quam persecutionem Sacrae litterae, tam Novi quam Veteris Testamenti, declarant sub nomine Gog et Magog, atque tiam docent futurum ut Christus redigat ad nihilum illos suos hostes, sicut ad nihilum redegit persecutores primitivae Ecclesiae. Igitur, quoniam David in psalmo jam pervenit ad praedicenda illa tempora Ecclesiae, in quibus Judaei sunt convertendi ad fidem, idcirco consequenter adjecit ea, quae statim secutura sunt post illam conversionem, vel certe ea, quae simul cum illa conversione futura sunt, scilicet, persecutionem Ecclesiae et ejusdem Ecclesiae victoriam de suis persecutoribus per verbum Christi. Et ita inquit: INCREPA FERAS ARUNDINIS vel: increpando, perde feras arundinis; nam id proprie significat verbum hebraicum, quod hoc loco ponitur. Et, certe, ita futurum est, ut Deus illos perdat increpando, id est, solo suo verbo, hoc est, summa facilitate. Sed quae sunt istae ferae arundinis, aut quare sic vocantur Ecclesiae persecutores? Quidam in hoc loco vertunt, non quidem FERAS ARUNDINIS, sed GREGEM ARUNDINUM, et eo nomine intelligi volunt agmina militum hastatorum. Sed mihi rectius vide-

tur FERAS ARUNDINIS metaphorice significare ipsos reges atque principes, qui illo tempore Ecclesiam persecuturi sunt, id est, Antichristum et illius ministros; qui aptissime appellantur FERAE ARUNDINIS atque calami: FERAE, inquam, propter illorum saevitiam atque crudelitatem, ab omni ratione alienam; ARUNDINIS, propter sceptra, quae gerent, et propter virgas, quibus utuntur illorum ministri. Nam arundinem poni pro sceptro regio, testificatur illud factum militum, qui Christum Dominum, purpura indutum, tanquam regem et gestantem arundinem in manu irriserunt; unde etiam reges ab externis poetis appellantur sceptrigeri, ferentes sceptra. Sed dicet aliquis, qui conveniat sceptrum cum arundine et calamo, ut calami aut arundinis nomen metaphorice possit transferri ad significandum sceptrum? Ad quod respondetur, quod sceptrum, injuste usurpatum, quale est id de quo agimus, et jurisdictionem vertens in suum commodum et utilitatem, est fragilius calamo atque arundine est levius; et idcirco, nomine arundinis recte significatur. Sequitur:

CONGREGATIO TAURORUM IN VACCIS POPULORUM.—Hoc dicitur per appositionem, quasi dicat: INCREPA FERAS ARUNDINIS; quae ferae sunt CONGREGATIO TAURORUM IN VACCIS POPULORUM. Quibus verbis significat eosdem tyrannos per aliam metapheram: nam sicut in priori metaphora significat fragilitatem regni illorum et levitatem et inconstantiam in jure dicendo; sic, in hac secunda metaphora designat crudelitatem atque saevitiam in subditos suos, nam sicut tauri feri et indomiti in vaccarum gregem dominantur, sic illi dominabuntur in populos sibi subjectos. Quod, autem, additur: UT EXCLUDANT EOS QUI PROBATI SUNT ARGENTO (quod, quidem, rectissime positum est et a LXX interpretibus et a nostro latino interprete, quamvis hebraica, quae nunc habemus, nonnihil differre videantur), hoc, inquam, valde confirmat hanc interpretationem, quam sequimur, esse veram et legitimam intelligentiam hujus

psalmi; nam ista verba: UT EXCLUDANT EOS etc. apertissime significant ipsos Judaeos, ad fidem conversos, qui probati sunt et dicuntur *tanquam argentum*, per ea mala, per eas miserias, quas pertulerunt per tot annos, et quas perferent usque eo quoad convertantur ad fidem Christi in extremo mundi tempore; quos, inquam, Judaeos, probatos sicut argentum, illi tauri et illae ferae conabuntur excludere a fide Christi et a gratia Dei, in quam illos restitutos videbunt. Inquit ergo: INCREPA hostes, scilicet, illos reges atque tyrannos sceptrigeros, qui populum tuum, in gratiam tuam restitutum post tam longum dissidium, conabuntur depellere a tua gratia; INCREPA, ergo, istos, id est, redige ad nihilum. Vel, certe, possumus aliter dicere: quoniam, enim, ultimo mundi tempore futurum est, ut Judaei, priusquam ad Christum convertantur, seducantur ab Antichristo, et ipsum pro Messia recipiant, sicut Christus ipse dixit futurum apud *Joannem*, capite v, dicens: *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me: alius veniet in nomine suo, et eum recipietis*; id, igitur, David praevidens futurum et affectus dolore quodam ex misero errore suae gentis, quam praevidebat in ipsa spe et articulo recuperandae salutis perventuram in maximum periculum salutis perpetuo amittendae, propter fraudem et deceptionem Antichristi; idcirco, convertens orationem suam ad Deum, orat illum, ut non permittat illum errorem diutius haerere in sua gente, sed ut statim summa celeritate disperdat et ad nihilum redigat auctores atque duces illius erroris, id est, Antichristum, ne sint impedimento populo suo, quominus cito convertatur ad veram fidem. Et ita, inquit: INCREPA, id est, perde illos, qui gentem meam, jam aspirantem ad salutem et ad fidem tuam, per fraudem aversuri sunt a vera Christi fide et in falsam persuasionem inducturi. Sequitur in textu:

DISSIPA GENTES, QUAE BELLA VOLUNT.—Haec verba continent eamdem sententiam, quam superiora, nisi quod

ibi loquebatur David metaphorice; hic, vero, loquitur aperte et proprie. Nam quod supra dixerat: INCREPA FERAS ARUNDINIS, idem est, quod: DISSIPA GENTES QUAE BELLA VOLUNT, id est, DISSIPA illos, qui Ecclesiam tuam persecuturi sunt et bellum spirituale illaturi Judaeis, a te conversis, vel certe statim convertendis. Non autem ratione caret, quod istos Ecclesiae hostes David dicit esse studiosos et cupidos belli gerendi, dicens: DISSIPA GENTES, QUAE BELLA VOLUNT, nam sine dubio nihil est, quod magis excruciet hostes, sive communes Ecclesiae sive particulares cujuscumque boni atque pii viri, nec est aliquid, quod majore odio inflammet impios erga pios, quam cum vident bonos et pios viros ipsorum impugnatione non turbari animo nec dimoveri ab statu animi quieto atque tranquillo. Itaque, hujusmodi hostes bonorum bella cupiunt, non solum quia inferunt, quia oppugnant, quia persequuntur bonos, sed etiam quia odio habent pacem et tranquillitatem animi bonorum atque justorum, quam non possunt violare nec minuere omnibus suis machinis atque consiliis; nam bonorum et in Deo sperantium in mediis malis est propria vox illa Davidis in psalmo XXVI: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo*, et similiter illa psalmi XLV: *Deus noster refugium et virtus: adjutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra: transferentur montes in cor maris*. Sequitur in textu:

32.—Venient legati ex Ægypto: Æthiopia praeveniet manus ejus Deo.

Id est, cum igitur GENTES QUAE BELLA VOLUNT dissipaveris, et cum illos duces nequitiae atque erroris, qui in Ecclesiam tuam invasuri sunt, penitus contriveris, tunc non solum Judaicus populus ad te convertetur; sed etiam aliae plurimae nationes, quae cum a principio Ecclesiae

fidem tuam recepissent, ab ea postea recedentes, iterum ad te reverterentur. Et quoniam, quando illud contingat, tempus adventus Christi et mundi consummationis erit in proximum, quo in tempore D. Joannes in Apocalypsi hortatur omnes gentes, ut deserta impietate, se ad Deum convertant; sic David, in hoc loco illud tempus animo concipiens, omnes gentes invitat atque hortatur ad verum Dei cultum, dicens (quod) sequitur in textu:

33.—Regna terrae cantate Deo: et psallite Domino: psallite Deo.—34.—Qui ascendit super coelum coeli ad orientem.

QUI ASCENDIT, id est, qui inequitat, ut constat ex verbo hebraico cujus loco ponitur; agit, enim, jam David de ipso Christi adventu ad judicandum. Nam ille adventus futurus creditur proxime post conversionem populi Judaici et aliarum gentium ad fidem, in extremo mundi tempore. Itaque, post vaticinium de conversione Judaeorum, recte et consequenter vaticinatur de adventu Christi ad judicium. CANTATE, inquit, DEO, PSALLITE DOMINO, ASCENDENTI SUPER COELUM COELI etc.; quasi dicat: CANTATE DEO, inequitanti super coelos coelorum; AD ORIENTEM, id est, ab ea parte coeli, qua sol oritur. Nam ab illa parte coeli Christus creditur venturus ad judicium; et propter istam causam, ex traditione Apostolorum et Ecclesiae, oramus versus orientem, ut docet divus Clemens in *Traditionibus apostolicis*. Itaque, inquit: Canite Deo, venienti ad judicandum supra coelos coelorum, sive in nubibus coeli, sicut scripsit Daniel, capite VII; nam quos David vocat in hoc loco coelos coelorum, eos Daniel appellat nubes coeli. Et uterque his nominibus metaphorice significat supremos Angelos, in quibus veluti insidens Christus, illo die appariturus creditur cum immensa majestate et claritate; qui Angeli idcirco dicuntur coelorum coeli, quia in illo mundo intelligibili obtinent eumdem locum muneris atque officii,

quem in hoc visibili mundo obtinent orbes aetherei; et quia per illos et ipsorum prompta ministeria Deus infundit plurima bona hominibus, idcirco apte appellantur etiam nubes coeli. Quod, autem, sequitur in textu:

ECCE DABIT VOCI SUAE VOCEM VIRTUTIS.

35.—Date gloriam Deo.

Hoc, inquam, ita aperte significat Davidem agere hoc loco de adventu Christi ad judicandum, ut nullus fere locus relinquatur dubitationi. Nam veteres Patres, fere omnes, hoc interpretantur de voce, qua mortui sunt revocandi ad vitam ipsomet die et tempore, quo Christus judicium exercebit; nam, ut inquit Paulus (in priori *ad Thessalonicenses*, capite IV), mortuos ad vitam revocandos esse in voce Archangeli et in sono tubae; sic David, illustratus eodem spiritu, id praedicit futurum in VOCE VIRTUTIS. Vocat, autem, illam VOCEM VIRTUTIS aut fortitudinis justa de causa: quia nihil potest excogitari, nec potentius, nec efficacius ea voce; qua fiet, ut homines mortui et in cineres conversi, momento temporis resurgant vivi, non amplius morituri. Quocirca, David, dicturus rem tam admirabilem, merito usus est illa particula: ECCE, ut auditorem redderet magis attentum ad praedictionem rei tam stupendae. Dicit, autem, Christum daturum voci suae VOCEM fortitudinis, ut intelligamus id, quod adnotaverunt veteres Patres: Christum non semper usum fuisse voce fortitudinis, sed contra potius, qui saepe in priori adventu usus fuerat voce infirma atque humili, ipsum, inquam, daturum illo tempore voci suae robur et fortitudinem admirabilem. Nam de primo adventu Christi Esaias praedixit, capite XLII: *Non clamabit, et vox ejus in plateis non exaudietur*, et cap. LIII: *Sicut ovis coram tondente obmutescet;* ille, igitur, cujus vox olim tam submissa et humilis fuit, tunc utetur voce potentissima, tum excitando mortuos,

tum etiam sententiam proferendo adversus impios. Vocat, autem, David istam vocem vocem Christi, vel quia ab ipsomet proferenda est, ut videtur dici apud *Joannem*, capite v: *Venit hora, in qua qui in monumento sunt audient vocem Filii Dei;* vel, certe, quia ex Christi persona atque ipso jubente, ab Angelo proferenda est, ut videtur significare divus Paulus loco citato superius. Caeterum, mortuis ad vitam revocatis et judicio consummato, quid aliud restat, nisi ut Sancti obtineant regnum aeternum in vita beatissima, Deo illis largiente immensa et plurima bona? Igitur, ad hanc rem significandam et declarandam pertinent ea, quae sequuntur in psalmo usque ad finem, scilicet:

SUPER ISRAEL MAGNIFICENTIA EJUS, ET VIRTUS EJUS IN NUBIBUS.

36. — Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae, benedictus Deus.

Id est, postquam dabit Christus virtutem voci suae, mortuos excitando et impios condemnando, tunc SUPER ISRAEL, id est, super electos MAGNIFICENTIA EJUS APPAREBIT; ET SUPER NUBES, id est, super Sanctos, qui nubes saepe in S. Scriptura vocantur, manifestabitur VIRTUS EJUS, et erit MIRABILIS DEUS IN SANCTIS SUIS. Et, sine dubio, vere MIRABILIS erit Deus illo die, quia tunc revelabitur gloria filiorum Dei, et Deus erit *omnia in omnibus*, et afficiet sanctos bonis, quae *nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascenderunt*, quorum participes nos faciat Deus. Amen.

IN ECCLESIASTEM

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum etiam sententiam proferendo adversus impios. Vocat, autem, David istam vocem vocem Christi, vel quia ab ipsomet proferenda est, ut videtur dici apud *Joannem*, capite v: *Venit hora, in qua qui in monumento sunt audient vocem Filii Dei;* vel, certe, quia ex Christi persona atque ipso jubente, ab Angelo proferenda est, ut videtur significare divus Paulus loco citato superius. Caeterum, mortuis ad vitam revocatis et judicio consummato, quid aliud restat, nisi ut Sancti obtineant regnum aeternum in vita beatissima, Deo illis largiente immensa et plurima bona? Igitur, ad hanc rem significandam et declarandam pertinent ea, quae sequuntur in psalmo usque ad finem, scilicet:

SUPER ISRAEL MAGNIFICENTIA EJUS, ET VIRTUS EJUS IN NUBIBUS.

36. — Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae, benedictus Deus.

Id est, postquam dabit Christus virtutem voci suae, mortuos excitando et impios condemnando, tunc SUPER ISRAEL, id est, super electos MAGNIFICENTIA EJUS APPAREBIT; ET SUPER NUBES, id est, super Sanctos, qui nubes saepe in S. Scriptura vocantur, manifestabitur VIRTUS EJUS, et erit MIRABILIS DEUS IN SANCTIS SUIS. Et, sine dubio, vere MIRABILIS erit Deus illo die, quia tunc revelabitur gloria filiorum Dei, et Deus erit *omnia in omnibus*, et afficiet sanctos bonis, quae *nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascenderunt*, quorum participes nos faciat Deus. Amen.

IN ECCLESIASTEM

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IN ECCLESIASTEM

PROOEMIUM

Quamvis exemplaria omnia, quae nobis consulere licuit, imperfectum contineant Commentarium Luysii Legionensis in Ecclesiastem, fortasse illud inter expositiones numerari debeat, quas, morte praereptus, ad proxime edendum Magister doctissimus paratas reliquit. Cum, enim, ita inter se varient exemplaria illa, ut doctrinam tantum communem retinere videantur, caeterum quoad dicendi modum passim dissentientia, aequam conjecturam eum facere judicamus, qui opinetur exemplarium alia primaevam Luysii expositionem, alia vero eam ipsam, expolitam tamen ac multiplicibus correctionibus in melius commutatam, continere. Idque probabilius certe censebitur, si agendi ratio expendatur, quam Luysius insequutus dicitur in propriis operibus edendis: cultae namque dictionis studiosus, lectorum profectui inserviendi maxime cupidus, suipsius ac suarum rerum tum humilis aestimator, tum etiam strictus judex, vix adduci poterat ad scripta aliqua edenda, quin prius ea relegeret ac pro ejus more iterum ac saepius castigaret.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hinc, nostro quidem judicio, prodit tum varia exemplarium lectio, tum dispar eorumdem valor. Nam licet omnia genuinam Luysii doctrinam continere videantur, et ejus sententiam non tam corruptam quam ab ipso varie expositam sine dubio contineant, certum tamen est non omnia eamdem habere aestimationis vim, sed alia antiquitate, correctione alia et dictionis forma, praecipue eminere. Antiquitate caeteris abs dubio praestat exemplar contentum tomo supra descripto sub littera A, cum iis characteribus notetur exemplar istud, quibus ab studentibus ex Luysii auditione transcriptae lecturae insigniri solent: eadem, scilicet, scripturae forma, eodem orationis stylo, iisdem denique notis ac animadversionibus, quas scribae in suis exemplaribus interserere, ut sui veluti memoriam relinquerent, studebant. Igitur, nulli dubium esse debet commentarium Luysii in hoc Ms. ea forma contineri, qua Luysius primo id scripsit suisque auditoribus tradidit.

Cum quo exemplari plerumque convenit exemplar aliud, quod invenitur tomo G, Matritii in Bibliotheca Nationali asservato sub signo B.-153; nam lectio varia, quae hinc inde reperitur, nec frequens est, nec ejus momenti, ut scribarum negligentiae tribui nequeat. At exemplar istud certe illo est posterius, transcriptum scilicet circa annum 1637, ut ex ipso titulo constat, opera P. Ajofrin, qui in communem sui conventus utilitatem id exemplar confecisse testatur. Expositio, ergo, in eo contenta, quoad dicendi in genere modum, non differre a primaevo commentario arbitramur, quod Luysius in studentium usum redegit, sed illud potius continere paucis ac parvi momenti immutatum differentiis.

Tertium, vero, exemplar continetur tomo D, superius etiam descripto. Prima hujus exemplaris origo et antiquitas nobis dubia videntur, qui ex litterarum tantum charactere, argumento non satis firmo, hanc rem plane definire minime audemus; id tamen asseri posse videtur, posterius esse

exemplari *A*, primo loco a nobis descripto, alterum, vero, antiquitate forsitan antecellere. Quod si utrisque posterius fuerit, abs dubio illa stili correctione orationisque amplitudine longe superat, et ab illis differt uti edita Luysii opera a primaevo eorum conceptu differre solent. Caeterum, sententiarum ac doctrinae cum aliis exemplaribus communitatem pro argumento authenticitatis secum satis fert. Et, certe, servata semper conceptuum conformitate, ea est istius exemplaris a caeteris discrepantia, qualem non nisi auctor inducere auderet aut etiam posset. Cum, praeterea, ejus oratio Luysii stilum manifeste redoleat ac Magistro Legionensi ab scriba expositio tribuatur, dubitandi ratio probata nulla est, qua expositionem in eo contentam uti spuriam rejiciamus.

Praeter numerata hucusque exemplaria, sunt et alia confecta cura PP. Augustinianorum Matritensium, qui id commentarium accurate proferendi studiosi, duplicem ejusdem transcriptionem peregerunt, aliam alia correctiorem, hujusque commentarii hispanam quamdam versionem, quae Luysio ipsi tribuitur, describere insuper curarunt. In expositionem latinam transcribendo, exemplar tomi *D*, uti correctius, sunt quidem sequuti, exceptis aliquot versibus capitis IX, a secundo ad duodecimum scilicet, quos, deficiente isto exemplari, ex illo alio contento in codice *A*, ut ipsi animadvertunt, desumpsere. Quod, vero, ad hispanam hujus commentarii versionem attinet, eam ex quodam Ms. Gades in Bibliotheca nostri conventus tunc temporis asservato transtulisse testatur P. Mendez, cujus Ms. notitia non amplius exstat; ex qua praefatorum Patrum transcriptione aliam et nos fieri curavimus, ad cujus exemplar sub titulo: *Perfectus concionator (El perfecto Predicador)* hispana illa versio in ephemeride, vulgo: *Revista Agustiniana*, nunc: *La Ciudad de Dios*, edita est et brevi postea opusculo collecta.

Dolendum est tamen in nullo istorum exemplarium ex-

positionem Luysii in Ecclesiastem integre contineri. Fortasse neque ipsi auctori eam ad finem perducere licuit; nam cum ejus lectionem, cursu labente, interrumpere debuerit, verosimile est eamdem Luysium imperfectam reliquisse nec aliam commentarium instaurandi occasionem ei datam postea fuisse, nisi cum illud relegit idque juris publici facere constituit, qua tamen occasione incertum est an illud compleverit, vel ejus tantum partem studentibus lectam castigaverit. Caeterum, quos codices ad nostram editionem perficiendam congessimus, etsi alii aliis ampliores, hoc Luysii Commentarium, uti diximus, imperfectum omnes continent. In Ms. *D* ad versum II capitis IX expositio tantum pertingit, frequentioribus insuper in hujus IX capitis versibus quam in caeteris interrupta lacunis stiloque incorrectiori redacta. Codex *A* aliquanto amplius id commentarium comprehendit, protractum scilicet ad versum XII capitis IX, quo loco scriba, rei sane testis, Luysium illud reliquisse ac pro Luysio P. Didacum a Tapia, Augustinianum, idem prosequutum fuisse asseverat. In codice denique Bibliothecae Nationalis expositio capita IX et X etiam integra complectitur, nulla circa lecturae interruptionem animadversione facta; at vero, cum in iis ipsis locis a textu codicis *A* raro aut vix differat, quod illa capita amplius continent, a versu scilicet XII capitis IX, non Luysio, sed P. Tapia, qui Luysii vices egit, adscribi nostro quidem judicio debebat.

Ex his, igitur, patebit quae nostra in ista expositione edenda agendi fuerit ratio. Lecto, enim, pro exemplari codice *D*, qui caeteris correctior nobis videbatur, totam fere expositionem ex eo desumpsimus, ad versum nimirum II capitis IX, quo versu codici finis imponitur: caetera, vero, a versu II ad XII usque ejusdem capitis ex codice *A* transcripsimus, qui hos versus a Mag. Legionensi expositos aliosque a P. Tapia enucleatos amplius continet. At fragmentum lecturae, pro Luysio a P. Tapia habitae, in appendicem hujus tomi rejecimus, utpote a Luysii scriptis alienum. Denique, tam textus graecos quam hebraicos suppleri fecimus, ubi eos auctor citare intendebat, quibus versionem latinam addere noluimus, ut PP. Matritenses faciunt, ne Commentarium alia ratione ederetur, qua Luysius illud scripsit et excudere meditabatur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IN ECCLESIASTEM [1]

OPERIS ARGUMENTUM

I.—Verba Ecclesiastae filii David, regis Jerusalem.

Haec ἐπιγραφή et scriptionis genus exponit, et qui fuerit hujus libri auctor declarat. Genus sunt, conciones, populis erudiendis aptae; idque significant illa: VERBA ECCLESIASTAE, id est, concionatoris. Nam Ἐκκλησιαστής graece, concionator est latine; id, autem, hebraice dicitur: קֹהֶלֶת *(coheleth)*, nomen a congregando deductum, propterea quod *coheleth* concionem doceat, id est, hominum multitudinem in unum congregatam. Sed auctorem haec declarant: FILII DAVID, REGIS JERUSALEM; nam ex eo intelligimus, hunc librum a Salomone esse conscriptum. Quod si quis roget, quare circuitione celarit suum nomen in hoc libro,

(1) In codice *D: Fr. Luysii Legionensis, Augustiniani, Theologiae Doctoris et Divinorum librorum primi apud Salmanticenses interpretis in Ecclesiastem Salomonis Explanatio.* Codex *A: Incipit liber Ecclesiastes, explicandus a sapientissimo magistro Leone. 1580.* Codex Bibliothecae Nationalis: *Expositio in Ecclesiastem a doctissimo magro. fratre Ludovico de Leon, Aug.no monacho, Sacrarum litterar. interprete in inclita salmanticensi Academia. 1579.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IN ECCLESIASTEM [1]

OPERIS ARGUMENTUM

I.—Verba Ecclesiastae filii David, regis Jerusalem.

Haec ἐπιγραφή et scriptionis genus exponit, et qui fuerit hujus libri auctor declarat. Genus sunt, conciones, populis erudiendis aptae; idque significant illa: VERBA ECCLESIASTAE, id est, concionatoris. Nam Ἐκκλησιαστής graece, concionator est latine; id, autem, hebraice dicitur: קֹהֶלֶת *(coheleth)*, nomen a congregando deductum, propterea quod *coheleth* concionem doceat, id est, hominum multitudinem in unum congregatam. Sed auctorem haec declarant: FILII DAVID, REGIS JERUSALEM; nam ex eo intelligimus, hunc librum a Salomone esse conscriptum. Quod si quis roget, quare circuitione celarit suum nomen in hoc libro,

(1) In codice *D: Fr. Luysii Legionensis, Augustiniani, Theologiae Doctoris et Divinorum librorum primi apud Salmanticenses interpretis in Ecclesiastem Salomonis Explanatio.* Codex *A: Incipit liber Ecclesiastes, explicandus a sapientissimo magistro Leone. 1580.* Codex Bibliothecae Nationalis: *Expositio in Ecclesiastem a doctissimo magro. fratre Ludovico de Leon, Aug.no monacho, Sacrarum litterar. interprete in inclita salmanticensi Academia. 1579.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qui in aliis libris a se conscriptis id apponat aperte, ad id Hieronymus hoc loco respondet, in aliis libris ipsum agere cum uno certo genere: in *Proverbiis*, cum parvulis; in *Cantico*, cum perfectis; hic, autem, cum universis, et ideo concionatorem, id est, multitudinis doctorem se nominare; et, certe, hujus libri doctrina ad omnes homines pertinet. Sunt qui dicant, Salomonem, ea poenitentem quae postrema sua aetate, mulierum suasu, prave fecit, scripsisse hunc librum, recti sui sensus et conversi ad Deum animi testem futurum (1). Quod si ita est, ideo fortasse noluit suum nomen adscribere; maluit apponere officii nomen, quod sibi animi dolor imposuit. Nam dolore intimo affectus, universos docere statuit, quam essent hominum studia vana, uno excepto studio religionis, ne quis forte ipsius erraret exemplo. Quare se hic non Salomonem nominat, sed *coheleth*, id est, concionatorem et quasi dicas praeconem et sui erroris praeteriti et animi in melius mutati, vel certe nominat se collectorem, id est, et omnium eorum, quae in vita dulcia habentur, congregatorem et eorumdem postea, re cognita, contemptorem.

VERBA ECCLESIASTAE, id est, congregatoris. Quasi dicas: sententia, quam de rebus appetendis fugiendisve et tulit et litteris consignavit is qui omnia, quae habentur studio digna, congregavit sibique paravit, et diligentissime conquisita, utrum bona an secus essent, re ipsa expertus est. His constat, quale sit hujus libri doctrinae genus, et qui ejus auctor, et quare Ecclesiastes nominatus. E quibus, etiam argumenti summa colligitur. Nam versatur in demonstrando id, in quo situm est summum hominis bonum; et docet, situm esse in timore et cultu Dei. Itaque, tandem scribit (cap. ult.): FINEM DICENDI OMNES PARITER AUDIAMUS: DEUM TIME, ET MANDATA EJUS CUSTODI: ET HOC EST OMNIS HOMO. Quem ad finem tota hujus libri disputatio dirigitur, quae continetur conclusione unica, eaque tali: omnia, quibus homines student, praeter timorem et cultum Dei, sunt inania; ergo in uno cultu Dei est situm hominis summum bonum. Generalem propositionem ponit initio primi capitis, et inductione confirmat; quam inductionem late exsequitur per totum librum: quod, autem, ex propositione sic confirmata sequitur, id conjecit in caput ultimum, atque eo totam disputationem absolvit. Cujus jam ad exordia interpretanda accedamus.

(1) Ad marginem legitur: «Bellarminus (lib. I *De Verbo Dei*, capite V) censet ante peccatum scriptum esse hunc librum....»

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT I

2. — Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, et omnia vanitas.

Generalis sententia, quam initio proponit, et postea longa inductione confirmat; e qua confirmata, concludit summum hominis bonum in nullo hujus vitae bono esse situm; ex quo effici in una pietate et cultu Dei esse constituendum. VANITAS VANITATUM. — Duo nobis explicanda sunt: unum, quae sint ista, quae dicuntur vana; alterum, quare vana dicantur. Et quod ad primum attinet, etsi nihil excepisse videatur qui omnia vanitatis condemnat, tamen excepisse aliquid intelligendus est, nec aliud comprehendi praeter id, quod orationis institutae postulabat argumentum; itaque, de iis tantum loquutum fuisse bonis, quae videntur et tempore intereunt, quorum tamen studio homines duci solent, quod his beatam effici vitam putent: de divitiis, de copiis, de honoribus, de voluptatibus, de gloria populari et similibus. Nam ita debere intelligi, primum liquet e Chaldaica Paraphrasi, cujus est magna auctoritas apud omnes, quaeque hunc locum sic vertit: VANITAS VANITATUM HIC MUNDUS; mundi autem nomine, singularia et interitura significat. Deinde, constat ex eo quod diximus, esse propositum Salomoni, docere verum hominis bonum in pietate erga Deum esse situm. Nam ad id demonstrandum, non habuit necesse assumere vana esse omnia; sed ea sola, quae isti studio ac pietati obstant, quaeque saepe homines abducunt a cultu Dei, quod in eis, errore caeci, summum bonum constituant. Quare ex argumenti sumpti ratione haec, quamvis generalis, sententia intra certum

genus concludi debet ac restrictius intelligi; quod et in aliis fit locis, ut universe dicta, pro ratione rei de qua agitur, latius restrictiusve interpretemur, quorum nonnulla, exempli causa, nunc afferam. Apud Matthaeum (XXIV) Christus, post praedictionem eorum quae antecessura erant mundi finem et Hierosolymorum excidium, sic intulit: *Amen dico vobis, non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant.* Id, autem, si de omnibus, quae praecessura predixerat, dictum intelligatur, falsum erit; ea, enim, non solum illa generatione, id est, illa hominum aetate facta non sunt, sed nec nunc quidem, tot ab illa elapsis aetatibus, sunt plane perfecta. Quare illud *omnia* ad ea referri solum debet, quae ante excidium Hierosolymorum futura praedixerat; quae, certe, universa completa sunt illa hominum, cum quibus Christus loquebatur, aetate, nam quadragesimo a Christi morte anno, aut paulo post quadragesimum, excisae sunt Hierosolymae. Nam hoc ita intelligendum esse, cum ex ipsa re, tum ex instituti sermonis ratione perspicitur. Nam rogarunt Christum discipuli, quando Hierosolymae diripiendae erant, et quod signum futuri adventus ejus et mundi consummationis. Quibus respondens Christus, primo utriusque rei signa antecessura commiscet; deinde distinguit tempora utriusque eventus. Nam de urbis excidio: *Non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant*, haec, scilicet, omnia quae ad excidium praecessura praedixi; de mundi, autem, fine et suo ultimo adventu: *De die, autem, illa et hora nemo scit, neque Angeli coelorum, sed solus Pater.* Similiter et in hoc libro, in capite ejus decimo ita scribitur: *Omnia obediunt pecuniae;* quod si pro eo ac verba sonant, generaliter et universe, sineque ulla exceptione capiatur, absurdum erit et cum divinis Libris pugnans. Nam in *Proverbiis* (X): *Nihil proderunt thesauri impietatis;* et rursus *(Proverb.* XI): *Non proderunt divitiae in die ultionis;* et in *Actis Apostolicis* (VIII): *Pecunia tua tecum sit in perditionem, qui existimasti donum Dei pecunia possideri.* Qua-

re restringi debet ejus orationis sententia; et quomodo restringi debeat, ex re subjecta intelligitur. Nam agebatur de principibus luxui deditis, de quibus: *Vae tibi terra, cujus rex puer est, et cujus Principes mane comedunt*, id est, luxui ac ventri serviunt; nam mane fieri id dicitur in his Litteris, quod fit studiose. Quare quod statim subjungitur, *pecuniae obedire omnia*, id, non apud omnes, sed apud eos solum, de quibus sermo erat, valere intelligitur; nam apud illos semper pecunia dominatur. Qui, enim, principes judicesve deliciis ac luxui indulgent, ii, quo luxuriae sumptibus copiae suppetant, avaritiae student; itaque omnia venalia habent, etiam jurisdictionem ipsam. Nam ex luxuriae studio, pecuniae studium nascitur; itaque, ista duo vitia conjuncta sunt, avaritia et luxuries; et qui profusus est sui, is ut appetens alieni sit, necesse est. Quod mire demonstravit Esaias vates in sexto (1), qua dicit: *Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem;* et statim: *Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.*

Igitur, ut eo redeamus unde digressi sumus, quando constat, quae sint a Salomone nominata VANA, restat, ut quare ea nominaverit VANA, dicamus. Nam, sicut Hieronymus argumentatur hoc loco, cum scriptum sit in libri *Genesis* capite primo vidisse Deum cuncta quae fecerat, et ea valde bona esse judicavisse, sine causa videntur dici VANA, nec VANA modo, sed et ipsa VANITAS et VANITATUM VANITAS, id est, plane vanissima. Ad quod, etsi idem respondeat per se bona esse, sed relata ad Deum vana dici; tamen, quo id melius intelligatur, advertamus oportet, quod nobis vanitas, hebraeis esse הֶבֶל; *hebel*, autem, proprie significare illis quod cito evanescit, ac vix subsistit, ut est flatus, qui ore exit, aut anima ea, quae ore ducitur; ex quo et infantium anima, quae est omnium tenuissima et infirmissima, *hebel* appellatur hebraeis, et Adam ipse *Hebel* nominavit secundo loco genitum filium suum, quod praevideret cito extinguendum ipsum, nulla ex se relicta sobole. Ea, porro, quae sunt hujusmodi, id est, quae evanescunt cito, primum corruptioni valde obnoxia esse (1), deinde nullum ex se *fructum relinquere;* quare Jeremias (XVI) vanum et inutile recte conjungere: *Vere possederunt patres nostri mendacium, vanitatem, quae non profuit eis*, et similiter, ad Titum (III) scribens Paulus, sic dicere: *Sunt inutiles et vanae.* Quia vana quae sunt, evanescunt cito; ideo vanum in his Litteris saepe pro corruptione poni ut in psalmo (CXLIII): *Homo vanitati similis factus est*; et se ipse interpretans: *Dies ejus sicut umbra praetereunt*; et Paulus, *ad Romanos* (VIII): *Vanitati enim creatura subjecta est*, id est, corruptioni. Quia, vero, sunt inutilia et infructuosa, ideo vanitas in his Litteris dici idolorum cultum, et omnino quidquid daemones excogitarunt aut machinati sunt adversus consilium Dei; quod id omne, etsi magnam speciem utilitatis habeat, prorsus sit inutile: in *Deuteronomio* (XXXII): *Ipsi me provocaverunt in vanitatibus suis*, id est, in idolis; Jeremias (XIV): *Numquid sunt in vanitatibus gentium, qui pluant?* Ex qua etiam causa, id nomen extendi ad ea consilia significanda, quae homines interdum ineunt ad eorum, quae Deus statuit facere, exitum impediendum. Quae cum ita sint, dico utraque de causa dici vana ista interitura bona, de quibus disserit Salomon: et quia corruptioni sint obnoxia, et quia ad hominem relata sunt inutilia; non enim, etsi homini eorum suppetat copia, bonum efficiunt ipsum, eo bono quod est hominis bonum proprium. Sed ut sint vana, tamen cur, quaeso,

(1) Sic in codice *D*, pro: v, *22*.

(1) Id ita legi debere recte arbitrantur PP. Matritenses: «Supplenda sunt hoc loco, et saepe in sequentibus, verba illa: *Advertamus oportet*, superius posita; ab his, enim reguntur omnes infinitivi modi, usque ad illud: *Quae, cum ita sint*, etc.»

vanissima? Quia ab eo, quod sunt, se longe alia esse mentiuntur. Etenim si, quod sunt (1), caduca se et inania esse prae se ferrent, vana illa et inutilia tantum essent; at quia veri boni et ampli, a quo longissime absunt, praetendunt speciem, sunt utrumque, certe et inutilia et mendacia, hoc est, plane vanissima: nihil, enim, vanius sit eo, quod cum in se nihil solidi boni habeat, tamen se venditat pro vero atque solido bono, et ea re deceptos, homines in exitium praecipitat. Addit: ET OMNIA VANITAS, id est: ET OMNIS VANITAS; quo magis eorum bonorum inanitatem amplificat. Non, enim, solum vana sunt, aut etiam vanissima, sed ex vanitate conflata omnia, et quidquid vani in rerum natura est in se continentia; nam quod omnes numeros vanitatis in se habet, et cumulate vanum est, id in sacris Litteris הֶבֶל הֲבָלִים id est, omnis vanitas, aut vanitas universa appellatur, ut latinus interpres vertit in salmo tricesimo octavo. Sequitur:

3.—Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?

Pro AMPLIUS latino hebraice est יִתְרוֹן a יָתַר quod est superesse atque excellere, ex quo יִתְרוֹן, quod ex alio relictum utilitate praestat, et excellit. Itaque, verti posset: QUAE INSIGNIS UTILITAS RELIQUA EST HOMINI EX UNIVERSO LABORE SUO? Sed et recte AMPLIUS noster. Nam de labore amplius habere, colligere fructum est de exhausto labore, id est, finito labore aliquid in te, quod insigniter utile tibi sit, et quo praecipue juveris, superesse et relinqui. Itaque, Hieronymus in sua germana interpretatione convertit: QUID SUPEREST HOMINI DE UNIVERSO LABORE? scilicet, ipsum quod juvet eique utile sit. Unde amplius habere, aliquid superesse, insignem utilitatem percipere in his Litteris

(1) Codex *D*: *est*.

eamdem videntur habere vim; quod vel ex illo Pauli colligitur (*Rom.*, III): *Quid, ergo, amplius est Judaeo?* nam, se statim ipse interpretans, subjicit: *Aut quae utilitas circumcisionis?* Nam, certe, illud dicitur utile, quod, ubi praeterit, aliquem fructum ex se reliquit, tamquam superstitem sui; illa, porro, inutilia sunt, ex quibus praeteritis nihil quod conferat, superest. Igitur, orditur ex hoc loco confirmationem Salomon, et quod posuerat, omnia ista terrena et visibilia bona inanitatis plena esse, id fulcit argumentis. Ac primo, quia, uti diximus, quod est inutile, id vocatur inane, docet inutilia esse bona ista, quod magno labore quaesita, nullum operae dignum pretium faciant, hoc est, nullum aestimatione dignum fructum relinquant ils, qui se paraverunt. QUID HABET, inquit, HOMO AMPLIUS DE OMNI LABORE SUO, QUEM LABORAT SUB SOLE? id est, homini, istis laboribus defuncto, quid superest, quod pretio dignum sit? In quo, juxta animadvertenda est Salomonis in loquendo cautio atque prudentia. Non, enim, posuit ista terrena bona esse injocunda, aut in praesentia insuavia, sed infructuosa esse dixit et inutilia, hoc est, nullos ex se fructus studiosis sui relinquentia. Nam hoc distant vera bona a fallacibus bonis, quod fallacia praesentia delectant, praeterita dolore maceraut, ex quo ita Paulus (*Rom.*, VI) a quibusdam quaerebat: *Quem fructum habuistis in iis, in quibus nunc erubescitis?* at vera, initio laboriosa, tandem sunt valde fructifera: *Bonorum* enim *operum*, ut Sapiens scribit (*Sapient.* III), *gloriosus est fructus*; et (II *Corinth.*, IV): *Momentaneum hoc et leve tribulationis nostrae, aeternum gloriae pondus operatur in nobis*, nam: *Omnis disciplina*, ut idem testatur Paulus (*Ad Hebr.*, XII), *in praesenti videtur non esse gaudii, sed moeroris; postea, vero, pacatissimam fructum exercitatis per eam reddit justitiae*. Itaque, ista terrena et interitura bona (nam de horum studio tantum loquutum esse declarat Salomon in eo, quod sub sole labores susceptos, id est, susceptos in stu-

diis hujus vitae, quae sub sole agitur, inanitatis condemnat); itaque, ista fallacia bona vana sunt, quia sunt inutilia; sunt, autem, inutilia, quia elabuntur cito, et elapsa, praeter poenitentiam, nullum fructum ex se reliquunt, id est, ut noster interpres vertit, quia NIHIL HABET EX EIS HOMO AMPLIUS; quasi dicat, quia momento temporis transeunt, et ubi transierunt, nihil ex eis remanet, quod laetitiae fructum afferat aut utilitatem aliquam. Huc alludit Gregorius Neocaesariensis in sua Paraphrasi, dicens: Οὐδὲ γὰρ ἔχει τις εἰπεῖν ὄφελός τι τούτοις προσηρτημένον, ἅπερ (1) ἄνθρωποι περὶ τὴν ἔρριπται, καὶ σώμασι καὶ ψυχαῖς, ἐκπλέσαι σπεύδουσι, τῶν μὲν προσκαίρων ἠτιμημένοι, ἀνωτέροι δὲ τῶν ἄτρων τῷ γενναίῳ τῆς ψυχῆς ὄμματι, οὐδ' ὅτιουν κατιδεῖν (2) βουλόμενοι.

Sed et possumus haec Salomonis verba alio, eoque minime inepto, interpretari modo, ea ut interpretatur Hieronymus; ita ut ista bona dicantur a Salomone vana, quia sunt inutilia; inutilia porro esse, quia nihil habet homo amplius, id est, quia nullam eorum partem secum homo auferi, cum e vita migrat. Ex quo illi avaro apud Lucam (XII) dicitur: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te; haec, autem, quae parasti, cujus erunt?* Est, certe, id inutilitatis ipsorum satis efficax argumentum: nam homini, cujus est animus sempiternus, bona esse non possunt quae intereunt; deserunt enim illum initio sui cursus, atque inopem et nudum relinquunt. Itaque, ea neque cavitatem illius complent, neque inopiam sublevant; ex quo, neque utilia ipsi esse censenda sunt; id quod Christus perspicue docebat, sic dicens (*Matth.*, VI): *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur; sed thesaurizate vobis thesauros in coelo.* Nam copiae pro inopia esse debent: terrenae, autem, copiae tineis obnoxiae sunt, id est, corruptioni; hominis, vero, vita sempiterna est: itaque eas opes sibi parare homo debet, quae abundantiam suppeditare ipsi in tam longa vita possint.

(1) In codice *D*: ωσπερ.
(2) Codex *D*: κατιδειν.

Sed quaestione non caret, quod hominum omnia studia omnesque labores inanitatis, ut videtur, condemnat. Num et honesti labores etiam, et officii causa suscepti, habebuntur inanes? Non illi, quidem, inanes sunt, neque eos labores condemnat Salomon; sed quos ambitiosi, et avari, et asoti subeunt, quo ea consequantur quae cupiunt. Itaque, quod studium in hujusmodi terrenis rebus consumitur, id a Salomone damnatur: idque ita esse colligitur ex hebraico עָמָל pro quo noster laborem posuit; nam id proprie laborem significat cum perversitate, et mendacio, et iniquitate conjunctum, a quo honesti plurimum absunt, hoc est, significat fallacem atque improbum laborem, quales sunt ii labores, quos isti vitae, quae sensu ducitur, addicti homines tolerant. Nam, primo, sunt perversi et iniqui, quod his pro bono summo quaeratur, quod ne bonum quidem est; deinde, mendaces sunt et fallaces, quod spem nostram ludant, neque pro opera pretium reponant, de quo illi sic lamentantur (*Sapient.*, V): *Lassati sumus in via iniquitatis, et ambulavimus vias difficiles. Quid profuit nobis superbia? Et divitiarum jactantia quid profuit nobis?* Sequitur:

4. — Generatio praeterit, et generatio advenit: terra, autem, in aeternum stat.

Idem rursus confirmat ex illo altero capite, quod diximus, ducto argumento. Dictum est dici vana, quae morti sunt obnoxia; docet, ergo, nunc interire omnia atque corruptibilia esse, et ob id rectissime vana esse nominata. GENERATIO PRAETERIT, ET GENERATIO ADVENIT: TERRA, AUTEM, IN AETERNUM STAT. — Quasi dicat: omnia orta oc-

cidunt, et aliis pereuntibus alii nascuntur, nihilque sub sole est, quod non mutationi et corruptioni sit obnoxium; ex quo fit, nihil esse stabile in iis rebus, sed fluxa omnia esse, varia, labilia. GENERATIO PRAETERIT. — Duo vocabula Hebraei habent, et sono et significatione diversa, quae noster uno latino reddere solet: unum תּוֹלֵדָה *tholda*, quod, a יָלַד verbo ductum, proprie significat nativitatem aut generationem et rei alicujus ortum; ex quo, et pro iis accipitur, qui nascuntur, id est, pro familia et posteritate, hoc est, pro iis, qui ab uno parente ac generis capite originem ducunt (*Genes.* II, V et VI). Alterum, דּוֹר *dor*, quod a verbo דוּר *dur*, quod est peregrinari, deducitur: itaque, proprie significat humanae vitae spatium, id est, id spatium temporis, quo peregrinatur homo, nam peregrinatur dum vivit; ex quo, item, accipitur pro iis hominibus, qui in idem tempus atque aetatem concurrunt; ac rursus, latius se vocabuli significatione fundente, et pro iis sumi solet, qui ejusdem instituti sunt, aut ingenio praediti sunt eodem (*Numeror.*, XXXV; *Esai.*, LIII; *Proverb.*, XXX). In praesenti autem loco, hoc posterius verbum ponitur. Quare generationem, quod noster vertit, humanae vitae spatium, et in idem spatium atque aetatem homines incidentes, debemus accipere; itaque, Salomonem dicere, aetatem succedere aetati, et hominibus homines, id est, fluere et interire omnia, nihil permanere, extinctis aliis alios nasci, et ipsos paulo post interire, ac mox orituris locum dare, ex quo ista omnia has moriendi atque nascendi vices subire.

Sed quid est, quod adjecit: TERRA AUTEM IN AETERNUM STAT? Primum, enim, si perseverat sempiterna tellus, sequitur non omnia quae sub sole sunt vana esse, id est, non esse corruptioni subjecta. Dejnde, qui stat in aeternum, quae mutatur in horas, et alias atque alias subit formas? Postremo, Patres censent conflagratione orbis postrema et terram interituram: ita, certe, affirmat in hoc loco Hieronymus et in Esaiam, libro decimo quarto. Quomodo, igitur, hoc si verum est, in aeternum stabit? Dici ad hoc, primo, potest id vocabulum *aeternum*, positum pro hebraico עוֹלָם, non id significare tempus, quod fine caret, sed saepe finitum tempus et intra paucorum annorum spatium conclusum, ut in libri Ezechielis capite vicesimo sexto de Tyro: *Et requisita, non invenieris ultra in sempiternum*, id sempiternum septuaginta annorum spatio finitur. Nam septuagesimo post anno de integro instaurata est, sicut et Esaias (XXIII) scribit: *Post septuaginta annos visitationem faciet Deus Tyri, et iterum restituetur in antiquum*; עוֹלָם enim saeculum proprie: saeculum, porro, auctore Hieronymo (in Ezech., cap XXVI), spatio vitae humanae terminatur et clauditur, id est, spatio annorum septuaginta; id, enim, humanae vitae spatium est, Davide dicente (*Psalm.* LXXXIX): *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*. Sed et possumus, praeterea, respondere terram perpetuo illam quidem permanere; tamen, ex eo non sequi non corrumpi, et quod ad hominis summum bonum spectat, inutilem non esse. Nam mutationibus subjacet, et ut non tota intereat, illius tamen partes corrumpuntur, et quodcumque ex illa nascitur occidit. Ac, profecto, mihi videtur Salomon rectissime id addidisse: TERRA, AUTEM, IN AETERNUM STAT, quo magis demonstraret morti obnoxia esse, quae videntur omnia. Nam terra, ut est mater omnium eorum quos alit atque sustinet, sic est sepulchrum eorumdem, sicut scriptum est (*Genes.* III): *Donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis est, et in pulverem reverteris*. Quare stare perpetuo terram cum dicit, omnium, quae terra aluntur, sepulchrum permanere semper atque patere dicit: quo satis aperte demonstrat ea omnia ad interitum tendere, ac interitura tandem esse.

Sequitur:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

5.—Oritur Sol, et occidit, et ad locum suum revertitur: ibique renascens.—6.—Gyrat per meridiem, et flectitur ad Aquilonem.

Sunt qui dicant, quod Salomon universe dixerat, vana esse omnia et inutilia, id nunc inductione confirmare incipere; itaque, hominum studia sigillatim enumerare. Et in primis id suggillare, quod in cognitione naturae ponitur, vanitatis esse plenum docens et infructuosi laboris, quod solis motum, ventorum causas, fluminum scaturigines, etsi se quis labore conficiat, vix assequatur, et ut assequatur, ex eo non evadat melior. Sed mihi horum sententia non probatur. Urget, enim, Salomon quod confirmare instituerat, omnia interire, ac proinde vana esse: et sicut terram, quae est universorum sepulchrum, in aeternum stare dixerat, quo doceret mortalia esse omnia; sic nunc, idem ut magis confirmet, dicit solem perpetuo et irrequieto cursu moveri, oriri, occidere, rursusque renasci. Nam, ut scribit hoc loco Hieronymus, «sol ipse, qui in lucem mortalibus datus est, interitum mundi ortu suo quotidie indicat et occasu.» Indicat, autem, id primo, quia coeli motu generatio et corruptio harum rerum perficitur. Omnia, enim, solis accessu verno tempore germinant, et ejusdem recessu hyeme decidunt et intereunt. Deinde, quia solis ortu et occasu nox constat atque dies; in quibus imago inest vitae mortisque; ex quo et vita dies, et mors nox translate appellatur. Sic ille (Catullus):

Soles occidere et redire possunt:
nobis, cum semel occidit brevis lux,
nox est perpetua una dormienda.

Et Lyricus (Horat., lib. I, od. IV):

Jam te premet nox, fabulaeque Manes.

Postremo, quia quod sol et astra perpetuo moventur, id maximo argumento est, quae astris atque soli subduntur perennia non esse. Unde recte ille (Horat., lib. IV, od. VII):

Immortalia ne speres, monet annus et almum
quae rapit hora diem.

Itaque, Hieronymus hic: «Hoc, autem, dicit, ut doceat mutationibus temporum et ortu occasuque siderum humanam aetatem labi et interire, dum nescit.» Et D. Salonius (1): «Hoc ideo Salomon dicit, ut ostendat quia sol ipse, qui hominibus in lucem diei datus est, sua mutabilitate, id est, ortu suo et occasu, quotidie hujus saeculi monstraret interitum.» Et Gregorius Ponti: Καὶ καταρίθεται ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος ἡμέραν ἐξ ἡμέρας, καὶ ὡρῶν καὶ ἐνιαυτῶν περιόδους ἡλίου τε δρόμους περιωκισμένους, τῶν μὲν παραγινομένων, τῶν δὲ ὑπαπιόντων (2).

ORITUR SOL, ET OCCIDIT; hebraice: ORIETUR SOL ET INGREDIETUR SOL.—Dicitur, autem, sol ingredi cum occidit, quia se a nostro conspectu subtrahit, et in alias regiones ingreditur. ET IN LOCUM SUUM REVERTITUR.—Pro REVERTITUR in hebraeo est שׁוֹאֵף *soeph*, id est, anhelat, ducta similitudine ab his, qui, elati cursu, spiritum crebro ducunt et anhelant. Ex quo ille:

Quem tu, cervus uti, vallis in altera
visum parte lupum, graminis immemor,
sublimi fugies mollis anhelitu.

(1) PP. Augustiniani Matritenses addunt ad marginem: «Salon. Viennensis Episcop. in exposit. mystica Eccle(siastes). Vid. Bibli. PP., tom. I, edit. Parisiens. ann. 1624.»

(2) Codex *D* praetermittit verbum: ὑπαπιόντων. In exemplaribus PP. Matritens. additur etiam ad textum graecum ejus versio latina ex Billio: «Ac mortalium vita conteritur, die diei succedente, annique partibus et conversionibus, solisque cursibus certis ac definitis, nunc accedentibus, nunc sensim recedentibus.»

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Transferunt autem Hebraei verbum anhelandi ad solem, quo significent, quantum sol festinet cursum obire suum; quod item Latini, Hebraeos credo imitati, uti ille (*Georgic.* I):

Nosque ubi primus equis oriens afflavit anhelis.

Agitur, autem, de cursu diurno solis, qui concitatissimus est, id est, de cursu, quem sol peragit unius diei spatio, ab ortu ad occasum tendens, et inde iterum ad ortum remeans. Unde sequitur: IBIQUE RENASCENS. Nam hic est adhibenda distinctio; quod, enim, subjungitur: GYRAT PER MERIDIEM, ad aliam sententiam, ut statim dicemus, pertinet. Itaque, redit ab occasu ad ortum sol; ibique renascens, scilicet, redit ad munus solitum. Vel: REDIT AD LOCUM SUUM, IBI RENASCENS, hoc est, ut ibi renascatur, id est, ut oriatur ibi; nam hebraice, ad verbum: ET AD LOCUM SUUM ANHELAT, UT ORIATUR IPSE IBI, id est, ibi oriturus. Porro, quod partem orientalem solis locum vocat, fortasse ob id dicit, quia Deus solem, quando primum ipsum condidit, in ea coeli regione constituit; Aristoteles, certe, ab orientali parte initium motus coelestis duci arbitratur. Quod, autem, sequitur: GYRAT PER MERIDIEM, ET FLECTITUR AD AQUILONEM, id pertinet ad illum motum, quem sol annuo spatio conficit. Nam eo motu sol circulum obliquum, id est, signiferum obit, et ita nunc versus meridiem fertur, nunc ad Septemtriones, unde aquilo spirat, propius accedit; a bruma, enim, id est, a hyemali solstitio usque ad aestivum versus aquilonem tendit, ab aestivo ad brumam ad meridiem regreditur. Itaque, diurnus solis et annuus cursus, hic a Salomone apte descriptus, suis quisque illustratur notis ac signis. Ex quo intelligimus Sacras Litteras, non solum moralis ac supernaturalis doctrinae scientiam includere, sed etiam continere semina, cum naturalis philosophiae, tum reliquarum artium atque

scientiarum. Sed, quod ad mores formandos pertineat, ex iis, quae dicta sunt, hoc certe colligitur: Deum, quia perutilem nobis futurum videt, ut mortis semper meminerimus, ejus nos admonere quibuscumque modis potest. Coelum, enim, et terram, hoc est, res duas omnium manifestissimas et nostris sensibus maxime objectas, ejus rei admonitrices constituit: ubi, enim, ad terram dejicimus oculos, commune sepulchrum videmus; ubi in coelum sustollimus, quod irrequiete se ac celerrime in orbem circumagit, quanta ipse celeritate movetur, tantum de nostrae vitae spatiis imminui, nosque, pari concitatione cursus, ad mortem festinare.

Sequitur: LUSTRANS UNIVERSA, IN CIRCUITU PERAGIT SPIRITUS, ET IN CIRCULOS SUOS REVERTITUR. Spiritum hoc loco, alii solem; alii, ventum intelligunt: spiritum, pro sole accipiunt Olympiodorus et Hieronymus; pro vento, Gregorius Ponti. Priori modo, qui mihi magis probandus videtur, dicendum est solem dici spiritum, vel quod spirare faciat, id est, vitam et spiritum rebus, quae generantur, infundat, ut scribit Hieronymus; vel, quod Olympiodorus censet, propter velocitatem motus. Quod, autem, dicitur lustrare universa, et in circuitum pergere, et in circulos suos reverti, repetitio quaedam est aut expolitio ejus, quod praecesserat: ORITUR SOL, ET OCCIDIT, ET GYRAT PER MERIDIEM etc. Sin, autem, altero modo spiritus pro vento ponatur, dicere oportet, dici lustrare omnia, quia venti perflant universa; et in circulos suos reverti, quia ab omni coeli parte spirat ventus: cui consentiunt hebraea, in quibus sic: CIRCUENS, CIRCUENS, VADIT SPIRITUS, ET IN CIRCULOS SUOS REVERTITUR SPIRITUS. Sed si de vento haec, cujus, quaeso, rei aut significandae aut confirmandae causa dicuntur? Ut confirmet, certe, magis quod coepit, corruptioni obnoxia cuncta esse, et ob eam causam vana omnia. Nam, sicut supra argumenta ducebantur a terra, in qua omnia orta conduntur a solis cursu, generationis atque cor-

ruptionis auctore; sic nunc, a ventorum mutabilitate et pernicitate ducuntur. Inest, enim, in his tacita quaedam similitudo, quae sic explicari potest: ut lustrat omnia ventus, ac perflat, et ad omnes partes spirat, varioque movetur, neque eumdem statum servat diutius; sic mortalium vita, quae et ipsa flatus quidam est, momento temporis volat, nec eadem manet. Nam, sine dubio, in Sacris Litteris duci a vento similitudo solet ad vitae humanae brevitatem et instabilitatem significandam. Sic Job (VII): *Memento*, inquit, *quia quasi ventus est vita mea.* David, etiam, in Psalmo (LXXVII): *Et recordatus est, quia caro sunt: spiritus vadens et non rediens*, id est, ventus, qui momento praetervolat, nec amplius revertitur. Inest, enim, in vento imago atque symbolum rei incertae atque fugacis, et minime stabilis. Unde, in *Proverbiis* (XXVII), de litigiosa et linguaci femina dicitur: *Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat;* quo demonstretur, quam sit ejus, et in convicíando lingua volubilis, et ad serendas lites et alias ex aliis nectendas promptus animus. Sequitur:

7.—Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat: ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant.

Quod supra diximus, idem et hic dici potest, inesse in his verbis similitudinem tacitam. Nam inquit: Sicut flumina in mare decurrunt, in quod ingressa, ita absorbentur, nullum ut eorum appareat vestigium (haec, enim, vis est illius verbi: ET MARE NON REDUNDAT, id est, et non apparet flumina in mare influisse); ita eorum, qui generantur, vita cursu ad mortem fertur, in terramque omnia orta cadunt atque conduntur, neque posteaquam in terra condita sunt, ex eo ipsa aut amplior redditur aut major, aut intumescit modo aliquo. Et sicut flumina a mari originem ducunt, et eo redeunt unde nascuntur; sic etiam mortalia omnia e terra oriuntur, et ad terram redeunt. Hoc probat

Gregorius, nam dicit: Εοικε δὲ τὸ πρᾶγμα, χειμάρρων παρόδῳ, ἀμετρήτῳ θαλάσσης ἐμπιπτόντων βοθρῳ συν (1) ταράχῳ πολλῷ (2). Et Hieronymus, inquiens: «Melius, autem, Hebraei sub torrentium et maris nomine, per metaphoram, de hominibus significari arbitrantur, quod in terram, de qua sumpti sunt, redeant, et torrentes vocentur, eo quod cito intereant, nec tamen impleatur terra multitudine mortuorum.» Et, sine dubio, Sacrae Litterae alibi vitam nostram flumini et aquis labentibus comparant, ut apparet in illo *(Regum* II, XIV): *Omnes morimur, et sicut aquae delabimur in terram.* Cui, etiam, interpretationi vox hebraica suffragatur. Nam flumina, quae noster vertit, ex hebraeo ea sunt, quae pluviae ac liquatae nives efficiunt, et torrentes proprie vocantur; torrentes, autem, humanae vitae rationem atque conditionem maxime referunt. Nam quemadmodum illi, pluvia subito collectis aquis, inundantur, et currunt turbidi ac sonantes, et obvia quaeque secum trahentes; de his, enim, ille *(Aeneid.*, II):

.....rapidus montano flumine torrens,
sternit agros, sternit sata laeta, boumque labores,

cumque ob eam causam perennes futuri videantur, aut certe in longum tempus duraturi, tamen citissime defluentes siccantur et arescunt: eodem modo nos, subito collectis rerum levissimarum copiis, intumescimus, et potentes esse videmur et usque eo magni, nostrae ut potentiae atque magnitudinis nullus videatur finis aut modus futurus; nihilominus tamen, brevi deficimus, ac esse desinimus, ita ut nullum vestigium ejus, qua pollere videbamur, et aeter-

(1) Deest in codice *D* verbum: συν.

(2) Exemplaria PP. Matritensium addunt textui greco versionem latinam Billii, istam scilicet: «Nec dissimilis est haec res torrentum transitui, cum magno strepitu ac tumultu in immensum maris profundum illabentium.»

na putabatur, potentiae ac felicitatis appareat. Itaque, torrentium nomen ad res mortalium significandas apte transfertur, et omnino in omni eo ponitur in his Litteris, quod et amplissimam speciem habet, et citissime evanescit, et spem, quam de se concitavit, maximam ludit atque frustratur. Ex quo Jobi illud (VI): *Fratres mei praeterierunt me, sicut torrens, qui raptim transit in convallibus.* Nam fratres vocat illos suos amicos, qui consolandi ipsius causa cum venissent, idque facere prae se tulissent, subito, mutata sententia, jurgare cum illo coeperunt, atque in ipsum invecti sunt; itaque, spem illius frustrati sunt, ut torrens eos frustratur, qui se pleno alveo decurrentem vident, et ob id diutius suppeditaturum ipsis aquae copiam sperant.

AD LOCUM, UNDE EXEUNT, FLUMINA REVERTUNTUR, UT ITERUM FLUANT.—Quaeritur, qui sit verum a mari oriri flumina, quae e fontibus nasci videmus, quum fontes aere, intra terrae viscera in aquam verso, effici tradat Aristoteles? Olympiodorus nonnulla flumina censet e mari originem ducere, non omnia; itaque, Salomonem, quod maxima ex parte accidit, eo dicere, flumina eo reverti, unde הלכים, id est, reverti ad mare. Dici etiam potest non flumina esse, sed torrentes, qui a mari oriri dicuntur; torrentes, autem, vere a mari oriri dici, quod a pluviis fiant; pluviae, autem, vaporibus constent iis, quos sol e mari elicit, ut vates Amos scribit qua dicit: *Qui vocat aquas maris et effundit eas super faciem terrae.* Denique, ut nihil istorum diceretur, tamen Aristotelis ratio imbecilla est, et ejus levis ad Salomonem auctoritas; itaque, Salomoni potius assentiri debemus. Sequitur:

8.—Cunctae res difficiles: non potest eas homo explicare sermone.

Docuit Salomon, quod initio proposuit, omnia vana esse, argumento ducto ex nominis interpretatione aut definitione; quod vanum id dicatur esse, quod aut inutile sit, aut obnoxium corruptioni: itaque, docuit omnia terrae bona, in quibus homines sua studia consumunt, primum inutilia esse, quod nullum ex se fructum relinquant, deinde esse labilia et cito finienda; idque demonstravit, iis explicatis rebus, quae eorum interitum vel efficiunt, vel exemplum in sese et similitudinem ostendunt. Itaque haec hactenus docuit; nunc, autem, eorumdem bonorum vanitatem novo argumento, hoc est, ut nonnullis videtur, inductione demonstrat, singula referens, quae habentur studio digna ab hominibus, et quantum in unoquoque eorum inanitatis insit, ostendens. Et initium facit a cognitione rerum et ab studiis doctrinae, quae vana esse confirmat, quia in eis rebus perscrutandis versantur, quae propter ipsarum summam obscuritatem et discuntur cum magno labore, et explicantur cum maxima difficultate. CUNCTAE, inquit, RES DIFFICILES, ad cognoscendum scilicet. NON POTERIT EAS HOMO EXPLICARE SERMONE; id est, ne cognitae, quidem, explicari satis verbis et oratione possunt. Haec nonnulli. Mihi, autem, neque hoc, neque quod sequitur ad studia doctrinae pertinere videtur; sed in eo occupatione uti Salomonem judico, et objectioni tacitae occurrere. Docuerat omnia esse vana, quia corruptioni obnoxia sunt, et quia nullum ex se fructum, postquam praeterierunt, relinquunt. At dum adsunt (quis diceret), multum juvant; et ob id ipsum, studio digna esse et perutilia videntur. Huic, igitur, num occurrit Salomon, idque dum diluit, hujus vitae bonorum inanitatem multo magis amplificat. Docet, enim, ea quae in hac vita habentur pro

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bonis, etiam cum adsunt et a nobis possidentur, inutilia esse, id est, esse voluptatis vacua et laboris plena, quia parari sine maximo labore non possunt, et parta atque possessa nullam sensibus quietem afferunt. Parari cum labore maximo, affirmat his verbis: CUNCTAE RES DIFFICILES, scilicet, sunt, id est, omnia, ad quae quis in hac vita studium atque manus admovet, sunt plena laboris, sicut scriptum est *(Genes.* III): *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. NON POTEST EA HOMO EXPLICARE SERMONE; id est, sunt laboriosa supra quam dici potest. Proprie, autem, mihi videtur agere de iis rebus, quae manu fiunt. Nam pro eo, quod nos DIFFICILES, hebraice est: יגעים, quod actionem laboriosam significat. Itaque, ait multae operae atque laboris id esse omne, ad quod quis in hac vita manus admoveat. Sed id, dum efficitur et paratur fortasse; partum, autem, et effectum, quid?

Sequitur: NON SATIATUR OCULUS VISU, NEC AURIS AUDITU IMPLETUR. Quasi dicat: Tale id est, ut ne ipsos quidem sensus, qui ejus cupidi sunt, explere satis possit; sensus, enim, nulla ejusmodi re adepta, quiescunt, sed alia ex aliis semper appetunt. Quod satis indicat vanas esse istas res, utpote quae neutro tempore juvent: quando, enim, caremus illis, desiderio sui nostros sensus excruciant; quando, autem, compotes earum efficimur, vacuitatem animorum nostrorum non explent. Itaque, desideratae, cruciatum sensibus afferunt; possessae, fastidium: ex quo ad novas semper res suas cupiditates extendunt. Nihil, tamen, est novum; quare additur:

9.—Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est (1). —10.—Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est.

Nam quia dixerat sensus his bonis, cum ea possident, minime satiari, sed fastidire omnia; et quia novitate fastidio occurri solet, fortasse quis crederet, ut singula ista bona sensuum cupiditates non expleant, tamen mutandis iis et aliis ex aliis asciscendis, et prioribus repudiatis, novis semper parandis, posse facile expleri. Quare, id ne quis, errore falsus, putaret, ac ea spe sua in iis rebus studia defigeret, eam illi vanae spei ac falsae aestimationis ansam praecidit; nihil esse sub sole novum affirmans, sed cuncta docens circumagi, ac demensis spatiis decursis, eadem in orbem redire, itaque dicens: QUID EST, QUOD FACTUM EST? IPSUM QUOD FACIENDUM EST. Id est; usque eo ista terrena bona, ad hominis felicitatem relata, inutilia sunt, ut speraudum non sit futurum, ut terra nobis postea edat ac gignat alterius generis alia meliora atque utiliora bona, quibus nostri satiati atque expleti animi, nihil amplius desiderent: sicut, enim, quae praeterierunt similia sunt praesentibus; sic, futura praeteritis erunt similia. Nam, neque arbitrandum est majores nostros meliore mundo usos fuisse, quam nos; nec sperandum fore, ut venturis in annis novum existat aliquod terrae bonorum genus, utilius ac melius, quibus hominis expletus animus, bene et beate vivat. QUID EST, ENIM, QUOD FACTUM EST? IPSUM QUOD FACIENDUM EST. Id est, qualia sunt, quae praeterierunt, talia, quae deinceps postea evenient, futura sunt: NIHIL SUB SOLE NOVUM.

(1) Sic in codice D; at Vulgata id ita habet: 9.—*Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Obstat, quod Esaias (XLIII): *Ecce nova facio omnia;* quod Hieremias (XXXI): *Novum fecit Dominus super terram;* quod Christus (*Matth.*, XXIV): *Erit, autem, tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Haec ut vitent, quidam, quorum Augustinus meminit in libris *De Civitate Dei* (lib. XII, cap. XIII), dogma induxerunt platonicum de omnium rerum ad eumdem statum, aliquot evolutis saeculis, reditu. Futurum, enim, dicebant, ut cum omnia astra ad eumdem, quem principio tenuerunt, locum redirent, de integro emergerent atque existerent eaedem res, quae praeterierunt, atque rerum cursus idem. A qua sententia, ut videtur, non abhorruit, ista Salomonis oratione atque verbis inductus, Origenes (lib. II *Periarchon*). Sed si in orbem eadem revertuntur singulis magnis saeculis, Christus nasciturus et moriturus esset, contra atque Paulus scribit, dicens (*Rom.*, VI): *Christus semel mortuus est pro peccatis nostris; resurgens, autem, a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Quare alii haec Salomonis vera esse censent ex praedefinitione rerum a Deo, qua ex tota aeternitate, quae aliquando futura sunt, ea ut essent definivit et statuit. Nam ex eo fieri dicunt, ut nulla res censeri possit nova esse, id est, non ante visa et, ut esset, decreta. A qua interpretatione nec Augustinus abhorret, nec Hieronymus; qui sic scribit: «Sed est dicendum, quod in praescientia et praedestinatione Dei jam ea facta, quae futura sunt.» Sed huic obest, quod sequitur: JAM, ENIM, PRAECESSERUNT IN SAECULIS, QUAE FUERUNT ANTE NOS. Igitur, eo nihil existit novi, quia idem aut simile in saeculis, quae nos praecesserunt, id est, in majorum nostrorum aetate aliqua antecessit. Itaque, alii dicunt haec dici de iis, quae in hac vita fiunt, in comparatione ad ea, quae in alia vita eventura unicuique sunt. Nam pro eo, quod quis meritus de Deo fuerit, ita aut praemio aut poena afficietur, sicut scriptum est: *Quae seminaverit homo, haec et metet.* Quare qui avent cognoscere, quae cui-

que eventura sint post hanc vitam, eis hoc loco Salomonem respondere dicunt, futurum, scilicet, quod factum est, id est, perinde eventurum omnibus, prout hoc vel illud egerunt; itaque, nihil futurum novi, sed bonis bene, malis similiter male. Sic Olympiodorus. At Salomon nihil futurum novum affirmat sub sole, id est, in hac vita, quae sub sole peragitur, nam de alia cur mentionem faceret vita, causa non erat. Sunt qui haec per hyperbolem, non quod nihil novi prorsus eveniat, sed quod pleraque praeteritis sint similia. Sunt qui intra unum ac certum genus rerum includant, earum, scilicet, quae natura constant, qualis est motus solis, astrorum cursus, fluminum lapsus, ventorum flatus, vices dici atque noctis, generationum aliarum ex aliis nexarum series perpetua; in quibus, definitis evolutis spatiis, eadem redeunt semper. Sed, ut ego judico, ex eo, quod praecessit, liquere satis potest de hujus orationis sententia. Nam dixerat, hominis sensus nullo eorum, quae appetunt, satiari bono, neque spem esse aliquod postea futurum, quo satientur, quod nihil novi fiat, quodque praeteritis sint futura similia, quippe (1) ea bona, quae sensus oblectant nostros, de quibus agebat: capiuntur enim colore venusto, modulatae vocis sono, saporum varietate, corporum leni tactu aque molli; quid, autem, in hoc genere effici potest aut existere, cujus non aliquid simile praeterierit? Nam, ut re diversum sit, iis certe qualitatibus, quibus capiuntur sensus nostri, est simile. Quod si nobis contra videtur, perplura non ante visa oriri quotidie, id videtur, non quia re talia siut, sed quia nos, qui praeterita ignoramus, quae oblivione vetustas obruit, talia esse putamus. Quare addit:

(1) PP. Augustin. Matritenses id ita interpretantur: «*Quippe* idem est hic ac *certe*.» Nobis tamen videtur *quippe* positum potius esse in significatione *scilicet*.

11.—Non est priorum memoria: sed neque eorum quidem, quae postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo.

Id autem est: Quae praeterierunt, oblivione sepulta sunt; quae fient, similiter oblivioni tradentur ab eis, qui postea sunt futuri. Sed, antequam ab hoc loco discedamus, videre juvat, quomodo quibusdam tanquam gradibus haec omnis crescat oratio; quomodoque semper id, quod sequitur, ad id quod praecessit addat aliquid. Initio dixit, ista terrena bona infructuosa esse: QUID, dicebat, HABET HOMO AMPLIUS DE UNIVERSO LABORE SUO? Deinde addidit fluere eadem et labi semper, nunquamque consistere; nam ajebat: GENERATIO PRAETERIT, ET GENERATIO ADVENIT: ORITUR SOL, ET OCCIDIT; eodemque pertinebat, de perenni fluminum cursu quod dixit. Ad haec adjecit, ea non solum labi cito, sed ne, cum adsunt, sensus ipsos, cupidos eorum, explere; itaque ajebat: NON SATIATUR OCULUS VISU NEQUE AURIS AUDITU. Subjunxit, praeterea, eadem fere omnia, aut certe alia aliorum usque eo similia, ut sperandum non sit varietate eorum et novitate fastidio occurri posse. Tandem, postremo, intulit, si quid grati aut in eis grati esset atque jucundi, id non solum cito finiri, sed et oblivione sempiterna totum id, quale quale sit, tandem sepultum iri, ut ex hujusmodi bonorum possessione atque usu polliceri sibi nemo posset neque praesentem utilitatem, neque futurum commodum, neque memoriae saltem atque nominis propagationem ad posteros. E quibus concluditur vana esse bona ista, et a prudentibus hominibus omnibus modis refutanda. Atque hactenus, ratione Salomon egit; deinceps, agit auctoritate et exemplo, et utrumque a se ducit, utpote qui istorum bonorum summam adeptus copiam, quam ea inania essent, longo usu didicerit. Sed quo sibi, haec con-

cionanti, major apud omnes esset fides, suam auctoritatem primum commendat, dicens:

12.— Ego Ecclesiastes fui rex in Hierusalem.—13.—Et proposui in animo meo, quaerere et investigare sapienter de omnibus, quae fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.— 14.—Vidi cuncta, quae fiunt sub sole; et ecce universa vanitas et afflictio spiritus.

In quo docet, primum, se fuisse praeditum potestate regia; deinde, studio sapientiae vehementer deditum; ut ex utroque faciat sibi fidem. Nam rex, omnia probandi facultatem habet; sapiens, autem, non errat: fides, igitur, habenda ipsi est, omnia ista vana esse affirmanti. Sed quid est quod ait, hanc occupationem pessimam hominibus dedisse Deum, quando loquitur de studiis doctrinae? An rerum naturalium cognitionem atque scientiam condemnat? Damnanda, enim, eadem opera ipsa natura esset, quae earum rerum cognoscendarum nobis inseruit appetitum; tum ea si repudiaretur atque tolleretur, simul tolleretur magnus gradus ad ascendendum in cognitionem Dei: *Invisibilia, enim, Dei*, ut Paulus dicit (*Roman.*, I), *per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Hieronymus, ut videtur, haec dici intelligit non simpliciter de doctrinae studio, sed de nimio et curioso studio; quae res jure damnatur, quod tumidos reddat homines, et a melioribus curis ac magis necessariis abducat; sic, enim, scribit: «Dedit, ergo, Ecclesiastes primo omnem mentem suam ad sapientiam requirendam; et, ultra licitum se extendens, voluit causas rationesque cognoscere.» At hoc, ut apparet, de rerum naturae scientia, de qua loquitur Salomon, id est, quam ipse habuit, dici non potest nimiam illam fuisse et curiositatis inustam nota, nam eam divinitus accepit, ut in libris *Regum* (lib. III, cap. III) scribitur. Olympiodorus

haec diverso legit et interpretatur modo. Legit: QUONIAM LABORIOSAM DISTENTIONEM DEDIT DEUS HOMINIBUS, UT OCCUPARENTUR IN EA. Explanat, autem, ea sic: Salomonem dicere ob eam causam se totum studiis doctrinae dare voluisse, quod videret reliqua vitae studia, voluptatis, honorum, divitiarum, quibus se homines dare solent, laboriosam distentionem esse, id est, esse plena laboris, Deo id agente, quo, labore ipso homines deterriti, ab eis studiis abhorrerent. At inquit: HANC PESSIMAM OCCUPATIONEM, et proxime doctrinae studium praecesserat, ut aliud demonstrari, praeter id, nullum posset. Quare dici debet pessimum hoc loco dici doctrinae studium, non quod vitiosum sit, sed quod sit laboris ac molestiae plenum. Nam pessimum in his Litteris non semper in culpa dicitur, sed nonnumquam in poena, quod κάκωσιν Graeci, ut in illo *Matthaei* (VI): *Sufficit diei malitia sua*. Et, sine dubio, רע pro quo noster posuit pessimam, Hebraeis saepe poenam, et aerumnam, et laborem significat. Porro, advertendum est, quod occupationem noster vertit, id graecos Interpretes verbis iis transferre, quae distensionem atque dejectionem significant; verbum, enim, hebraicum ענין ea omnia complectitur, omniaque ea in studia doctrinae cadunt. Dicit, ergo, se incubuisse in studia doctrinae, et interjicit ea studia occupationum et laboris esse plena; sed ea data esse hominibus a Deo dicit, quia ad ea homo natura inclinatur; inclinatur, autem, quia honesta per se sunt, et utilia multum, et quod caput est, abstrahentia a noxiis et perniciosis studiis. Quod ut significaret, adjecit: UT OCCUPENTUR IN EA. Sed quid assequutus est Salomon isto suo sapientiae studio, quod ad propositum argumentum pertineat? Nimirum id, quod sequitur:

ET VIDI QUAE FIUNT CUNCTA SUB SOLE; ET ECCE UNIVERSA VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS.—Hoc, igitur, assecutus, ut omnium rerum rationes cognosceret; cognitas, inanitatis plenas esse videret. ET VIDI CUNCTA QUAE FIUNT

SUB SOLE; quae, scilicet, ab hominibus, horum fallacium bonorum plus nimio studiosis, fiunt. ET ECCE UNIVERSA VANITAS; id est, ut diximus, absoluta vanitas, et cui nihil ad summam vanitatem desit. Sed addit: ET AFFLICTIO SPIRITUS. Pro eo hebraice: רעות *reuth*, quod alii aliter: graeci Interpretes: προαίρεσις πνεύματος, id est, *electio spiritus*, quo significant, qui perituris student rebus, eos eligere, hoc est, sectari ventum, eo quod res inanes studio prosequuntur. Quod et latinorum proverbio dici solet, ventos sectari, qui se inutili labore macerat. Alii: *pastio* aut *pastura spiritus*, fere eodem sensu significantes adeo ista vana esse, ut sui studiosos vento pascant, id est, fallacissimis voluptatibus et momento temporis duraturis oblectent. Alii: *cogitatio spiritus*, id est, mente confictus aer, hoc est, res prorsus levissima. Noster, denique: *afflictio spiritus;* et posuit pro animo spiritum, quo significaret studia ista, de quibus agitur, non solum inania, sed et laboris esse plena; non solum nullam utilitatem afferre, sed etiam curarum et molestiarum gravissimarum causam esse. Cui interpretationi Chaldaeus favet, sic dicens: VIDI OMNIA FACTA FILIORUM HOMINUM, QUAE FIUNT SUB SOLE IN MUNDO HOC: ET ID OMNE, VANITAS ET CONFRACTIO SPIRITUS. Sed videamus quod sequitur:

15.—Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.

Repeti debet a communi superius verbum: *Vidi*. Hebraice, porro, ad verbum: PERVERSUM NON POTERIT DIRIGI, ET DEFECTUS NON POTERIT NUMERARI. Ex quo graeci Interpretes ita verterunt: Διεστραμμένον οὐ δυνήσεται (1) ἐπιστραφῆναι, καὶ ὑστέρημα οὐ δυνήσεται (2) ἀριθμηθῆναι: PERVERSUM

(1) PP. Matritens.: τοῦ

(2) In priori exemplari PP. Matrit.: τοῦ

NON POTERIT, UT ORNATUM SIT; POSTERITAS NON POTERIT, UT NUMERATA SIT. Atque horum versionem, quod ea usi sint, veteres varie exposuerunt. Olympiodorus: VIDI PERVERSUM, id est, obliquum et pravum, ornari virtute non posse, dum in sua perversitate persistit; tum etiam cognovi posteritatem, id est, qui privati sunt gratia Dei, non numerari inter pios. Huic astipulatur Chaldaeus, qui vertit: VIR CUJUS VIAE REBELLES SUNT, ET MORITUR IN EIS, NON EST ILLI FACULTAS CORRIGENDI SE POST MORTEM SUAM. ET VIR QUI DEFICIT IN LEGE IN VITA SUA, NON EST ILLI FACULTAS, UT NUMERETUR CUM JUSTIS POST MORTEM IN PARADISO. Idem Olympiodorus aliter: Vidi omnia esse vana. Atqui si omnia vana, casu igitur omnia; temere, non consilio; fortuna, non providentia et conditus est et regitur mundus. At quis istuc ferat? PERVERSUM NON POTERIT, UT ORNATUM SIT? id est, multa prava sunt; tamen, quid tam perversum in natura est, ut ornari nequeat? ut ad universi ornatum non pertineat? Itaque, haec verba ille occupatione et interrogatione explicat. Hieronymus plures explanationes affert, quarum una est, haec pertinere ad amplificationem superioris sententiae: Dixerat omnia vana; addit et usque eo perversa, ut ornari non queant. Sed Vulgata versio, ut ego judico, et melius hebraea expressit, et planius explanari potest. Doceamus utrumque. PERVERSI. —Hebraica non utcumque perversum, sed cui est innata perversitas. Perversitas autem hic proprie est obliquitas; obliqui, autem, in his Litteris homines peccatores nominantur, uti et justi recti censentur. DIFFICILE CORRIGUNTUR.—Hebraice: NON POTERIT RECTUM EFFICI. *Non poterit*, autem, dicitur, non quod sit ἀδύνατον, sed quod vix fiat. Itaque recte noster: DIFFICILE. Nam in his Litteris difficile quod est, ἀδύνατον et alibi nominatur. Sic *(ad Hebr.*, VI) Paulus: *Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt...* STULTORUM INFINITUS EST NUMERUS; hebraice: ET DEFECTUS NON POTERIT NUMERARI, defectus rationis scilicet atque scientiae. Itaque, recte noster: STULTORUM INFINITUS EST NUMERUS. Sed qui ista, quaeso, cum superioribus? Certe, optime. Dixit, enim, vana omnia. Objiceret quispiam: si talia, ut praedicas, qui fit, ut tot studiosos sui habeant? Huic respondet: QUIA PERVERSI DIFFICILE CORRIGUNTUR, ET STULTORUM INFINITUS EST NUMERUS; id est, quia homines, errore primum ad haec studia delati, ubi semel se illis dederunt, usu eorum ita depravantur, ut vertere se ac revocare retro pedem vix possint (1); et, certe, quia stultorum infinitus est numerus, quo fit, ut, verorum ignari bonorum, falsa et inania bona studiose sequantur. Sequitur:

16.—Loquutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, et praecessi omnes sapientia, qui ante me fuerunt in Hierusalem: et mens mea contemplata est multa sapienter, et didici.—17.—Et dedi cor meum, ut scirem prudentiam, erroris et stultitiam.

Hactenus, universe docuit ista terrena bona vana esse; idque et ratione demonstravit, et confirmavit sua auctoritate: jam ex hoc loco idem ipsum confirmare aggreditur inductione, quibus homines studere solent, ea fere omnia sigillatim enumerans. Et, primum, agit de studiis doctrinae, quae docet continere et ipsa vanitatis nonnihil, quod ea non sint, quae hominis animum satient; quod demonstrat exemplo sui. Nam, inquit, cum sapientiae studuissem, et in eo studio longo intervallo omnes superassem, tamen reipsa expertus sum laboris plurimum in eo, beatitudinis parum. LOQUUTUS SUM IN CORDE MEO, id est,

(1) PP. Matritenses addunt, fortasse ex propria interpretatione, verba haec: «Quasi diceret: Et quidem, ideo etiam tot studiosos sui habent mundi bona, quamvis vana, quia stultorum...» Quae, tamen, nec in codicibus D et A inveniuntur, nec ad sensum hujus periodi videntur necessaria.

mecum tacitus cogitavi. ECCE EGO MAGNUS EFFECTUS SUM; hebraice: MAGNIFICAVI, aut magnum feci, id est, magnos progressus in litteris feci. Unde addit: ET PRAECESSI OMNES SAPIENTIA, QUI ANTE ME FUERUNT IN HIERUSALEM, ET MENS MEA CONTEMPLATA EST MULTA SAPIENTER, ET DIDICIT. Et addit: ET DEDI COR MEUM UT SCIREM PRUDENTIAM, ERRORES ET STULTITIAM. Repetit enim, ut videtur, per expolitionem, verbis commutatis, ter eamdem sententiam. Primum: MAGNUS EFFECTUS SUM in sapientia. Deinde: Cor meum VIDIT MULTAM SAPIENTIAM. Postremo: ET DEDI COR MEUM, UT SCIREM PRUDENTIAM et disciplinam. Nec vero id sine causa repetit, sed quo significet, se omne doctrinae genus calluisse. Nam primum quod dicit, significat, ut apparet, scientiam rerum, quae supra nos sunt; ideoque, in eo verbo magnificandi usus est, quod ea cognitio, pro natura cognitarum rerum, magno et alto animo nos esse faciat. Alterum, vero, pertinet ad cognitionem naturae; in quo recte usus est videndi verbo, quod eas res liquidius cognoscamus. Postremum ad morum doctrinae studium spectat; in quo cordis mentionem, quo affectus significantur, jure fecit, quod ea Philosophiae pars non recte percipiatur, nisi ab iis, qui, quod attinet ad mores, bene animo sint affecti, ut Aristoteles docuit (1 *Ethic.*). Et quo id magis constet, addidit: et ERRORES ET STULTITIAM, quibus vitia significat, quorum cognitio ad Ethicem pertinet; nominat, autem, ea ERRORES ET STULTITIAM, aut, ut hebraice dicitur, INSANIAS ET STULTITIAS, quia sicut qui corporis morbis laborant, sanitate carent, sic qui vitiis, quae sunt animorum morbi, infestantur, insani sunt, ut Marcus Tullius in *Tusculanis* (lib. III) docuit praeclare.

Sequitur: ET COGNOVI, QUOD IN HIS QUOQUE ESSET LABOR ET AFFLICTIO SPIRITUS. Id est: Visum mihi est: non, enim, nunc plane sententiam fert, neque studia doctrinae damnat, nam ea infra cunctis rebus anteponit; sed declarat quid sibi aliquando visum fuerit, quidque sibi principio, quando se eis studiis dedit, accciderit, visa sibi tunc laboris plena, nec pro labore fructifera. Itaque, eo offensum se, uti statim dicet, ad studia delectationis vertisse, quibus, non degustatis tantum, sed plane haustis, mutata sententia, iterum revocasse ad sapientiam animum. Sed quare ita ipsi visum a primo fuerit, causam subjecit, dicens:

18.—Eo quod in multa sapientia, multa sit indignatio: et qui addit scientiam, addit dolorem.

Quae verba, alii aliter interpretari solent; sed nos eorum propriam vim explicemus, dicturi mox de eorumdem sententia. Quod noster INDIGNATIO, in Hebraeo כַּעַס; quod active et passive sumi potest: active, quod iram provocat, et tristitiae ac moeroris causam affert. Moyses in Cantico (*Deutor.*, XXXII): *Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum;* hebraice כַּעַס אויב, id est, ob eorum facta futura, quae mihi iram movere poterunt. Dicit, enim, sibi aliquando in animo fuisse tradere Judaeos inimicis ipsorum, eos ut funditus delerent; sed se continuisse, quod *eorum insolentiam* videret: fore enim, ut extincti Judaici nominis gloriam sibi arrogarent; quod ipsi molestissimum futurum erat et ingratissimum. Et in *Proverbiis* (XXVII): *Grave est saxum, et onerosa arena; sed ira stulti utroque gravior;* hebraice כַּעַס אויל active, scilicet, pro moroso stulti ingenio atque stupido, quo subinde mille indignationis atque irae causas affert. Illudque similiter (*Proverb.*, XXI): *Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa et iracunda.* Nam pro *iracunda*, quod noster posuit, כַּעַס, quod in hebraeo est, active sumitur, idque significat quod hispane *enojosa*, id est, ad lites crebro et ad iram irritante. Passive, porro, pro ira, qua quis afficitur ob alterius male facta, uti infra (cap. VII): *Melior est ira risu*, hebraice טוב כַּעַס משחוק. Et in *Psalmis* (psalm VI):

Turbatus est a furore oculus meus; כָּעַשׁ utrovis modo accipi potest: *a furore*, vel cujus ego tibi meis scelcribus causam attuli, vel quem in me severitas tua ac meae adversae res excitarunt. Atque haec de indignatione. Quod, autem, mox vertit dolorem, dicens: QUI ADDIT SCIENTIAM, ADDIT DOLOREM, id hebraice est: יוֹסִיף דָּאַג, quod proprie languorem significat et imbecillitatem, quae interdum sine doloris sensu esse potest.

Sed ait: EO QUOD IN MULTA SAPIENTIA, MULTA SIT INDIGNATIO: ET QUI ADDIT SCIENTIAM, ADDIT DOLOREM. Hieronymus, et Salonius, et Gregorius in Ezechielem (homil. X) sic: quo quis est doctior, eo se carere virtute et vitiis subjacere fert molestius. Itaque, indignationis vocabulum in bonam partem accipiunt; ut Paulus in illo (II *Corinth.*, VII), *Gaudeo, quod contristati estis ad poenitentiam*, et: *Est tristitia, quae salutem operatur.* Alii, sic: viros sapientes indignari dicunt, aliorum prava et flagitiosa vita perspecta; quae indignatio item honesta est, uti illa Davidis (psalm. CXVIII): *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei;* et alibi (psalm. LXVIII): *Zelus domus tuae comedit me, et opprobria exprobantium tibi ceciderunt super me.* Olympiodorus, autem, isto modo: quo quis sapientior est, eum, si peccaret, eo graviores poenas subiturum, Deumque ipsi futurum magis infensum, sicut scriptum est *(Lucae* XII): *Servus qui scit voluntatem Domini et non facit, plagis vapulabit multis.* Quod et Chaldaeus videtur sequutus, quippe qui sic: *Qui multiplicat sapientiam quando peccat, et non convertitur ad poenitentiam, multiplicat indignationem a Domino.* Possunt et haec dicta intelligi isto sensu: qui plurimum scientia excellunt, plurimum honoris sibi tribui velle; itaque facile indignari, cum sibi vel contradici ab aliis sentiunt, vel alios sibi praeferri vident. Nam excellenti doctrinae superbia affinis est, sicut scriptum est (I *Corinth.*, VIII): *Scientia inflat.* Inflati, vero, ac superbi, iidem sunt iracundi, quod alios sibi aequari aut praeferri

moleste ferant. Gregorius Ponti haec, ut puto, interpretatur simplicius; inquit, enim: Καὶ ποτὲ μὲν γνῶσιν ἔπεσθαι γνώσει δὲ πόνους ἑπακολουθεῖν (1). Nam sapientiae adipiscendae causa labores subeuntur maximi. Doctrinae, enim, eruditio neque parari potest, neque retineri sine maximo et valetudinis detrimento, et rei familiaris dispendio; quae, enim, in vita jucunda sunt, ea abjicienda sunt fere omnia. Omittendae sunt, quod Marcus Tullius scripsit *(Pro Coelio)*, omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, jocus, convivium, sermo etiam pene omnium familiarium deserendus. Quibus consentanea sunt, quae sequuntur.

(1) In exemplaribus PP. Matritens. additur versio latina Billii in hunc modum: «Ut sapientiam scientia sequitur, ita scientiae comites sunt labores.»

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT II

I. — Dixi ego in corde meo: Vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas.

Nam quia videbat versari se non posse in doctrinae studiis, nisi abdicatis a se prius studiis voluptatis, ideo ad studia delectationis convertit mentem suam, exploraturus, utrum in eis inesset id, quod quaerebat, bonum. Ex quo primum intelligitur, quam sit inconstans humanus animus, quando sua studia non defigit in Deo: nulla, enim, in re quiescit, sed cupiditatibus actus, pro eo atque illae variae sunt et multiplices, ac sibi ipsis saepe contrariae, sic et ipse aliud ex alio semper appetit; et ut qui febre aestuant, jactant se et locum subinde mutant, sic ejusmodi animus, aestu cupiditatum incensus, versat se in iis vitae bonis, atque aliud ex alio eligit, quod in nullo eorum ejus, quam quaerit, quietis et levationis ullam partem inveniat. Cujus rei exemplum apparet in Cain; quod et ipse de se fassus est, dicens (*Genes.*, IV): *Ecce ejicis me hodie a facie terrae, a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra.* Nam qui Deum deserunt, ii nusquam consistunt; sua, enim, mala mens exagitat ipsos, suae cupiditates requiescere non sinunt. Unde et in psalmo (XI) de impiis dicitur in circuitu ambulare ipsos, quod sicut per prona impulsus orbis devolvitur, et sicut rota, leviter impulsa, movetur celeriter; sic isti, nulla in re adepta quiescentes, aliud ex alio quaerunt semper. Praeterea, etiam ex hoc intelligitur, multis saepe accidere quod evenit Salomoni, ut exacta juventute in studiis virtutis, virilem aetatem, mutata sententia, in studiis voluptatis consumant. Sed Salomon, quamvis a

litteris ad voluptates defluxerit, tamen suum errorem agnovit, easque tandem descruit; nam dicit: ET VIDI QUOD ETIAM HOC ESSET VANITAS.

Ergo ait: DIXI IN CORDE MEO. Dicere in corde in iis Litteris, secum statuere significat ac sibi praecipere. Unde sequitur: VADAM, ET AFFLUAM DELICIIS. Nam haec futura pro imperativis ponuntur; hebraice, enim, ad verbum: VADE, OBSECRO, ET AFFLUE DELICIIS. Sic, enim, Salomon, cum animo suo loquens, hortatur ipsum: ET AFFLUAM DELICIIS; hebraice: TENTABO TE IN LAETITIA. Quasi dicat: vade, anime mi, et indulge voluptati; nam *tentare te*, id est, experiri tuum sensum volo, hoc est, volo experiri, utrum ea re satiatus conquiescas, utrum aviditati tuae sic fiat satis; vel certe experiar, utrum, congestis undique et cumulatis voluptatibus, explere cupiditates tuas possim. Quare recte latinus interpres id vertit: ET AFFLUAM DELICIIS; nam laetitia hoc loco in malam sumitur partem pro ea, quae ex corporea voluptate et e deliciis dedita vita percipitur. ET FRUAR BONIS.—Repetitio est ejusdem sententiae. Hebraice, ad verbum: ET VIDE IN BONO. Videre, enim, Hebraeis significat *frui*, ut liquet ex illo (psalmi CV): *Ut videamus in bonitate tua*, id est, ut fruamur iis bonis, quibus fruuntur servi tui. Et rursus (psalm. XXVI): *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Porro id, quod dicimus bonum, hebraice est טוֹב *tob*; quod et Hebraeis et Arabibus id proprie significat, quod dulcedinem conjunctam habet, id est, dulce et suave et voluptatis efficiens. Quare quod hic dicitur: ET FRUAR BONIS de iis intelligitur, quorum amore homines voluptarii capiuntur; quare Chaldaeus vertit: ET TENTABO TE IN LAETITIA, ET VIDEBO BONUM SAECULI HUJUS. Sequitur:

CAPUT II

I. — Dixi ego in corde meo: Vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas.

Nam quia videbat versari se non posse in doctrinae studiis, nisi abdicatis a se prius studiis voluptatis, ideo ad studia delectationis convertit mentem suam, exploraturus, utrum in eis inesset id, quod quaerebat, bonum. Ex quo primum intelligitur, quam sit inconstans humanus animus, quando sua studia non defigit in Deo: nulla, enim, in re quiescit, sed cupiditatibus actus, pro eo atque illae variae sunt et multiplices, ac sibi ipsis saepe contrariae, sic et ipse aliud ex alio semper appetit; et ut qui febre aestuant, jactant se et locum subinde mutant, sic ejusmodi animus, aestu cupiditatum incensus, versat se in iis vitae bonis, atque aliud ex alio eligit, quod in nullo eorum ejus, quam quaerit, quietis et levationis ullam partem inveniat. Cujus rei exemplum apparet in Cain; quod et ipse de se fassus est, dicens (*Genes.*, IV): *Ecce ejicis me hodie a facie terrae, a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra.* Nam qui Deum deserunt, ii nusquam consistunt; sua, enim, mala mens exagitat ipsos, suae cupiditates requiescere non sinunt. Unde et in psalmo (XI) de impiis dicitur in circuitu ambulare ipsos, quod sicut per prona impulsus orbis devolvitur, et sicut rota, leviter impulsa, movetur celeriter; sic isti, nulla in re adepta quiescentes, aliud ex alio quaerunt semper. Praeterea, etiam ex hoc intelligitur, multis saepe accidere quod evenit Salomoni, ut exacta juventute in studiis virtutis, virilem aetatem, mutata sententia, in studiis voluptatis consumant. Sed Salomon, quamvis a

litteris ad voluptates defluxerit, tamen suum errorem agnovit, easque tandem descruit; nam dicit: ET VIDI QUOD ETIAM HOC ESSET VANITAS.

Ergo ait: DIXI IN CORDE MEO. Dicere in corde in iis Litteris, secum statuere significat ac sibi praecipere. Unde sequitur: VADAM, ET AFFLUAM DELICIIS. Nam haec futura pro imperativis ponuntur; hebraice, enim, ad verbum: VADE, OBSECRO, ET AFFLUE DELICIIS. Sic, enim, Salomon, cum animo suo loquens, hortatur ipsum: ET AFFLUAM DELICIIS; hebraice: TENTABO TE IN LAETITIA. Quasi dicat: vade, anime mi, et indulge voluptati; nam *tentare te*, id est, experiri tuum sensum volo, hoc est, volo experiri, utrum ea re satiatus conquiescas, utrum aviditati tuae sic fiat satis; vel certe experiar, utrum, congestis undique et cumulatis voluptatibus, explere cupiditates tuas possim. Quare recte latinus interpres id vertit: ET AFFLUAM DELICIIS; nam laetitia hoc loco in malam sumitur partem pro ea, quae ex corporea voluptate et e deliciis dedita vita percipitur. ET FRUAR BONIS.—Repetitio est ejusdem sententiae. Hebraice, ad verbum: ET VIDE IN BONO. Videre, enim, Hebraeis significat *frui*, ut liquet ex illo (psalmi CV): *Ut videamus in bonitate tua*, id est, ut fruamur iis bonis, quibus fruuntur servi tui. Et rursus (psalm. XXVI): *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Porro id, quod dicimus bonum, hebraice est טוֹב *tob*; quod et Hebraeis et Arabibus id proprie significat, quod dulcedinem conjunctam habet, id est, dulce et suave et voluptatis efficiens. Quare quod hic dicitur: ET FRUAR BONIS de iis intelligitur, quorum amore homines voluptarii capiuntur; quare Chaldaeus vertit: ET TENTABO TE IN LAETITIA, ET VIDEBO BONUM SAECULI HUJUS. Sequitur:

2.—Risum reputavi errorem: et gaudio dixi: Quid frustra deciperis?

Amplificat quod dixerat, vitam voluptuariam inanitatis esse plenam; quod, enim, optimum in ea videtur esse vita, ridere atque laetari, id dicit tantum abesse ab eo, ut ejus gratia expetenda sit et studio prosequenda voluptas, ut risus sit error et gaudium res fallacissima. In quo debet adverti, hic non de quocumque gaudio agi, sed de eo, quod gaudent homines (1) voluptatibus dediti; id, enim, hic reprehenditur, et erroris atque inanitatis plenum esse dicitur. Nam est quoddam honestum et probabile gaudium, ut est, primum, id, quod e Spiritu Sancto oritur, itaque inter fructus Spiritus recensetur a Paulo *(Gal.*, III); deinde, id, quod modice quis gaudet, de quo Sapiens: *Vir sapiens vix tacite ridebit (Eccli.* XXI). Gaudium, igitur, quod asoti et voluptuarii gaudent, quod est immodicum et effusum gaudium, vocaturque cachinnatio, ore diducto et elato vocis sono quod fit, id jure hic a Salomone reprehenditur: tum ob id, de quo gaudetur, non enim turpia quae sunt laetabilia esse possunt, itaque qui ob ea laetantur, eos Sacra Scriptura damnat, sic inquiens *(Prov.* II, XIV): *Qui laetantur, cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis;* tum ob effusum in cachinnos laetitiae modum, quod ille oris gestus vocisque sonus viro gravi sit indignus, de quo illud certe est *(Ecclesiastes*, VII): *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti*, et alibi *(Ecclesiastici* XXI): *Fatuus in risu exaltat vocem suam.* Agere, porro, ipsum de hujusmodi modico (*sic*) et turpi risu vel ex eo constare potest, quod in hebraeo ad verbum sic: RISUI DIXI INSANIENS, AUT INSANIRE FACIENS. Nam, certe, ille oris habitus, qui in effuse

(1) PP. Augustiniani Matritenses id ita exponunt: «*Gaudere gaudium* eo sensu dicitur, quo *vivere vitam.*»

ridenti conspicitur, insani hominis animus esse videtur. Quod ipsum non male et Interpretes graeci expresserunt, vertentes: RISUM VOCAVI CIRCULATIONEM; id, autem, est, insaniam, quoniam insani caput atque corpus totum saepe rotant.

Quod, autem, sequitur: ET GAUDIO DIXI: QUID FRUSTRA DECIPERIS? significat in gaudio, quod ex corporea percipitur voluptate, deceptionem inesse maximam. Nam gaudet nemo, nisi ob ea bona, quae consequutus est, aut se certo consequuturum sperat: itaque, boni praestantis aut spes aut consequutio gaudii comes semper esse solet, quorum tamen neutrum in eo adest gaudio, quod voluptarii homines gaudent; ex quo efficitur, ut sit fallax et inane gaudium. E fallaci, enim, non ex vero consequuto gaudio laetantur; tantumque ab eo abest, ut eos bona aliqua spes foveat, ut acerbi luctus maximique moerores a tergo illos comitentur, sicut supra scriptum est *(Prov.*, XIV): *Extrema gaudii luctus occupat.* Quare in hebraeo optime: ET GAUDIO DIXI: QUID HAEC FACIS? quasi, gaudium allocutus, ita dicat: quare, o gaudium, tam laetaris atque gaudes? nam neque ex eo, quod adest, bono gaudendi causam habes; est, enim, fallax et caducum bonum: neque ex eo, quod speras, aut eventurum certe postea est, tam habes, cur laetere, quam cur moerore maximo intabescas. Sequitur:

3.—Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem, quid esset utile filiis hominum.

Vini vocabulum in Sacris Litteris ad corporeas atque venereas significandas voluptates transfertur, ut apparet in illo: *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Anteponit, enim, spirituales delicias corporeis voluptatibus, quas vinum merito nominat; quod sicut vinum, largius haustum, inebriat,

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sic voluptates istae a recto mentis statu homines movent, ex quo Poeta (1) venerem et vinum recte conjunxit:

Nec veneris, nec tu vini capiaris amore;
uno, namque, modo venus et vina nocent.

Igitur, Salomon, quia, ut modo dicebat, re ipsa didicerat in voluptuaria vita et in studiis delectationis nullum verum inesse bonum, ideo nunc dicit avocasse a deliciis animum, et ad studium sapientiae, quod abjecerat, iterum convertisse. Itaque, his verbis se ad meliorem conversum esse mentem declarat; declaratque eo modo, ut animi a peccato ad justitiam conversionis perfecta in illis imago exstet. In ea, enim, primum a malo receditur, anteactam detestando vitam; deinde, amore justitiae ad id, quod bonum est, animo acceditur; postremo, quod semel apprehensum bonum est, id constanter retinetur. De primo dicit cogitavisse secum, hoc est, decrevisse, a vino abstrahere carnem suam, id est, non amplius voluptatibus indulgere. De altero ait, id decrevisse, ut animum suum transferret ad sapientiam et devitaret stultitiam. De tertio, autem, ita subjicit: DONEC VIDEREM, QUID ESSET UTILE FILIIS HOMINUM; quo animi sui ac decreti firmitatem in semel suscepto sapientiae studio declarat. Porro, hoc loco Vulgata versio multum a graecorum Interpretum versione, et, ut nonnulli dictitant, ab hebraica distat veritate. Nam Graeci, contrario prope sensu, sic: CONSIDERAVI IN CORDE MEO, UT TRAHEREM CARNEM MEAM IN VINUM, ET COR MEUM DUXIT ME IN SAPIENTIAM, UT OBTINEREM STULTITIAM, DONEC VIDEREM, QUOD ESSET BONUM. Et Chaldaeus similiter: EXPLORAVI IN CORDE MEO AD PROTRAHENDUM IN DOMUM VINI CARNEM MEAM. Cum quibus hebraea concordare videntur; quae sic: COGITAVI IN CORDE MEO TRAHERE IN VINO CARNEM

(1) In exemplaribus PP. Matritens. legitur ad marginem: «Basilius. Vide, inter Epigrammata vetera, *De venere et vino.*»

MEAM, quibus significatur, non voluptates abjecisse, sed immersisse se in illis; itaque veteres, qui graecorum Interpretum versione usi sunt, acceperunt. Sed, certe, primum hebraea verti in eum sensum possunt, in quem illa noster convertit; בְּיַיִן enim *de vino*, aut *circa vinum* verti potest, quod ב Hebraeis nonnumquam pro *de* latino ponatur, et id, in quo actio versatur, significat *Exod.* XXXV, *Levit.* VIII. Itaque, circa vinum carnem suam tradere studuisse, quod dicit, idem est quod avocavisse dicere carnem suam, quantum ad vinum attinet, ab eo quod cupiebat, et ad honesti studium traxisse. Hispane: *Hiceme fuerza en el vino;* id, quod noster expressit. At obstant Graeci; nos illis, potius (1). Sed et il, quod sequerentur habuerunt; nam hebraea significationis sunt ambiguae, et id expresserunt, quod non abhorret a vero, quamquam id non uno omnes modo explicarunt. Quidam, enim, sic: Salomon primo studuit sapientiae; eo offensus, postea voluptati se dedit; hujus, deinde, vanitate perspecta, experiri voluit, utrumque simul quantum ad bene beateque vivendum valeret. Itaque, COGITAVIT IN VINO TRAHERE CARNEM SUAM, ET COR SEDUXIT ipsum IN SAPIENTIAM; id est, voluit atque decrevit sensu servire voluptatibus, animo atque mente vacare doctrinae studiis, hoc est, res diversissimas copulare decrevit. Fuerunt apud philosophos variae de summo bono sententiae: Stoici, in honestate et sapientia; Epicurus, in voluptate; in utroque simul, Callipho Dinomachusque extremum bonorum ponebant. Ergo Salomon Stoicorum viam ingressus primum, mox ad Epicuri partes deficiens, nunc tandem ad Calliphonis sectam deflectit, aut certe deflexisse se dicit; et e plurimis de ultimo bonorum fine sententiis, tres, suo quamque tempore, videtur sequutus, quarum duae simplices erant, tertia juncta atque duplex. Aliter Div. Hieronymus: COGITAVI, UT TRAHEREM IN VINO CAR-

(1) Ad haec PP. Matrit.: «Supple obstamus.»

NEM MEAM, ET COR MEUM DUXIT ME IN SAPIENTIAM; id est, cum decrevissem totum me trahere voluptati, me tamen mea mens, ab ea retractum, ad sapientiae studium perduxit. Aliis videtur, Salomon dicere, se prae nimio voluptatum studio, sua sapientia abusum, intendisse ingenium, quo excellebat, eas ut sibi pararet, quantae maximae esse possent. Quod, enim, ait: COGITAVI IN CORDE MEO TRAHERE IN VINO, id est, in voluptatem, CARNEM MEAM, ET COR MEUM DUXIT ME IN SAPIENTIAM, UT ORTINEREM STULTITIAM, sic explanant: et omnem artem adhibere, UT OBTINEREM, id est, ut perfecte compos efficerer STULTITIAE, hoc est, corporeae voluptatis, et ut ME nequitiae totum traderem; cui valde consentanea sunt, quae sequuntur. Sequitur, enim:

4.—Magnificavi opera mea; aedificavi mihi domos, et plantavi vineas.

Nam omnia ista, majoris voluptatis consequendae causa, summo ingenio a Salomone excogitata fuerunt, et mirabili arte constituta et perfecta, ut in libris *Regum* scribitur. Itaque, ait:

5.—Feci hortos et pomaria, et consevi e cuncti generis arboribus.—6.—Et extruxi mihi piscinas.

Piscinas vocat, quas Hispani *Albercas*, nomine ex hebraeo deducto; in quibus vel e fontibus derivatae, vel e puteis eductae, continentur aquae, quibus sata irrigantur. Quare addit: UT IRRIGAREM SILVAM LIGNORUM GERMINANTIUM. Sed pergit ea recensere, quae sibi paravit, dum suis cupiditatibus obsecundat.

7.—Possedi servos et ancillas, multamque familiam habui.

Familiae nomine intelliguntur vernae, ut ex hebraeo liquet, in quo sic: POSSEDI SERVOS ET ANCILLAS, ET FILII DOMUS FUERUNT MIHI; sic, enim, Hebraei vernas appellant, pertinetque id ad domus ac divitiarum amplitudinem; ex quo, ille ditis examen domus vernas vocat. Sed addit: ARMENTA, QUOQUE, ET MAGNOS OVIUM GREGES, ULTRA OMNES, QUI FUERUNT ANTE ME IN HIERUSALEM. Haec quanta fuerint, e tertio libro historiae *Regum* cognoscere licet; et similiter, quae sequuntur:

8.—Coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias Regum atque Provinciarum.

Pro substantia hebraicum סְגֻלָּה peculium significat; eo, porro, Olympiodorus intelligit tributa (1) et vectigalia, quae penduntur regibus. Nam ea auxisse Salomonem constat, et graviora populis imposuisse, quam suus Pater; ex quo illae populi voces adversus Roboamum, Salomonis filium (III *Reg.*, XII): *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis.* Ego existimo eo significatam regiam supellectilem, hispane: la *recámara*. Pergit, porro: FECI MIHI CANTORES ET CANTATRICES ET DELICIAS FILIORUM HOMINUM, SCYPHOS ET URCEOLOS AD VINA FUNDENDA. Pro scyphis et urceolis alii: CAPTIVOS ET CAPTIVAS, quibus significari dicunt bello captas formosas mulieres; et sane, vocabula hebraea varie interpretari possunt, sed Chaldaeus cum nostro consentit. Sequitur:

(1) Codex D: *bruta*, certe pro *tributa*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

9.—Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem; et sapientia quoque perseveravit mecum.

Quaeritur, quem habeat sensum quod dicit: ET SAPIENTIA PERSEVERAVIT MECUM? Nam in tanta deliciarum copia, et in vita tot cupiditatibus dedita, nullus locus relinqui videtur sapientiae. Quidam ita distinguunt: sapientiam aliam esse coelestem, quam Jacobus (III) pudicam esse dicit, et pacificam et modestam; aliam, autem, mundanam, quam idem animalem et diabolicam nominat: prioris generis sapientiam, quo tempore Salomon voluptatibus se immersit, non perseverasse cum ipso; perseverasse mundanam, quae in cognitione rerum atque naturae versatur. Huic interpretationi favent hebraea, quatenus non simpliciter sapientiam nominant, sed Salomonis sapientiam; sic, enim, se habent: ET SAPIENTIA MEA PERSEVERAVIT MECUM, quod ad hanc, quam mundanam vocat, spectare videtur. D. Hieronymus contra legit, ut apparet: ET ME DESERUIT SAPIENTIA; nam paraphrasi hunc explanans locum, sic scribit: «Sed quanto ista crescebant, tanto sapientia decrat.» Et Gregorius Ponti similiter; nam dicit: Εἶτα συνέβαινε, τὰ μὲν τῆς σοφίας μοι ἐλαττοῦσθαι, πλησθῆναι δὲ τὰ τῆς οὐκ ἀγαθῆς ἐπιθυμίας (1). Ex quo est verosimile ipsos ἀπέστη legisse pro ἐστάθη, apud hujus libri graecos Interpretes. Sed, certe, exemplaria omnia, tum hebraea, tum graeca, constanter legunt: ET SAPIENTIA PERSEVERAVIT MECUM; et perspicuum est, non de ea sapientia Salomonem agere, quae cum justitia conjuncta est, quaeque est vera sapientia, sed eo dicit in mediis voluptatibus retinuisse sapientiam, primum, quod vigeret consilio, ut Olympiodoras ait, et populos subditos

(1) PP. Matritens. transcribunt hujus textus versionem latinam ex Billio, sic: «Hinc autem contingebat, ut mihi et sapientia imminueretur, et vitiosa cupiditas crescerot.»

sapienter regeret; deinde, quod voluptatum studium atque cupido non extinxit in ipso rationis lumen id, quo, quem in locum dejecisset se, postea vidit et animadvertit. Aut, sine dubio, hoc Salomon dixit eo, quem supra diximus, sensu, quo significaret se abusum fuisse ingenio ac sapientia sua in amplificanda voluptate. Sequitur:

10.—Et omnia, quae desideraverunt oculi mei, non negavi eis: neque prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in iis, quae praeparaveram.

Ne singula recensendo, quae, voluptatis parandae causa, fecerat, sit justo prolixior, generali sententia complectitur universa. Itaque, dicit: OMNIA, QUAE DESIDERAVERUNT OCULI MEI, NON NEGAVI EIS; ubi oculi pro desiderio, vel potius pro cupiditate et libidine in malam partem ponuntur. Quare statim: NEQUE PROHIBUI, inquit, COR MEUM, QUIN OMNI VOLUPTATE FRUERETUR. Quia, enim, rex erat, et opulentissimus rex, nihil obstabat ipsi, quominus quoties vellet, et quantum vellet, voluptatibus indulgeret. Nec, vero, sine causa addit: ET OBLECTARET SE IN HIS, QUAE PRAEPARAVERAM. Nam saepe contingit, ut qui in adipiscenda voluptate laborant, id postquam consequuti sunt, quod sperabant voluptati futurum sibi, pro sperata voluptate dolores maximos capiant. At hunc sua non fefellit spes, sed voluptas voluptati fuit ipsi, ut commemorat. Commemorat, autem, ob eam causam, ut in judicio, quod de voluptaria vita postea profert, intelligatur sequutus in judicando, non eventum, sed ipsam rem. Sed pergit: ET HOC RATUS SUM PARTEM MEAM, SI UTERER LABORE MEO. Pars hic pro utilitate atque commodo. Nam, quia terrae Hebraeis promisae regio in duodecim partes divisa fuit, quarum partium singulas singulis eorum familiis Deus dedit, eos quando misit in possessionem illius; idcirco, vocabulum *pars* pro haereditate in Sacris ponitur Litteris, et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ex eo ad id significandum transfertur, in quo quis collocatum habet vitae suae oblectamentum atque subsidium. Sic in Psalmo quodam (XV) scribitur: *Dominus pars hereditatis meae;* et in alio (LXXII) eodem in sensu: *Pars mea, Dominus in aeternum.* Ratus est, igitur, Salomon partem suam esse voluptatibus perfrui, id est, arbitratus est in carpenda voluptate vitam beatam esse sitam; in quem illum errorem voluptates induxerunt suae. Sed revocasse tandem se, rerum, quas adamabat, inanitate perspecta, ipse demonstrat. Nam addit:

II.—Cumque me convertissem ad universa opera, quae fecerunt manus meae, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole.

Ex omnibus, quae homines, voluptatibus deditos, ab errore suo revocare possunt, et ad honesti studium traducere, quae multa sunt, et, si rite considerentur, valde efficacia, eo se potissimum inductum fuisse dicit ad eas deserendas: quod, praeterquam quod curas et moerores saepe afferunt, diuturnae non sunt, sed citissime semper intereunt; itaque, maximo labore partae, quando teneri creduntur, evanescunt. Hac, enim, ratione et alibi saepe Sacrae Litterae humanorum studiorum inanitatem ostendunt, quod mortalia cuncta sint, et brevi extinguantur omnia; Job (XIV) humanae vitae miseriam ejus declarat inconstantia et interitu: *Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet*, et David in psalmo (CXLIII) eodem utitur argumento: *Homo*, inquit, *vanitati similis factus est.* Cur ita? quia *dies ejus sicut umbra praetereunt.* Et homines peccatores, quo ostendatur quam miseri sint, dicuntur instabiles ferri, et tandem extingui; David in psalmo (I): *Non sic impii, non sic; sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae.*

Et ipsi de se, apud Sapientem (*Sap.*, V), sic dicunt: *Et nati, continuo desinimus esse;* et alio in loco: *Spes impii, tamquam lanugo, quae a vento tollitur.* Contra justi, quo intelligatur quanta sit illorum felicitas, aeterno permanere dicuntur: *Justi*, inquit (*Sap.*, V), *in perpetuum vivent, et apud Dominum merces eorum.* Itaque, quae intereunt, inania sunt; quae sempiterno durant tempore, vera sunt et solida bona: et causa est in promptu, quia quod non est, id certe nullius putatur esse pretii; quae, autem, interire possunt, quamdiu sunt, ad interitum tendunt, id est, se nullius pretii futura esse testantur. ET VIDI, inquit, IN OMNIBUS VANITATEM ET AFFLICTIONEM ANIMI, ET NIHIL PERMANERE SUB SOLE. Nam ferri utcumque poterat, molesta interdum ea esse, quod neque parari sine cura possunt, neque parta sine labore tueri; si, tamen, perennia essent, et semel habita possideri semper possent. At quis ferat, quae tam magno parantur evanescere et avolare tam cito? Id, ergo, quoniam Salomon vidit, animi sui studium iterum ad sapientiam convertit. Itaque, ait:

12.—Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque et stultitiam. (Quid est, inquam, homo, ut possit sequi Regem, factorem suum?)

Pro TRANSIVI, in hebraeo: FACIEM MEAM ITERUM CONVERTI, RESPEXI. Ex quo intelligitur intermissum fuisse ab ipso, dum servivit voluptati, studium sapientiae. At illud, quod ait: QUID EST HOMO, UT SEQUI POSSIT REGEM, FACTOREM SUUM, quem sensum, quaeso, habet? Aut quomodo cum superiori conjungitur? Div. Hieronymus sic explanat: convertisse animum dicit ad contemplandam sapientiam, etsi videret Regis, hoc est, Dei sapientia quanta esset, assequuturum esse neminem. Alii dicunt reddere causam, quare, spretis iis, quibus studuerat, quibusque cunctos mortales superabat, deliciis, animum iterum ad sapientiam

appulerit; quippe vldisse nihil (1), quod arte fit, conferri posse cum eo, quod Deus operatur vel in minimis naturae rebus: se construxisse, verbi gratia, Deo templum magnificentissimo opere; id, vero, quantulum esse, cum eo collatum, quod Deus in coelo sibi construxit. Dicere, igitur, convertisse se ad studium sapientiae, iis spretis, in quibus, parandae delectationis gratia, tantum laboris insumpserat; quod vidisset, quid esset homo, ut REGEM, FACTOREM SUUM, sequi posset, id est, quod cognovisset, non esse mortalium conditionis Dei opes atque magnificentiam, vel minima ex parte, exaequare. Alii, autem, de hebraeo sic ista interpretantur: quia quid est homo, ut veniat post Regem, ut cognoscat quod jam fecerunt facientes? et de se rege Salomonem loquutum asserunt eo, videlicet, sensu, ut doceat tantum a se adhibitum studium in moralis disciplinae cognitione, quantum nemo umquam homo adhibuit adhibiturusve sit. Nam quis, inquit, est homo, qui veniat post Regem, id est, qui aeque, atque ego profeci, proficiat ipse, ut cognoscat quod jam fecerunt facientes? id est, in cognitione actionum humanarum. Sunt qui isto modo: et me iterum sapientiae dedi, quam videbam mecum perpetuo permansuram; opes, quas paraveram, et copias contempsi, quod sciebam fore, ut me illae desererent, et nesciebam ad quem, me mortuo, perventurae essent. Quoniam, inquit, quis est homo, qui veniat post Regem (2)? quod jam fecerunt ipsum, id est, quae ab ipso rege, id est, a me ipso facta et comparata sunt voluptatis et oblectationis

(1) PP. Matritens. id legunt aliis a codice D verbis, ita scilicet: *Quippe sensus est, nempe quia dicit se vidisse...;* quod sic ad marginem interpretantur: «Haec est, enim, ratio, quare hi dicunt, Salomonem dicere se animum ad sapientiam convertisse.»

(2) PP. Matritenses: «Hanc phrasim hebraeam latinam reddo», sic dicens: *Quoniam quis est homo qui veniat post regem in eo ipso, quod fecerunt manus ejus?* Orationis hujus intelligentia ea est quae proxime subjicitur.»

causa, ad quem, me mortuo, pervenirent? Sed et alii sic: sapientiam adamavi, voluptates sprevi, nec sprevi vero, quod earum mihi copia non suppeteret; nam quis est homo, qui veniat post Regem quod jam fecerunt ipsum? id est, quis unquam eorum, qui post me futuri sunt, plura ejus generis aut fecit aut congessit? Alii dicunt suo ipsum exemplo homines voluptarios, ut se revocent ad melioris vitae frugem, hortari, sic dicens: Tandem resipui et aliquando ab illis studiis emersi, quod si quis homo post Regem venit, id est, si quis hactenus me sequutus atque imitatus voluptatibus servit, is, quod jam fecerunt ipsum, id est, quod jam feci ego, et ipse faciat, meque in viam redeuntem imitetur. Alii, denique, eo referunt, ut iis, qui post futuri sunt, se profiteatur fore ducem in hoc vitae itinere, sinuoso atque lubrico, ne errent atque labantur, quasi sic diceret: Eo studiosius incubui sapientiae, ut et aliis rectum vitae iter demonstrare possem, quod de me conjecturam faciens, plane videam neminem mortalium futurum, qui non qua ego in re lapsus fui, in ea et ipse labatur, ei nisi quis veri lumen praetulerit.

Sed ut haec omnia probabiliter dici possint, tamen ipse puto et nostrum interpretem latine haec recte vertisse, et ea exponi posse simplicius atque commodius. Nam in עשוי *enallage* numeri videtur esse, vertique deberi *fecit ipsum*, et ad Regem, hoc est, ad Deum referri, cui non sine arcana ratione Sacrae Litterae saepe tribuunt verba multitudinis numero. Quod ergo hebraica, verbum de verbo conversa, sonant: UT VENIAT POST REGEM, QUOD JAM FECIT IPSUM, id commode noster convertit: POST REGEM, FACTOREM SUUM. Quibus verbis significasse Solomonem existimo, se convertisse ad studia sapientiae desiderio cognoscendi quid est homo, id est, cognoscendi quod officium, quaeve artes essent homine dignae. Nam hominis vocabulum pro hominis officio in hoc libro usurpatur, quale est quod in capite ejus ultimo dicitur: DEUM TIME, ET MANDATA EJUS CUS-

TODI: ET HOC EST OMNIS HOMO, id est, hominis proprium officium, hoc est, uti et hispane dici solet: *esto es ser hombre*. Itaque, dicere se comparanda sapientia voluisse cognoscere errores et stultitiam, id est, hominis mores, et majoris explicationis gratia addere: QUID, INQUAM, EST HOMO, id est, repetendo a communi contemplandi supra positum verbum, voluisse etiam contemplari, quod esset homini munus proprium, quodve officium, UT VENIAT POST REGEM FACTOREM SUUM, id est, ut eo functus, demereri sibi Deum possit, hoc est, possit in Dei amicitiam et familiaritatem venire. Sequitur:

13.—Et vidi quod tantum praecederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris.

Laudat sapientiam, cujus studium a principio voluptati postposuit. Ut, enim, sanitatis vis gratior est iis, quibus ex morbo ad sanitatem redire contingit; sic Salomoni, post graves vitae errores atque lapsus redeunti ad sapientiam, laetior quodammodo ipsa sapientiae species atque pulchrior videtur; itaque, cam laudat, sic dicens: TANTUM PRAECEDIT SAPIENTIA STULTITIAM, QUANTUM DIFFERT LUX A TENEBRIS. Sed videamus, lucis ac tenebrarum ratio et natura quae sit; sic, enim, melius quantum sapientia stultitiae praestet, ut praestare dicitur, intelligemus. Lux, prima rerum omnium extitit jussu Dei, nam ut prius coelum extiterit, tamen lux est, de qua primo dicitur *(Genes.* I): *Et dixit Deus: fiat lux. Et facta est lux;* sic a sapientia ducitur omnium rerum initium. Tenebrarum conditionis nulla fit mentio; sic, erroris sui atque culpae causam in Deum referre nemo potest. Luce, suus cuique color redditur; tenebrae, rerum discrimen tollunt: sic, sapientia verum a falso distinguit; stultitia, recti et pravi delectum non habet. Appetente luce, ferae sua latibula petunt; eaedem tenebris procedunt ad pastum capiendum S. S. E. (1) *(Psalm.* CIII): *Facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvae. Catuli leonum rugientes, ut rapiant a Deo escam sibi. Ortus est sol, et congregatae sunt, et in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum:* sic, statim atque sapientiae in animo lumen exoritur, vitia, quibus nihil magis ferum est, retro pedem referunt; eadem, autem, se efferunt et apparent, quandocumque stultitia dominatur. Lucis vocabulum in sacris Litteris transferri solet ad legem Dei, ut in illo *(Psalm.,* CXVIII): *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Ad ejusdem erga homines providentiam, ut in illo *(Psalm.,* XLIII): *Dextera tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis;* et in illo (Job, XXIX): *Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris.* Ad secundos eventus, ad gaudium atque laetitiam, ut in illo *(Prov.,* IV): *Justorum, autem, semita, quasi lux splendens, procedit usque ad perfectum diem*, id est, omnia laeta illis, plena gaudio, cuncta prospere et ex animi sententia. Contra, tenebrarum nomen transfertur ad culpam in Deum admissam, ad amissionem divinae gratiae, ad res luctuosas et adversas. Ad culpam, ut in illo *(Coloss.,* I) *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae;* et in illo (I Joann., II): *Qui dicit se in luce esse et fratrem odit, in tenebris est adhuc.* Ad animum Dei gratia vacuum, ut in illo *(Prov.,* IV): *Via impiorum tenebrosa,* id est, gratia destituta, et ideo: *nescivit, ubi corruant.* Ad res adversas, ut in illo *(Thren.,* III): *Me minavit, et adduxit in tenebras et non in lucem;* et in illo *(Esa.,* V): *Aspiciemus in terram, et ecce tenebrae tribulationis.* Cuncta, porro, ista ad quae lucis ad tenebrarum transferri dicimus nomina, sapientiae et stultitiae insunt pro eo, ad quod quaeque earum

(1) Ita in codice D, fortasse pro: *sicut scriptum est*, uti ea legunt PP. Matritenses.

refertur nomen, ea videlicet cuique. Nam in sapientia, inest custodia legis Dei; in errore et stultitia, transgressio. Sapientum, id est, justorum res Deus curat, impiorum spernit ac negligit S. S. E. *(Psalm.* XXXIII): *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Vultus, autem, Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Sapientia, autem, cum felicitate conjuncta est, et cum vita beata: *Longitudo,* inquit, *dierum in dextera ejus, in sinistra ejus divitiae et gloria.* Stultitiae, autem, error aguatus est, et ex eo adversae res et infelices eventus. Vere, igitur, ut lumen a tenebris, sic distat ab stultitia sapientia. Sed eam, porro, laudat ac dicit:

14.—Sapientis oculi in capite ejus: stultus, autem, in tenebris ambulat.

Simplicissime, sic: sapiens oculis praeditus est; stultus illis caret, et ideo in tenebris ambulat: sapientes vident, stulti caeci sunt. Nam quod dicit: SAPIENTIS OCULI IN CAPITE EJUS, id valet: sapiens habet oculos, quorum sedes est in capite; sed est oratio figurata, qualis illa: *et ore loquuta est.* Habere, autem, oculos dicitur figurate, id est, praestare judicio, rerum bonarum et malarum cognitione pollere, praeterita meminisse, futura providere, ratione duci, quo tendat, cognoscere. Sed Patres aliquanto aliter, nec uno modo omnes; omnes, tamen, vere et utiliter. Gregorius Ponti: IN CAPITE, id est, in sublimi sui parte et tanquam in specula; prospicit, enim, a longe quos virtutes atque vitia exitus habeant. Chaldaeus: SAPIENS CONTEMPLATUR IN PRINCIPIO ID, QUOD FUTURUM EST IN FINE. Alii: Habet IN CAPITE, quia in rerum coelestium semper cognitione et contemplatione versatur, qualis ille, qui scripsit: *Conversatio nostra in coelis est,* et iterum: *Quae sursum sunt quaerite, non quae super terram.* At stultus in pedibus, quia caduca tantum et terrena bona mente versat, quae bona tenebrae figurate nominantur, quod errorum tenebris eorum animos, qui se amant, involvunt; itaque, ob id IN TENEBRIS ambulare dicitur, ambulare, inquam, non stare tantum, aut tenebris circumfusus jacere, quo magis stultitiae vis ostendatur. Qui, enim, se loco non movent, etsi in tenebris sint, tamen nusquam offendunt; offendant, autem, iidem et corruant necesse est, iter si noctu faciant. Tales stulti sunt: nihil vident, in tenebris errorum versantur; omnia, tamen, miscent, omnia audent, impetrare a se, ut quiescant, non possunt; itaque, corruunt, et alia aliis sibi accumulant mala. Sequitur:

Et didici quod unus utriusque esset interitus.—15.—Et dixi in corde meo: Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest, quod majorem sapientiae dedi operam? Loquutusque cum mente mea, animadverti quod hoc quoque esset vanitas.

Suspicetur fortasse aliquis ex his verbis, Salomonem sententiam mutasse iterum, et sapientiae studium rursus ut inane abjecisse. Et, certe, ita nonnulli putarunt; sed ut ego judico, falso; et sane Hieronymus. Primum, enim, Gregorius Ponti, Olympiodorus mutasse animum non iudicari censent. Deinde, qui hunc librum de hebraeo graece interpretati sunt, sic ista vertunt, ut ex eis mutasse animum non possit intelligi. Quare ex eorum versione, latina versio illustranda et explananda videtur. Occurrit, enim, his verbis Salomon tacitae cuidam quaestioni, causam reddens, quare quod nunc tantopere laudat, ab ipso olim cognitum atque probatum, aliquando tamen abjecerit; vidit, enim, id a se quaeri posse. Itaque, ait se, cum studere sapientiae coepisset, ea ratione de sententia dimotum ad studia delectationis convertisse animum, quod sibi visum esset similiter evenire omnia sapienti et stulto, similiter interire, similiter post interitum utriusque memoriam

extingui. Quare judicasse, quod aliis praestaret sapientia, pro labore, qui studiis impenditur, haud fructuosum futurum (1); abjecisse, itaque, tunc ejus studium ob istam causam, quam inanem esse jam, re melius examinata, cognoscit. Quis, enim, sanus affirmet sapienti et stulto cuncta aeque evenire? ET DIDICI, inquit, QUOD UNUS ESSET UTRIUSQUE INTERITUS: id est, mihi, studia litterarum ingresso, occurrit sapientes aeque et stultos perire; aut, certe, quomodo graeci Interpretes de hebraeo ad verbum verterunt, aeque utrisque evenire omnia. Quod ut occurrit, DIXI IN CORDE MEO: SI UNUS EST STULTI ET MEI, id est, hominis sapientis INTERITUS, QUID MIHI PRODEST, QUOD MAJOREM SAPIENTIAE DEDI OPERAM? igitur, illud abjeci. At postea, LOQUUTUS CUM MENTE MEA, id est, omni ratione melius subducta, animaverti, QUOD HOC QUOQUE, id est, haec persuasio mea de sapientiae studio abjiciendo, quod sapiens cum stulto interiret, ESSET VANITAS, id est, esset impia atque falsa; et cur sit, causam subjicit, dicens:

16.—Non, enim, erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum...

Quibus verbis non affirmat, ut nonnulli parum considerate arbitrantur, neutrius memoriam permansuram; sed negat, potius, utriusque memoriae eumdem futurum exitum; sapientis, enim, memoriam perpetuam futuram; stultorum, vero, cito extinguendam. Itaque, non dicit: non erit memoria et sapientis et stulti in perpetuum; sed ait: MEMORIA SAPIENTIS NON ERIT SIMILITER UT STULTI, id est, non erit similis; quod ex hebraeo perspicitur, in quo sic

(1) PP. Matritenses: «Hoc sic intellige: Quare ait Salomon se judicasse, se praestare aliis sapientia nullum fructum sibi allaturum fore pro labore, qui studiis impenditur; hoc est, judicavit hunc laborem fructu vacuum futurum esse.»

ad verbum: QUONIAM NON EST MEMORIA SAPIENTI CUM STULTO, id est, qualis stulto, nam hebraeum עִם, id est, *cum*, quae conjungit, ea inter se saepe confert, et pro hebraico כ sumi potest, ut apparet in psalmo LXXII: *Et timebunt te cum sole*, id est, tamdiu te timebunt, quamdiu sol erit. Itaque, perinde hoc est, ac si diceretur hispano: *No es la memoria de el sabio juntamente con la del necio, ésto es, como la del necio.* Et subjicit in eamdem sententiam: ET FUTURA TEMPORA OBLIVIONE CUNCTA PARITER OPERIENT. Nam repetenda est a communi superior negatio isto, scilicet, modo: NEQUE FUTURA TEMPORA OBLIVIONE CUNCTA PARITER OPERIENT. Nam sapientes vigebunt S. S. E. (*Sap.* V) (1): *Tamquam stellae in perpetuas aeternitates;* et *justi in aeterna memoria erunt*, ut commemoratur in psalmo (CXI), stultorum vero laus extinguetur. Et similiter in eo, quod sequitur: ET MORITUR DOCTUS PARITER CUM INDOCTO. Repeti, enim, a communi negatio debet, ut sit: neque moritur, uti ego falso credebam, doctus pariter cum indocto; illius, enim, mors pretiosa est, hujus autem pessima, ut in psalmis (XXXIII, CXV) scribitur. Unde et in hebraeo hic לֹא vocula additur, quae rogandi vim habet; itaque, vertas licet: ET QUOMODO MORITUR SAPIENS CUM STULTO? quasi dicat: et quomodo verum sit, quod ego falso putabam, aeque utrosque interire? Et, sine dubio, Paraphrastes Chaldaeus, quem ego hactenus sequutus sum, eumdem sensum persequitur; sic, enim, dicit: NAM NON EST MEMORIA SAPIENTIS CUM STULTO IN SAECULO VENTURO, ET POST MORTEM VIRI ID, QUOD FUIT JAM IN DIEBUS EJUS, CUM VENERINT DIES, QUI FUTURI SUNT POST EUM, OMNE INVENIETUR. ET QUOMODO DICENT FILII HOMINUM, QUOD FUTURUS SIT FINIS JUSTI SICUT FINIS PECCATORIS? Quibus consentanea sunt, quae sequuntur.

(1) Sic, sed textus pertinet ad *Danielem* (XII, 3).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

17.—Et idcirco taeduit me vitae meae, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus.

Id est, ut vidi sine causa sapientiam abjecisse me, quod aeque omnia sapientibus ut stultis evenire falso putassem, statim *taeduit me vitae meae*, id est, ut in hebraeo dicitur, ODIVI VITAM, eam, scilicet, quam in voluptate posuerat, cum se deliciis totum dedit; ET VIDI MALA ESSE UNIVERSA SUB SOLE, scilicet, universa, quae, dum cupiditatibus suis serviit, oblectationis causa paraverat; nam in hebraeo: QUONIAM MALUM MIHI OPERA, QUAE FECI SUB SOLE, ET QUONIAM OMNIA VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS. Et sequitur:

18.—Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus haeredem post me.—19.—Quem ignoro, utrum sapiens, an stultus futurus sit...

Nam reddit aliam causam, quare opera sua, ea, scilicet, quae voluptatis amplificandae causa fecit, detestatus tandem sit; quareque, repudiatis illis omnibus, se iterum converterit ad studia sapientiae. Causa, autem, est, quod ignoraret quali haeredi ea omnia relicturus esset. RURSUS, inquit, id est, etiam ob istam causam, DETESTATUS SUM quae feci, id est, domos, quas extruxi; pomaria, quae consevi; thesauros, quos congessi: quod ea relicturus sum alteri, fortasse stulto et ingrato et qui, quae ego summo studio paravi, per luxuriam dissipabit ipse. Unde sequitur: ET DOMINABITUR IN LABORIBUS MEIS, QUIBUS DESUDAVI, ET SOLLICITUS FUI. ET EST QUIDQUAM TAM VANUM? Id est, quo nihil est vanius. Quare addit, quod sibi ob eam rem factu visum est, convenientissimum esse. Nam infert:

20.—Unde cessavi, renunciavitque cor meum ultra laborare sub sole.

Id est, errore meo cognito, ab ejusmodi laboribus destiti, quos in aedificando et in re augenda suscepi maximos. Et causam reddit eamdem, quam supra; sed eam explicat accuratius, sic dicens:

21.—Nam cum alius laboret in sapientia et doctrina et sollicitudine, homini otioso quaesita dimittit: et hoc quoque vanitas et magnum malum.—22.—Quid enim proderit homini de universo labore suo et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?

QUID PRODERIT, id est, quid reliqui hominibus esse poterit, aut, ut in hebraeo, QUID EXISTET ILLI; hispane, *qué le queda?* quasi ita dicat: Ideo ineptum duco, summa industria partis opibus, parcere eis, ut alius per otium fruatur, quia ejus industriae fructu non is potitur, qui congessit, sed is, ad quem pervenerunt. Et enarrat quanto cum labore parantur, quo sic magis constet, quam sit ineptum eorum, qui ista parant, studium. Nam dicit:

23.—Cuncti dies ejus doloribus et aerumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit. Et hoc, nonne vanitas est?

Id est, dies noctesque se cruciat, et inutile labore conterit, ut alius postea in utramque aurem securus dormiat; quod, est sane stultissimum. At quod sequitur, quid?

24.—Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animae suae bona de laboribus suis? Et hoc de manu Dei est.

Quid, enim, his sibi vult? Nam asoti ista solent, ex quorum Paulus persona: *Comedamus et bibamus; cras,*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

enim, moriemur. Et alibi (Sap. II): *Fruamur bonis quae sunt, coronemus nos rosis, et non praetereat nos flos temporis*. Quidam in his non probari luxuriam, sed commendari modicum divitiarum usum affirmant; idque in comparatione ad avaros, qui, quo opibus parcant, suum genium defraudant. Ipse magis probo haec per occupationem dici, et tamquam ex aliorum persona; quod item Olympiodoro videtur, cui etiam in eo sensui suffragantur hebraea, in quibus ad verbum: NON BONUM IN HOMINE, QUOD COMEDAT ET BIBAT, ET OSTENDAT ANIMAE SUAE BONUM, id est, nec etiam est bonum luxuriari opibus; quasi dicat: non, autem, quia avaritiam damno, ideo credi debeo luxuriam probare aut in divitiarum profuso usu felicitatem reponere. Nam, certe, ea dono Dei conceditur hominibus, non intemperantia voluptatum adquiritur. ET HOC, inquam, UT VIDI, DE MANU DEI EST. Quod vel ex me ipso discere licet. Nam:

25.—Quis ita devorabit, et deliciis affuet ut ego?

Vel ut hebraice, verbum de verbo: QUONIAM QUIS COMEDET, ET QUIS SENTIET EXTRA PRAE ME? Ut si in usu istorum bonorum felicitas sita esset et vita beata, ego futurus essem beatissimus omnium. Sed, certe, in hoc sita non est, sed in sapientia cum virtute conjuncta; quae et donum Dei est, et eam laetitia vera comitatur, sicuti contra peccatores homines sequitur miseria, et afflictio, et cura superflua. Siquidem:

26.—Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam et scientiam et laetitiam: peccatori, autem, dedit afflictionem et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei, qui placuit Deo. Sed hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis.

CAPUT III

I.—Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub coelo.

Quod superiori capite Salomon confirmaverat, studium, quod posuerat in voluptate atque copiis, verae sapientiae, cui a principio studuerat, amore postposito, vanum et inutile fuisse, idem adhuc urget et aliis atque aliis argumentis confirmat. Ac, primo, id ex eo docet, quod nulla sit ejus generis res, qua homo per totam suam vitam frui aut debeat aut possit, quod earum quaelibet suum sibi tempus atque opportunitatem vindicet, quae, ubi praeterierit elapsaque fuerit, usui esse desinat, et aliae aliis invicem sibi succedant, et his decedentibus, aliae contrariae superveniant, caeque incipiant esse gratae, prioribus spretis atque contemptis. In quo et rerum ipsarum inanitas declaratur, et vero ostenditur noster error, qui versare nosmet in hac inconstantia rerum malumus, et his inanissimorum studiorum fluctibus quotidie aliud ex alio appetendo agitari, quam in eo nostra studia defigere, quod unum atque idem semper est, quodque ad omnes usus atque casus, ad omniaque tempora est mirabiliter aptum. OMNIA, inquit, TEMPUS HABENT; quasi dicat: etiam ex hoc intelligetis, quam ista bona terrena et caduca bona vana sint, quod eorum nullum ad omnes opportunitates temporum utile et conveniens esse potest, sed eorum cuique sua est opportunitas definita. OMNIA TEMPUS HABENT; hebraice: OMNIBUS TEMPUS DETERMINATUM ET TEMPUS OMNI VOLUPTATI SUB SOLE, quo significat ista bona non solum suis ac definitis temporum spatiis singula terminari; sed ea nostro

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

enim, moriemur. Et alibi (Sap. II): *Fruamur bonis quae sunt, coronemus nos rosis, et non praetereat nos flos temporis*. Quidam in his non probari luxuriam, sed commendari modicum divitiarum usum affirmant; idque in comparatione ad avaros, qui, quo opibus parcant, suum genium defraudant. Ipse magis probo haec per occupationem dici, et tamquam ex aliorum persona; quod item Olympiodoro videtur, cui etiam in eo sensui suffragantur hebraea, in quibus ad verbum: NON BONUM IN HOMINE, QUOD COMEDAT ET BIBAT, ET OSTENDAT ANIMAE SUAE BONUM, id est, nec etiam est bonum luxuriari opibus; quasi dicat: non, autem, quia avaritiam damno, ideo credi debeo luxuriam probare aut in divitiarum profuso usu felicitatem reponere. Nam, certe, ea dono Dei conceditur hominibus, non intemperantia voluptatum adquiritur. ET HOC, inquam, UT VIDI, DE MANU DEI EST. Quod vel ex me ipso discere licet. Nam:

25.—Quis ita devorabit, et deliciis affuet ut ego?

Vel ut hebraice, verbum de verbo: QUONIAM QUIS COMEDET, ET QUIS SENTIET EXTRA PRAE ME? Ut si in usu istorum bonorum felicitas sita esset et vita beata, ego futurus essem beatissimus omnium. Sed, certe, in hoc sita non est, sed in sapientia cum virtute conjuncta; quae et donum Dei est, et eam laetitia vera comitatur, sicuti contra peccatores homines sequitur miseria, et afflictio, et cura superflua. Siquidem:

26.—Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam et scientiam et laetitiam: peccatori, autem, dedit afflictionem et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei, qui placuit Deo. Sed hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis.

CAPUT III

I.—Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub coelo.

Quod superiori capite Salomon confirmaverat, studium, quod posuerat in voluptate atque copiis, verae sapientiae, cui a principio studuerat, amore postposito, vanum et inutile fuisse, idem adhuc urget et aliis atque aliis argumentis confirmat. Ac, primo, id ex eo docet, quod nulla sit ejus generis res, qua homo per totam suam vitam frui aut debeat aut possit, quod earum quaelibet suum sibi tempus atque opportunitatem vindicet, quae, ubi praeterierit elapsaque fuerit, usui esse desinat, et aliae aliis invicem sibi succedant, et his decedentibus, aliae contrariae superveniant, caeque incipiant esse gratae, prioribus spretis atque contemptis. In quo et rerum ipsarum inanitas declaratur, et vero ostenditur noster error, qui versare nosmet in hac inconstantia rerum malumus, et his inanissimorum studiorum fluctibus quotidie aliud ex alio appetendo agitari, quam in eo nostra studia defigere, quod unum atque idem semper est, quodque ad omnes usus atque casus, ad omniaque tempora est mirabiliter aptum. OMNIA, inquit, TEMPUS HABENT; quasi dicat: etiam ex hoc intelligetis, quam ista bona terrena et caduca bona vana sint, quod eorum nullum ad omnes opportunitates temporum utile et conveniens esse potest, sed eorum cuique sua est opportunitas definita. OMNIA TEMPUS HABENT; hebraice: OMNIBUS TEMPUS DETERMINATUM ET TEMPUS OMNI VOLUPTATI SUB SOLE, quo significat ista bona non solum suis ac definitis temporum spatiis singula terminari; sed ea nostro

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

animo non semper facere satis, neque suavia nobis videri semper, sed sicuti ipsa brevi finiuntur, sic eorum in nobis cupiditates etiam finiri solere, ac rebus ipsis eisdem manentibus, animum saepe mutari nostrum vel satietate vel certe aetate. Ex quo, est illud Poetae:

Omnia fert aetas, animum quoque; saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.

Sed pergit:

2.—Tempus nascendi, et tempus moriendi. Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantantum est.

Quod universe proposuit, omnia tempus habere, id pluribus, sigillatim enumeratis, rebus confirmat. Ac, primo, dicit, id perspici in ortu rerum et interitu: nam neque vitam producere, semper juvat; neque mori, acerbum semper est aut incommodum. Et similiter inquit:

3.—Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus destruendi, et tempus aedificandi.—4.— Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi, et tempus saltandi.—5.—Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus...

Et caetera, quae in eamdem sententiam sequuntur. Quae omnia Hebraei, ut Hieronymus dicit, ad ea referunt (1), quae suae reipublicae acciderunt, quam laetarum atque tristium rerum alternata series varias ut fortunae vices subiret, fecit. Sed universe magis ea accipi deberi videntur, itaque nostris videtur. Sequitur porro:

(1) Codex D mendose: *refert*.

9.—Quid habet amplius homo de labore suo.—10—Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea.

Huc, enim, spectabant superiora omnia; quare est, ac si dicat: Cum, igitur, omnia, quae sub sole geruntur, ejusmodi sint, ut nihil eorum semper usui esse possit, sed brevi horae momento praeteriens statim alteri locum cedat, qui, quaeso, fructus e rebus adeo fugacibus et in tanta varietate et vicissitudine positis capi possit? Nullus, certe, vitae beatae fructus, nulla ex eis solida voluptas capiatur; ad moerores potius inducendos et ad animi acerbos luctus valebunt. DEDIT, ENIM, EA DEUS FILIIS HOMINUM, UT DISTENDANTUR IN EA, id est, ut eis se divexent ac torqueant. Nam pro distendatur, verbum רִצָּנוּת, quod ponitur in hebraeo, proprie significat humiliare et affligere; ex quo distendere noster, ut videtur, posuit pro vexare et torquere, quod sit tormenti genus in quo corpus distenditur. Sed qui verum sit haec hominibus dedisse Deum, ut distenderentur in eis? Is, enim, nemini praecipit, ut caducis studeat rebus, eum ut curae et angores sollicitent. Ad hoc respondeat fortasse aliquis, dici haec data esse hominibus a Deo, ut se torqueant in eis, ideo, quia id permittit certe Deus; sed verius dicetur, eo significari non quid Deus praecipiat aut velit, sed quam naturam istis rebus indiderit. Dedisse, enim, dicit illis eam naturam, ut mutarentur facile, ut celeriter fluerent, ut brevem voluptatis usum nobis darent, ut pararentur aegre et amitterentur facile, ut vexarent amatores suos atque torquerent, quo sic vel eos a se arcerent, vel certe, male collocati, amoris sui acerbas de ipsis poenas repeterent; id, quod Chaldaeus expressit, sic dicens: VIDI NEGOTIUM CASTIGATIONUM ET VINDICTAM, QUAM DEDIT DEUS FILIIS HOMINUM, QUI SUNT IMPROBI, UT AFFLIGANTUR IN EO. UT HUMILIARENTUR, in-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quit, IN EA.—Nam, cum alia animantia paucis rebus indigeant et paratu facillimis, ad vitam sine molestia et labore ducendam, unus homo vix multis potest idem assequi, ut deteriori conditione natum se esse cognoscens, se inferiorem ducat omnibus. Sequitur:

II.—Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.

Perobscura oratio, et non solum iis, quae dicta sunt, sed etiam ipsa sibi, ut videtur, contraria; itaque, eam alii aliter interpretantur, quorum ego nunc sententias referre nolo, sed id tantum dico, mihi quod verosimilius videtur (1). Dixerat, eam esse rerum visibilium naturam, Deo id ipsum volente, ut eos, qui se amarent, torquerent. Praestaret, ergo, quis dicet, eas nunquam fuisse conditas; cujus, enim, consilii fuit tot malorum fontes, tot moerendi atque peccandi causas in vitam invehere? Isti, igitur, querelae nunc consentanee respondet, dicens et affirmans eas res hominibus futuras utiles, eis si uterentur intra modum a ratione praescriptum, quem quia non servant, molestas eas et malorum effectrices maximorum esse, hominum vitio, scilicet, non autem ipsarum culpa rerum; itaque, inquit: CUNCTA FECIT Deus BONA IN TEMPORE SUO, aut, ut in hebraeo, יפה, id est, pulchra et decentia, hoc est, talia, ut si loco et tempore utaris, utilia sint et jucunda. Nec solum loco adhibita, utilia ut essent, fecit, sed etiam, inquit, ne quis recti carum usus inscientiam excusare posset, se scire non potuisset, dicens quantum studii illis et quatenus tribui deberet, huic etiam Deus malo praevidit: nam TRADIDIT MUNDUM DISPUTATIONI EORUM, aut, ut dicitur in hebreo, IN CORDE EORUM; id est, ejusmodi mundum condidit, ut earum rerum, quae in illo continentur, natura comprehendi possit humano ingenio, ipsique homini magnam cupiditatem indidit cognoscendi quae cujusque rei natura esset, et quantum amoris atque studii quaeque res sibi tribui postularet. Sed, inquit, ipsi homines nulla in re modum tenere sciunt, et hoc est quod addidit, dicens: UT NON INVENIAT HOMO, QUOD OPERATUS EST DEUS A PRINCIPIO USQUE AD FINEM. Illud, enim, *ut*, non ejus qui causam reddit, sed ejus est qui excludit ab eo, quo de agebat, aliquid; et pro *sed*, aut *nisi quod* ponitur. Itaque, ait: NISI QUOD HOMO sua culpa, dum aciem mentis intendere negligit, NON INVENIT OPUS, QUOD OPERATUS EST DEUS AB INITIO USQUE AD FINEM, id est, nihil eorum a minimo usque ad maximum exacte cognoscit, qui sit istarum diligendarum rerum limes ac terminus, sed perituris rebus ut perpetuis utque ipse perpetuo duraturus studet. Sequitur:

(1) In codice Biblioth. National. ita ad margin.: «Verosimilis sane et maxime consentanea auctoris expositio.»

12.—Et cognovi quod non esset melius, nisi laetari et facere bene in vita sua.—13.—Omnis enim homo, qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

Varie et hoc explanatur. Quidam, ex persona asotorum Salomonem loquutum putant. Div. Hieronymus ex sua persona loqui ipsum dicit; sed eo sensu, non ut luxum et profusionem laudet, sed ut frugalitatem et liberalem suarum rerum usum probet. Quo sensu Paulus scripsit (1. Tim., VI): *Habentes victum et vestitum, iis contenti sumus*; et rursus (1. Tim., IV): *Omnis Dei creatura bona est, quae cum gratiarum actione percipitur*. Sed neutra explanatio satis, ut mihi videtur, cum superiore oratione cohaeret. Quare ista, quidem, ex sua persona dicta a Salomone esse et ipse puto, ut putavit Hieronymus. Sed quo intelligatur, quo sint ab illo dicta sensu, adverti debet, ea esse

praecise dicta; deest, enim, orationi aliquid necessario supplendum. Nam quod ait: ET COGNOVI QUOD NON ESSET MELIUS, pro eo est, ac si plene diceret: QUOD NON ESSET MELIUS in eis, scilicet, de quibus loquor, hominibus, idque viderunt Graeci interpretes, quippe qui hoc loco posuerunt: Ὅτι οὐκ ἔστιν ἀγαθὸν ἐν αὐτοῖς, et hebraica similiter: כִּי אֵין טוֹב בָּם. Nam, quoniam dixerat homines, dum bonis rebus bene uti nesciunt, eas sibi vitio suo perniciosas sibi et pestiferas reddere; et cum earum cognoscere naturam possint, per socordiam malint in ignoratione bonarum malarumque rerum jacere ac versari, et pro aeternis amplecti peritura et caduca; consentanee nunc subjungit, qui tales sunt, nihil aliud praeter luxum in bonis ducere, beatae vitae fructum in istorum bonorum copia et eorum immodico usu ponere, ejusque rei gratia et a Deo condita esse, et sibi ab eodem data atque concessa putare atque dicere. ET COGNOVI, inquit, QUOD NON ESSET MELIUS IN EIS, scilicet, de quibus loquor hominibus, id est, cognovi illorum hominum opinione atque judicio nihil haberi melius, quam laetari, id est, se totos jucunditati dare. Nam hic laetari in malam partem accipitur: ET BENEFACERE IN VITA SUA. —BENE, non pro honeste hic accipi debet, sed pro jucunde et voluptuarie, cui est argumento, quod sequitur: OMNIS ENIM HOMO QUI COMEDIT ET BIBIT, id est, et vidi illos affirmare atque dicere omnem hominem, hoc est, universum hominis munus esse omneque illius bonum, comedere et bibere, et videre bonum de labore suo, quod hebraica sermonis proprietate significat, suo labore partis rebus uti unumquemque. HOC DONUM DEI EST; id est, et vidi illos dicere id naturale esse, et ob id a Deo, naturae rerum conditore, sibi concessum videri, uti certe censuerunt illi impii, quos Sapiens (*Sap.*, II) dicentes inducit: *Venite, utamur creatura* et caetera, *quoniam haec est pars nostra, et haec est sors nostra.* Sequitur:

14.—Didici quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in perpetuum: non possumus eis quidquam addere neque auferre, quae fecit Deus, ut timeatur.

D. Hieronymus sic: Deum, dum res a se creatas conservat, et aliis pereuntibus alias sufficit, suam providentiam ostendere; ex quo sequi, ut ipsum timeant et venerentur, quicumque curam gerere Universi ipsum vident. Recte haec atque vere; sed quomodo ad superiora pertineant, aut qua ratione cum illis conjungi possint, non apparet. Ergo id ut cognoscamus, quaeri primo debet, quae sint ista Dei opera, quae in perpetuum perseverare dicuntur. Nam quae generantur, eadem corrumpuntur; nec solum singula, sed etiam universa tandem aliquando interitura creduntur. Quidam de iis accipiunt, quae Deus sine alterius causae adminiculo facit, qualis prima materia, coelum, mentes angelicae, hominum animae, quae res certe sempiternae sunt; ita Lyranus et alii. Quidam, non quae in natura Deus fecit, sed quae, ad bonorum et malorum praemia pertinentia, Deus in alia vita facere statuit, de iis haec dicere Salomonem putant; quibus nonnihil hebraea suffragantur, quae verbo futuri temporis dicunt: ET DIDICI, QUOD OMNIA OPERA, QUAE FACIET DEUS. Et, certe, Chaldaeus ad istorum sententiam alludit, nam vertit: COGNOVI IN SPIRITU PROPHETIAE, QUOD OMNE, QUOD FACIET DEUS IN SAECULO FUTURO INTER BONUM ET MALUM, ID ERIT IN SAECULUM, ET IN TEMPORE IN QUO VENIET ULTIO IN SAECULO, DOMINUS IPSE EST, QUI FECIT, UT TIMEANT HOMINES A CONSPECTU EJUS. Quae mihi sententia vera esse videtur; itaque, hoc teneamus. Igitur, eum nunc errorem refellit, cujus modo meminerat, hoc est, erroris condemnat eos homines, qui omne suum bonum in voluptate constituunt, atque ita condemnat, ut ei morbo aptam adhibeat et congruentem medicinam. ET DIDICI, inquit, QUOD OMNIA

OPERA, QUAE FACIET DEUS, PERSEVERENT IN PERPETUUM, quasi dicat: at ego scio, quod isti falso contra putant, malae nunc actae vitae eos in alia vita poenas daturos sempiternas. Et ut intelligatur, quam id apte ad hos redarguendos intulerit, advertere oportet, homines voluptati et corpori immersos, eosdem esse solere impios, sibique persuadere nec animum hominis immortalem esse, nec Deum humana curare: fere, enim, semper contingit, ut asoti iidem sint ἄθεοι, semperque, quandocumque quis summum hominis bonum in corporis voluptate ponit, sequitur, ut idem existimet, corpore extincto, interire omnia. Cui rei argumento est, quod Epicurus, qui e Philosophis summum hominis bonum in corporis voluptate constituit, is et animos hominum extingui una cum corpore dixit, et providere negavit Deum humanis rebus. Quare et Paulus *ad Corinthios* (I, 15) ex istorum hominum persona scribit, sic dicens: *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur*, hoc est, omnino extinguemur. Nam, nisi se omnino extingui in morte crederent, non eo se excitarent ad voluptatem sectandam remis, quod dicitur, atque velis. Et in libro *Sapientiae* (II) sic impii loquuntur: *Quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tamquam non fuerimus.* A quo errore profecti, et illa consentanee subjungunt: *Venite, ergo, et fruamur bonis quae sunt, vino pretioso et unguentis nos repleamus, et non praetereat nos flos temporis.* Nam ex errore primo secundus est exortus error, et quia sibi persuaserunt animos esse mortales, ideo in voluptate corporea summum constituerunt bonum. Itaque, Sapiens ex sua persona subjecit: *Haec cogitaverunt, et erraverunt. Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiae, neque judicaverunt honorem animarum sanctarum*, id est, decreverunt se totos tradere voluptati, quia persuaserunt sibi nec bonis praemia, nec malis constituta esse supplicia, quod est nec curare humana Deum, nec animas sanctas, ubi e corpore excesserunt, in honore

esse, sed omnia morte extingui atque finiri. Ex quo constat, istos errores inter se esse conjunctos, et ex eo quod quis sibi persuadet animos esse mortales, ad id induci, ut omne suum bonum in hac vita constituat, ex eoque rursus fieri, ut hic error evelli non possit, nisi illi prius, a quibus ducitur, evellantur. Quare sicut auctor libri *Sapientiae*, loco supra citato (c. II), ad eorum errorem refellendum, qui in corporis voluptate summum constituunt bonum, immortalitatem animorum constanter affirmavit, dicens: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae;* et paulo post (cap. III): *Justorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiae. Visi sunt oculis insipientium mori: illi, autem, sunt in pace.* Sic Salomon, hoc in loco ad confutandam eorum insaniam, quos in cibo, et potu, et laetitia suum bonum posuisse dicebat, apte et consentanee eos errorum fontes, unde ista falsa persuasio oriebatur, excindit, asserens et animorum immortalitatem et Dei erga homines providentiam, itaque dicens: DIDICI QUOD OMNIA OPERA, QUAE FACIT DEUS, MANEANT IN PERPETUUM, quod ad ea opera pertinet, quae Deus sine alterius causae adminiculo facit, in quibus humanus continetur animus; et addens: NON POSSUMUS QUIDQUAM ADDERE AUT AUFERRE EIS, QUAE FECIT DEUS, UT TIMEATUR, quod pertinet ad declarandam Dei justitiam et, quam gerit, bonorum curam. Nam cum dicit: IN EIS QUAE FECIT DEUS, UT TIMEATUR, docet Deum humana curare, et prave facta punire; iis, enim, puniendis sui timorem in nobis excitat. Cum, autem, dicit: NON POSSUMUS EIS QUIDQUAM ADDERE AUT DETRAHERE, docet ejus judicia esse immutabilia, nec flecti posse quae semel ab illo decreta sunt, vel de sempiterna bonorum felicitate, vel de impiorum non finiendis supplicis. Unde consentanee in hanc sententiam adjungit:

15.—Quod factum est, ipsum permanet: quae futura sunt, jam fuerunt: et Deus instaurat, quod abiit.

Id, autem, est: QUOD FACTUM EST, quae semel a Deo vel contra impios vel erga pios sententia lata est, IPSUM PERMANET, ea sempiterno manebit: Et causam reddit, dicens: QUAE FUTURA SUNT, JAM FUERUNT, quasi dicat: eam ob causam rata manebit ea, quam Deus in homines sententiam feret, quia quae tunc statuet, jam ex tota aeternitate statuere decrevit. Vel, certe, ideo id manebit ratum, quia QUAE FUTURA SUNT, JAM FUERUNT, id est, quia quod quisque in futurum aut praemii accipiet, aut poenarum dabit, id in hac vita, bene maleve agendo, fuerat promeritus, uti ad Galatas Paulus (VI): *Quae seminaverit*, inquit, *homo, haec et metet.* Unde sequitur: ET DEUS INSTAURAT QUOD ABIIT, id est, quae praeteriisse putabantur prave facta, et quae ex omni memoria deleta esse impii homines arbitrabantur, quippe qui, ut scriptum est, dicebant (*Sap.* II): *Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum.* Itaque quae oblivione sepelienda censebant asoti atque impii, ea Deus instaurabit, cum illos, a mortuis excitatos, ac turpissimis flagitiorum suorum maculis notatos, in oculis omnium constituet. Quod, item, et erga pios similiter faciet, et instaurabit quod abiit. Quos, enim, male oppresserunt et contemptui habuerunt in hac vita, quosque perpetuae oblivioni traditos penitus abiisse crediderant, eos instaurabit, id est, ad immortalitatem atque gloriam, maximis praemiis coronatos, reducet. Sic, enim, hoc explanat Paraphrastes Chaldaicus; quod et ita esse intelligitur ex hebraico verbo, quod hoc ponitur loco, in quo, ad verbum, sic: ET QUAERET QUOD ABIIT. Quaerendi, autem, verbum Hebraei in bonam partem accipiunt, cum id significare

volunt, quod ex interitu ad vitam, et ab ignominia revocatur ad gloriam; non, enim, quaerimus, nisi quae amissimus, quaeque et chara habemus, et integra atque incolumia esse volumus atque cupimus, ut apparet in illo Jobi dicentis (III): *Deus non requirat illum desuper.* Loquitur, enim, de eo, in quo ipse natus est die, qui, quod infelicis atque aerumnosae vitae principium ipsi fuerit, male precatur, optatque eum ut Deus non requirat, id est, ut numerari ipsum inter caeteros nolit, sed deleat e rerum natura. Et apertius in illo (*Job*, VII): *Ecce nunc in pulvere dormiam, et si mane me quaesieris, non subsistam*, id est, si me ad vitam revocare et ad requiem volueris melioremque fortunam. Sequitur:

16.—Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiae iniquitatem.

Posteaquam docuit, quanta in vita voluptuaria vanitas inesset, et posteaquam eorum, qui summum bonum in voluptate collocant, mores descripsit atque taxavit, ad eos arguendos, qui vim aliis inferunt, orationem suam convertit; id est, posteaquam intemperantiam vituperavit, injustitiam vexat atque condemnat. Idque consentanee facit. Nam intemperantiae individuus injustitiae comes est, ut in illis videre licet, quorum mores refert liber *Sapientiae* (II): illi, enim, statim post illa, quibus eorum luxus et intemperantia intelligitur: *Venite, fruamur bonis, quae sunt, vino pretioso et unguento nos repleamus, coronemus nos rosis, et non praetereat nos flos temporis*, quasi vitiorum quodam cursu ad injustitiam delapsi, ea subjungunt, quibus suam injuriae faciendae cupiditatem declarant; itaque, dicunt: *Et opprimamus pauperem justum, et non parcamus viduae.* Dum, autem, Salomon hos reprehendit, id, scilicet, agit, quod erat ipsi propositum; docet,

enim, omnia hujus vitae studia vanitatis esse plenissima, omnia indigna, quibus homines aliquid temporis impertiantur. Nam si quod ad salutem instituitur reipublicae, quo acquitas continetur et sanctitas, si leges, si jurisdictio, si magistratus, si publicum consilium, id iniquitatis efficitur et injustitiae officina, quid relinquitur in hac vita, quod homini recte judicanti probari jure possit, aut studio dignum censeri? VIDI SUB SOLE; hebraice: ET ADHUC VIDI SUB SOLE, id est, praeter ea, quae dixi, vidi etiam aliud malum, non minus grave quam superius. VIDI, inquit, IN LOCO JUDICII INIQUITATEM, id est, non solum privati in privatos insurgunt, et facinorosi innoxios opprimunt; sed et Magistratus ipsi et justitiae custodes ac vindices, dum jus dicunt, jura violant, et innocentiae insidias faciunt, et arma quae illis justitia dedit, contra ipsam convertunt, eamque opprimunt, quod est injustitiae genus maximum. ET VIDI, inquit, IN LOCO JUDICII IMPIETATEM, id est, in tribunali, ubi jus dicitur; quo significantur judices, non solum qui ipsi improbi sunt, sed qui in eo ipso quod judicant, id est, in judicio exercendo sunt iniqui et injusti. Quod injustitiae genus David in psalmo (XCIII) aptissime sellam iniquitatis vocat, quo dicit: *Numquid adhaeret tibi sella iniquitatis, qui fingis laborem in praecepto?* Nam dicitur iniquitatis sella, quia in hominibus privatis, cum quid prave aut injuste faciunt, ipsa iniquitas quasi latet, et privatam atque ignobilem vitam ducit: at in judice aut magistratu iniquo, cum inest, dominatur certe, et pro tribunali sedens ac legitima munita potestate, durum et multis innocentibus exitio futurum imperium exercet. Quare merito Esaias in istos invehitur, dicens: (X): *Vae qui condunt leges iniquas: et scribentes injustitiam scripserunt: ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causae humilium populi mei: ut essent viduae praeda eorum, et pupillos diriperent.* Sed quid est, quod ait: IN LOCO JUDICII IMPIETATEM, ET IN LOCO JUSTITIAE INIQUITATEM? Num

variandae orationis gratia sic loquutus est? An haec aliquo modo differunt? Judicii vocabulum in sacris Litteris varie accipi solet: interdum, pro jurisdictione, ut in illo (*Exod.*, XXIII): *Non misereberis in judicio pauperis*, id est, dum jus dicis atque exerces. Interdum, pro iis legibus, quarum praescripto jus dicitur, quasque in jure dicundo judex sequitur, ut in illo (*Levit.*, XVIII): *Facietis judicia mea, leges meas atque judicia*, id est, leges a me constitutas, ad jurisdictionem pertinentes. Interdum, pro eo, quod jurisdictione efficitur, id est, pro sententia lata adversus aliquem; ex quo pro condemnatione, sive privata sive publica, ut in illo (I *Cor.*, IV): *Nolite ante tempus judicare*, id est, condemnare; et in illo (*Joan.*, III): *Qui non credit, jam judicatus est.* Unde, rursus, pro vindicta et ultione accipi solet, non quidem pro ea, qua quis suas ulciscitur injurias, sed qua oppresso jus suum redditur, eo, qui opprimebat illum, debita poena affecto, ut apparet in psalmo (CXXXIX) quo dicitur: *Faciet Dominus judicium inopis;* et alibi (CXLV): *Faciet judicium injuriam patientibus*, id est, ulciscitur eos de inimicis ipsorum. Quo etiam modo illud Joannis (XII) intelligatur: *Nunc judicium est mundi*, ut rectissime Theophrastus exponit, id est, nunc mundo, hoc est, hominibus de Satana, qui ipsos oppresserat, ultio reddetur. Quoniam, enim, Satanas hominem per fraudem et injuriam in peccatum induxerat, et ob id sibi ut serviret fecerat, ideo quando Christus morte sua dominationem illius sustulit, hominem asserens in libertatem, mundo judicium fecit, id est, ipsum ultus est de hoste suo. Quare subjicitur: *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras*, id est, ejicietur a cultu, a dominatu, digna pro suis peccatis poena plectetur. Cum, igitur, tot modis judicii vocabulum sumi possit, ideo fere accidit, ut quod justitiae voce significatur, aliquo modo ad judicium pertineat. Sed ut hoc plerumque contingat, tamen est, quando inter utrumque interest, aut certe interest semper, si modo ad subtile rationis

judicium exigantur, ut Augustino videtur (1), qui enarrans psalmi (XCIII) illud (2): *Donec justitia concertatur in judicium*, ita scriptum reliquit: «Judicium pertinet ad rectitudinem jurisdictionis, justitia ad rectitudinem actionis: ita ut judicium facere dicatur, qui recte judicat; justitiam, qui operatur bene.» Quod et videri potest sequutus Salomon in hoc loco: nam priori hujus versus parte, pro latino judicio posuit hebraicum משפט *misphat*, quod verbum est judiciale ac legitimum; in posteriori, autem, צדק *zedek*, quae vox omne rectum officium complectitur. Quare, quod dicit: ET VIDI IN LOCO JUDICII INIQUITATEM, ad eos refert, qui aut jurisdictionem et imperium in alios sibi arrogant contra jus, quales tyranni esse censentur; aut qui, legitima potestate abusi, iniquas leges ferunt, et injusta exercent judicia. Quod, autem, addit: ET IN LOCO JUSTITIAE INIQUITATEM, in eos spectat, qui quibus rebus excitari ad officium et ad honestatem deberent, eas ipsi res in pravos usus convertunt; ut qui religionem professi, irreligiose vivunt, et ad pie vivendum instituta subsidia, ut sibi adminiculentur ad vitia sectanda perficiunt. Itaque, locus justitiae hic appellatur quaevis vitae ratio, quodvis institutum, quicumque eventus, fovere atque alere virtutem qui potest. In quibus et res adversae numerantur; sunt, enim, et dicuntur locus justitiae, scilicet, exercendae atque augendae, quia ad id maxime conferunt et invitant. Quare qui eis rebus male utitur, is in loco justitiae iniquitatem fecisse jure dici potest, quomodo loquutus creditur Esaias, qua dicit (XXVI): *In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini*. Terram, enim, sanctorum, id est,

(1) Ita in codice D, quae PP. Matriteneses isto modo interpretantur: «Id est: Quandoque inter utramque est differentia, aut, ut, verius dicam, semper inter utrumque est differentia, si modo...»

(2) In codice D: *Ps.* CV. Quo fortasse significavit auctor verba: *Donec justitia* etc., quae pertinent ad psalmum XCIII, a D. Augustino ita commentari in enarratione psalmi CV.

recte factorum germinatricem et bonis fecundam operibus, id nominavit, quod justitiae locum Salomon nominat: carceres, vincula, amissiones bonorum, vitae casus graves et acerbos, et denique, quidquid duri atque molesti a Deo nobis immittitur; quod ex iis sanctitas germinare atque pullulare soleat, ipsi nisi vellemus decsse nobis. Qua in terra atque loco qui inique se gerit, et instrumenta malorum facit ea, quibus uti deberet ad parandas et illustrandas virtutes, is dicitur non visurus gloriam Domini; quia cui remedia valetudinis morbum augent, de ejus salute desperant omnes. Sequitur:

17. — Et dixi in corde meo: Justum et impium judicabit Dominus, et tempus omnis rei tunc erit.

Proposuit, quantum mali inesset in injustitia; nunc exsequitur ea, quae ab eo malo deterrere homines possent, et potissimum affert duas res, ad id pertinentes, quarum unam hoc versiculo exponit. Nam quamvis, inquit, in hac vita dominetur injustitia, et innocentes, pro nocentibus habiti, ad supplicium rapiantur, et in juris loco juris perversio ac legum ruina et interitus sedeat atque regnet; tamen, ea non sic perpetuo permanebunt: futurum, enim, est tempus, quando ipsemet Deus jus dicet hominibus, quando justum et impium judicabit, id est, jus suum unicuique reddet. DIXI IN CORDE MEO: JUSTUM ET IMPIUM JUDICABIT DOMINUS; id est, quando homines, quibus jurisdictio tradita et commissa est, eam male exercent, et justitiae armis contra justitiam utuntur, injustitiamque, cujus hostes acerbi esse, quamque e coetu hominum expellere omni ratione deberent, non tuentur solum ipsi, sed in tribunali constituunt, et praesidere rebus humanis faciunt; Deus ipse, cui jus atque aequum cordi est, juris dicendi munus et officium exercebit, praemiaque et supplicia pro eorum meritis reddet hominibus. Qua in re, Salomon pri-

mum docet fore, ut aliquando Deus ad suum tribunal sistat homines universos, id est, docet futurum magni judicii diem, idque vaticinatus est ut propheta. Deinde, demonstrat, qua de causa id futurum sit. Nam, certe, causa ejus est id, quod praecesserat: ET VIDI IN LOCO JUSTITIAE INIQUITATEM. Quia, enim, qui jus dicturi erant, contra jura sententiam ferunt, ideo oportuit, ut judicandi munus Deus obiret; si, enim, juris atque legum custodes recte jus dicerent, sique qui se specie atque instituto vitae religiosos profitentur et justos, re ipsa tales essent, id est, si in loco judicii sederet aequitas, et in loco justitiae virtus resideret, non alio judicio, ut videtur, opus esset. Itaque, quia cuncta hypocrisi sunt obscurata, et ab eo, quod sunt, alia esse videntur, ut veri atque justi ratio enitescat, necesse omnino est, ut ipse per se Deus verum judicium exerceat aliquando. Quare quod judices prave judicant, quod scelerati homines sub pietatis specie sua scelera occultant, id Salomon causam esse statuit judicii futuri; quod et alibi saepe fit in his Litteris, ut in psalmo (IX) apparet, qua dicitur: *Exurge, Domine, non confortetur homo: judicentur gentes in conspectu tuo;* id est, quia homo, hoc est, cupiditates hominum pravae confortantur, id est, dominantur et regnant, et juris dicundi potestatem violenter usurpant; exurge tu, et judica. Et in alio psalmo (LXXXI) etiam dicitur: *Deus stetit in synagoga deorum: in medio deos judicat.* Et quare id faciat, eam ipsam, quam reddimus, causam subjecit. *Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? judicate egeno et pupillo.* Et Esaias vates, qua dixit (LIX): *Et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium,* statim intulit: *Et salvavit sibi brachium suum. Indutus est justitia ut lorica, et galea salutis in capite ejus: indutus est vestimentis ultionis et pallio zeli.* Quia, enim, homines prave judicare videbat, ideo ipse vestimentis ultionis est indutus. Et similiter David, cum in quodam psalmo (XCIII) Deum precaretur ut exsurgeret,

ac, pro tribunali sedens, in sontes animadverteret, eamdem causam e vestigio addidit dicens: *Populum tuum, Domine, humiliaverunt: haereditatem tuam vexaverunt. Viduam et advenam interfecerunt: et pupillos occiderunt.* Idem, igitur, sequutus Salomon, quia dixit in hac vita jura confundi, ipsosque judices pro jure libidinem et cupiditatem sequi, nullumque recti atque pravi delectum facere, ideo judicii a Deo faciendi mentionem statim intulit, quo in judicio nostri corrupti ac depravati judicii omnis medicina est constituta. Quippe tunc, omnes res quales sunt, tales cunctis esse apparebunt, nullus hypocrisi locus erit, nihil fuco et simulationi tribuetur; quare merito addidit: ET TEMPUS OMNIS REI TUNC ERIT. Nam ut id judicii tempus, *tempus Dei* in sacris dicitur Litteris, ut liquet ex illo (Psalm. LXXIV) *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo,* ex illoque (I. *Thes.*, V); *Dies Domini sicut fur,* idque ob eam causam, quia Deus ipso in tempore se esse, uti est, justum et providentem palam cunctis ostendet; sic, idem tempus omnium rerum esse a Salomone appellatur, quia illo tempore, quales re vera sint, omnes certe apparebunt. Et sicut frugum tempus id dicitur, in quo fruges ad maturitatem perveniunt; sic, tunc universa suam maturitatem habebunt; et ideo, illud omnium rerum dicitur esse tempus. Sequitur:

18.—Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis.—19.—Idcirco unus interitus est hominis et jumentorum, et aequa utriusque conditio: sicut moritur homo, similiter illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati.—20.—Et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur.

Quia apud homines injustitia et simulatio atque hypocrisis dominatur, dixerat futurum, ut Deus cuncta suo tempore judicaret; vidit, autem, hoc patere quaestioni.

Nam dixerit certe aliquis, cur in futurum distulit ista judicia Deus, tanto cum et sui nominis detrimento, et hominum calamitosorum et per injuriam oppressorum incommodo? An non aequius fuisset et Deo dignius, suum jus statim unicuique reddere, nec ut miscerentur omnia et confunderentur, et pro falsis vera, pro injustis justa haberentur permittere? Huic, igitur, nunc quaestioni respondet, ac dicit, se intelligere id permissum a Deo esse, filios ut hominum probaret, id est, ut purgaret illos, et in hac acie malorum positos exerceret, et quanta illorum fides atque virtus esset videret: res, enim, adversae, constanter toleratae, et perficiunt et illustrant virtutem. Itaque, id permissum a Deo esse, et divini judicii diem in longum tempus dilatum, ut interim illatione et tolerantia malorum, quae cujusque et quanta virtus esset perspiceret; ac, similiter, quo eosdem humiles ac de se modeste sentientes redderet, constitutum esse ab eodem, bestiis ut similes essent, quarum pleraeque rapta vivunt, et quae potentiores sunt, imbecilliores opprimunt, ducuntque initia vitae suae ab eisdem fere principiis, ac similiter intereunt ac decidunt: nascuntur, aluntur, adolescunt, senescunt, vitam morte finiunt. DIXI IN CORDE MEO: id est, vidi atque intellexi ob eam causam rerum omnium in diem magni judicii tempus reservari, interim homines nullum aequi iniquive delectum habere; UT PROBARET ILLOS DEUS, id est, detergeret atque mundaret. Nam hebraicum לִבְרֹם, pro quo noster: *probaret*, emundare significat; probat, autem, illos Deus tolerantia in rebus adversis. ET OSTENDERET SIMILES ESSE BESTIIS: *et* pro *sicut*, *ostenderet* pro *ostendit*, aut apparere fecit, ut demonstrant hebraea, ut sensus sit: Subjecit homines calumniis et injuriis, et iniqua in ipsos judicia exerceri permisit, eos ut hac toleratione et perpessione malorum a vitiis mundaret; sicuti eosdem, ut modestos redderet, bestiis in multis similes esse voluit, maximeque in iis, quae ad eorum ortum et interitum attinent. Itaque, addit: In-

CIRCO UNUS INTERITUS EST HOMINUM ET JUMENTORUM, ET AEQUA UTRIUSQUE CONDITIO, in eo, scilicet, quod oriuntur atque occidunt fere eodem modo. Pro quo, in hebraeo dicitur: ET SPIRITUS UNUS IPSIS, id est, similiter respirant, eumdem et communem aerem ducunt. ET NON HABET HOMO JUMENTO AMPLIUS, nimirum, quantum ad hujus vitae durationem spectat, quae utrosque tandem deserit; sunt, enim, mortales omnes et vitae brevis. Quare, quo id magis explanet, adjicit: CUNCTA SUBJACENT VANITATI, id est, corruptioni atque morti; cui est consentaneum, quod sequitur: ET OMNIA PERGUNT AD UNUM LOCUM, id est, ad sepulchrum et ad humum, unde primo extiterunt; itaque, ait: DE TERRA FACTA SUNT, ET IN TERRAM PARITER REVERTUNTUR. Et quoniam in eo, quod mortem sequitur, dissare homines a jumentis multum possent, ut certe distant permultum (manent, enim, hominum animi; jumentorum, una cum corpore intercunt), id etiam, quo submissius de se homo sentiret, in abdito Deus posuit, adeo ut perpauci id verum esse perviderint, quod ut Salomon declararet, adjecit:

21. — Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum et si spiritus jumentorum descendat deorsum?

Id est: cui est notum et manifestum, quotusquisque id suo marte cognovit, utrum hominum animi una cum corpore intereant, necne? Nam, ut verum sit remanere ac vigere post mortem, minimeque cum corpore extingui, tamen id verum esse multae familiae philosophorum, qui in vero inveniendo aetatem consumpserunt, pernegant; qui ajunt, vix demonstrant; itaque, de eo sola doctrina fidei nos certos reddit. ASCENDAT SURSUM: id est, coelestia et aetherea loca petat, quando e corpore excessit, hoc est, vigeat ac permaneat pro aetherei loci, ad quem ascendit, natura. DESCENDAT DEORSUM; id est, sepulchro conditus

jaceat. Nam hebraice sic: ET SI SPIRITUS JUMENTORUM DESCENDAT IN TERRAM. Porro, in terra ac in sepulchro condi, a consequentibus corrumpi et extingui significat; nam quae mortua et extincta sunt, sepultura afficiuntur. Itaque, ait utrumque paucis notum esse, et liquido cognosci vix posse: et utrum animus hominis perennis sit, et utrum animae jumentorum cum corpore intereant. Quod si cui hoc posterius perspicuum esse videatur, ac neminem esse dicat, qui nesciat animas jumentorum interire cum corpore, is primo audiat de hoc inter omnes Philosophos non constare; Pythagorici, enim, qui παλιγγενεσίαν et demigrationem ex aliis in alia corpora animorum posuerunt, universas animas immortales esse affirmarunt. Deinde, certe, intelligat, in hac posteriori versus parte similitudinis subesse notam, sicque interpretari debere: quis novit, an spiritus hominis ascendat sursum, an descendat deorsum, sicut spiritus jumentorum? id est, utrum extinguatur, uti illorum extingui liquet et constat. In quo, uti dictum est, Salomon non negat animum hominis perpetuo permanere, aut de eo dubitat ullo modo, sed docet, quam id sit ad cognoscendum et pervestigandum difficile. Nam, ut Hieronymus tradit, quandocumque in sacris Libris de aliquo isto modo negatur, aut quaeritur, non id ἀδύνατον esse dicitur, sed significatur esse perarduum et difficile, ut ex illo (Ps. XIV): *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* illoque (Ps. CVI): *Quis sapiens, et custodit haec?* illo, item (*Esa.*, LIII): *Domine, quis credit auditui nostro?* manifestissime liquet.

Atque haec plerique: quae et si recta et vera sunt, tamen, ni fallor, omnia ista, ab illo: DIXI IN CORDE MEO DE FILIIS HOMINUM, alio modo vere explanentur, maxime si vertamus ea, quomodo ex hebraeo commode verti possunt, et Graeci illa verterunt interpretes; apud quos, ita legimus: Εἶπα ἐγὼ ἐν καρδίᾳ μου, περὶ λαλιᾶς υἱῶν τοῦ ἀνθρώπου, ὅτι διακρινεῖ αὐτοὺς ὁ Θεὸς καὶ τοῦ δεῖξαι ὅτι αὐτοὶ κτήνη, εἰσί, id est: DIXI EGO IN CORDE MEO DE SERMONE FILIORUM HOMINIS, QUOD DISCERNET DEUS IPSOS AD DEMONSTRANDUM, QUOD IPSI BESTIAE SINT. Nam dixerat superius futurum, ut aliquando Deus ad suum tribunal omnes vocaret, et de omnium factis sententiam ferret; et id tempus, quando ista fient, rerum omnium proprium tempus esse ac dici affirmaverat, quod in eo suus cuique esset reddendus locus, et talis unaquaeque res, qualis est, esset habenda. Infert, ergo, ea etiam die agendum atque statuendum esse et de illo hominum sermone, cujus supra meminerat, nempe de sermone asotorum et intemperantium, statuentium animum cum corpore interire, ac propterea dicentium: *Venite, fruamur bonis, quae sunt*, et caetera quae supra retulimus. Itaque, agendum tunc de eo, ac videndum, utrum illi sermones veri, utrum recta haec illorum sententia. Videndum, inquam, utrum homo nihil distet a jumento, utrum idem sit interitus utriusque, utrum morte omnia extinguantur, et, uti bestiis accidit, sic humanus animus, discedens a corpore, ad sepulchrum descendat. Nam, certe, illa dies ipsa re omnes hujus generis sermones atque sententias erroris ac falsitatis redarguet. Tunc asoti atque impii *turbabuntur*, S. S. E. (*Sapient.*, V) *timore horribili, dicentes intra se, et prae angustia spiritus gementes: Ergo erravimus a via veritatis, et lumen intelligentiae non illuxit nobis.* Scio, praeter haec, alios alias explanationes afferre. Chaldaeus, certe, explanator totum hunc locum longe aliter interpretatur; nec, mihi ut videtur, incommode; sic, enim, scribit: *Dixi, ergo, in corde meo super causam filiorum hominum, quod venient super eos percussiones et morbi mali ad tentandum eos et ad probandum eos. Haec fecit Dominus, ut videat si recertentur ad poenitentiam, dimittetur illis, et sanabuntur; sed improbi, qui ut jumentum non convertuntur, propterea illi arguuntur, nocendo eis. Quoniam eventus hominis et eventus jumenti eventus unus omnibus illis; et ecce quemadmodum moritur jumentum, sic moritur is, qui non convertitur ad poenitentiam ante mortem suam, et spiraculum spiritus utriusque simul judica-*

bitur in omni negotio, et residuum viri prae jumento non est quidquam inter utrumque, nisi domus sepulchri, quia omnia vanitas: omnia eunt ad locum unum, omnes habitatores saeculi creati sunt ex pulvere, et quando mortui fuerint, omnes illi futuri sunt, ut convertantur in pulverem. Sed explanari sic potest: DIXI IN CORDE MEO DE NEGOTIO FILIORUM HOMINUM, id est, de hoc negotio, deque ea re, quae in vita, uti dixi, saepe accidit, ut in loco justitiae iniquitas sedeat, et in judiciis ac sub sellis judicum injustitia dominetur. Nam reddit causam, quare id tam saepe contingat, itaque ait: DIXI IN CORDE MEO de hac re, hoc est, intellexi, mecumque ipse cogitavi, mihique persuasi, id nobis accidere, non quod ita a Deo facti institutive simus, sed quia ipsi nosmet depravamus. Nam video, inquit, Deum separasse illos ac selegisse, hoc est, fecisse homines sui juris ac praestantiores animantibus caeteris. Sic, enim, interpretor hebraicum לִבְרֹם ad separandum eos, nam id verbum utrumque, et probare et separare, significat. Ergo Deus distare homines fecit a caeteris, et in altissimo collocavit dignitatis gradu, idque visum a se esse Salomon dicit. Sed, sicut addit, etiam vidit, eos suis factis monstrasse se SIMILES BESTIIS, hoc est, sui generis praerogativa per socordiam amissa, et rationis imperio per libidinem et luxum ad corpus translato, brutorum animantium mores atque vitam ascivisse sibi. ET OSTENDERET SIMILES ESSE BESTIIS: id est, et ostendit homo se esse bestiis similem, hoc est, effecit suis prave factis, ut brutis animantibus similis et haberetur et esset. Nam hebraice, ad verbum, sic: DEUS AD SEPARANDUM EOS, AD OSTENDENDUM QUOD IPSI ANIMAL IPSIMET; quod hispane aptissime vertas: *Dios á diferenciarlos, ellos á mostrarse ser bestias;* cui est simile, quod alibi scribitur (*Eccl.* VII): DEUS CREAVIT HOMINEM RECTUM, ET IPSE SE IMPLICUIT INFINITIS QUAESTIONIBUS. Itaque ipse sua culpa effecit, ut bestiis esse similis videretur, sicuti tradit atque judicat Salomon, et ut ea ipsi acciderent, quae deinceps

subjungit, nimirum ut interirent, sicuti bestiae intereunt, ut ad eumdem locum atque illae tenderent, et in terram abirent. Nam hominem vita numquam desertura erat, ni justitiam prius deseruisset ipse. Itaque, ipse homo ab eo dignitatis gradu, in quo a Deo constitutus est, ad statum se dejecit brutorum sorti parem atque similem, sicut et alibi scribitur (PS. XLVIII): *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Sequitur:

22.—Et deprehendi nihil esse melius, quam laetari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?

Quibus in verbis Salomon, vel ipse affirmat et profert quid sentiat, vel aliorum, id est, asotorum et impiorum, de quibus loquutus est, sententias atque judicia recenset. Si affirmat, est perinde ac si dicat: Et cum humanae vitae miseram conditionem et brutorum sorti parem viderem, statui nihil esse melius, quam bene agere, et vitae bonis modice frui, et sollicitudine atque moerore vacare; id est, neque avaritiae studere, neque ferre moleste quae eveniant, sed contentum praesentibus, acquitatem conservare animi in omni fortuna. A quo illud Lyrici non abhorret:

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus;
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat: quod adest, memento
Componere aequus; caetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adesos,
Stirpesque raptas, et pecus et domos
Volventis una, non sine montium
Clamore vicinaeque silvae,
Cum fera diluvies quietos

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Irritat omneis. Ille potens sui
Laetusque degit, cui licet in diem
Dixisse: vixi, cras vel atra
Nube polum pater occupato,
Vel sole puro.

Sin, autem, asotorum refert sententiam, hoc, scilicet, dicit: cum Deus homines, salutis ipsorum causâ, similes brutis fecerit nonnullis in rebus, ac mori ipsos atque interire, uti reliqua animantia, voluerit, ipsi eo, ut video, abusi, quod ad medicinam institutum erat, id in suam perniciem convertunt. Nam quia se mortales esse sentiunt, in hujus vitae fructu carpendo nullum modum tenere volunt, summumque bonum in laetitia atque voluptate constituunt. Qua in re, quantum errent, in illo apparebit die, qui omnium rerum dicitur esse dies, quique universas res, quales sunt, tales in luce constituet. Atque haec hactenus.

CAPUT IV

I.—Verti me ad alia, et vidi calumnias, quae sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiae, cunctorum auxilio destitutos.

Supra dixerat de injustitia aperte grassanti, et in judicii sella sedente; nunc, agit de ea, quae occulte serpit, injuria, id est, de fraude atque calumnia. Nam hebraicum: הָעֲשֻׁקִים, pro quo noster calumnias posuit, eos significat, qui aliis injuriam inferunt, eosque suis rebus spoliant, non aperta vi, sed arte circumveniendo ipsos. Nam quod fit per apertam vim, id גָּזַל *gazal* appellant Hebraei. Utrinsque, autem, verbi propria significatio et significationis discrimen constat ex illo, quod in *Levitico* scribitur (XIX): *Non facies calumniam proximo tuo, neque vi opprimes eum.* Nam quod latinus calumniam facere dixit, pro eo in hebraeo עָשַׁק *hassak* ponitur: quod, autem, vi opprimere vertit, id גָּזַל *gazal* est in hebraeo. Igitur, eas nunc injurias commemorat, quae per fraudem et sycophantiam fiunt: eo, autem, eas commemorat, quod et ad cognoscendum quanta sit bonorum hujus vitae inanitas, et ad deterrendum homines ab amore et cupiditate eorum, multum ista commemoratio conducat. ET CONVERTI ME, inquit, AD ALIA, ET VIDI CALUMNIAS QUAE SUB SOLE GERUNTUR, id est, praeter haec mala quae exposui, quibus humanae vitae miseria clare perspicitur, etiam aliud genus mali vidi nihilo iis inferius, CALUMNIAS, scilicet, quae SUB SOLE GERUNTUR, id est, fraudes et circumventiones, quibus contra innocentes atque tenues improbi dolose agunt; quod gra-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Irritat omneis. Ille potens sui
Laetusque degit, cui licet in diem
Dixisse: vixi, cras vel atra
Nube polum pater occupato,
Vel sole puro.

Sin, autem, asotorum refert sententiam, hoc, scilicet, dicit: cum Deus homines, salutis ipsorum causâ, similes brutis fecerit nonnullis in rebus, ac mori ipsos atque interire, uti reliqua animantia, voluerit, ipsi eo, ut video, abusi, quod ad medicinam institutum erat, id in suam perniciem convertunt. Nam quia se mortales esse sentiunt, in hujus vitae fructu carpendo nullum modum tenere volunt, summumque bonum in laetitia atque voluptate constituunt. Qua in re, quantum errent, in illo apparebit die, qui omnium rerum dicitur esse dies, quique universas res, quales sunt, tales in luce constituet. Atque haec hactenus.

CAPUT IV

I.—Verti me ad alia, et vidi calumnias, quae sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiae, cunctorum auxilio destitutos.

Supra dixerat de injustitia aperte grassanti, et in judicii sella sedente; nunc, agit de ea, quae occulte serpit, injuria, id est, de fraude atque calumnia. Nam hebraicum: הָעֲשֻׁקִים, pro quo noster calumnias posuit, eos significat, qui aliis injuriam inferunt, eosque suis rebus spoliant, non aperta vi, sed arte circumveniendo ipsos. Nam quod fit per apertam vim, id גָּזַל *gazal* appellant Hebraei. Utrinsque, autem, verbi propria significatio et significationis discrimen constat ex illo, quod in *Levitico* scribitur (XIX): *Non facies calumniam proximo tuo, neque vi opprimes eum.* Nam quod latinus calumniam facere dixit, pro eo in hebraeo עָשַׁק *hassak* ponitur: quod, autem, vi opprimere vertit, id גָּזַל *gazal* est in hebraeo. Igitur, eas nunc injurias commemorat, quae per fraudem et sycophantiam fiunt: eo, autem, eas commemorat, quod et ad cognoscendum quanta sit bonorum hujus vitae inanitas, et ad deterrendum homines ab amore et cupiditate eorum, multum ista commemoratio conducat. ET CONVERTI ME, inquit, AD ALIA, ET VIDI CALUMNIAS QUAE SUB SOLE GERUNTUR, id est, praeter haec mala quae exposui, quibus humanae vitae miseria clare perspicitur, etiam aliud genus mali vidi nihilo iis inferius, CALUMNIAS, scilicet, quae SUB SOLE GERUNTUR, id est, fraudes et circumventiones, quibus contra innocentes atque tenues improbi dolose agunt; quod gra-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vissimum malum est. Nam in aperta vi tantum ei, qui laeditur, injuria fit; at in calumnia et sycophantia, ipsum justitiae nomen atque honos violatur, quod ejus sub specie injuria latens, impune grassetur: quod est injustitiae genus maximum. Sed et apertae injuriae obsisti potest; calumniae, vero, quae justitiae speciem praetendit, nemo audet se opponere. Et quoniam hoc genere malitiae hominum societas gravissime laeditur, ideo ad Christi officium, quod totum dirigitur ad publicam omnium salutem, potissimum pertinere dicitur tollere funditus calumniatores atque calumnias. Sic, enim, in quodam psalmo (LXXI): *Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum et humiliabit calumniatorem*, id est, עושק *hossek*. *Et in alio* psalmo (CII): *Faciens misericordias Dominus et judicium omnibus injuriam patientibus*, id est, עשוקים, hoc est, per fraudem et calumniam oppressis. Itaque, et ipse humani generis hostis, calumniator praecipua quadam ratione dicitur, quod dolose atque fraudulenter hominem aggressus, recti specie ipsum deceperit. Sed juvat videre, quam graphice Salomon istius mali imaginem ponat, suis omnibus descriptam coloribus. Primum: VIDI, inquit, CALUMNIAS, QUAE SUB SOLE GERUNTUR. Deinde, addit: ET INNOCENTIUM LACRYMAS. Praeterea, subjicit: ET NEMINEM CONSOLATOREM. Postremo, tandem: NEC POSSE RESISTERE EORUM VIOLENTIAE. Ut qui alios calumniantes ac circumvenientes, alios calumniis circumventos audis; tum, eosdem lugentes ac lacrimantes vides; neminem, praeterea, adesse cognoscis, qui ipsorum miseriam aut re juvet, aut sublevet oratione; summi cujusdam mali formam videas, eamque summo perfectam. Quod autem noster ex hebraeo convertit: ET NEMINEM RESISTERE POSSE EORUM VIOLENTIAE, id hebraice sic habet: ET IN MANU EORUM, QUI IPSOS OPPRIMUNT, POTENTIAM. Nam hoc venustissime opponit ei, quod praecesserat: Et lacrymas INNOCENTIUM, quo ex collatione hujus mali vis perspiceretur magis. Quasi sic diceret: Et

vidi in oculis oppressorum lacrymas, et potentiam in manu eorum, qui opprimunt ipsos, id est, vidi hos esse potentissimos ad inferendum injuriam; illos, quo se tuerentur ab injuria, nihil habere, praeter lacrymas. Cujus e contemplatione rei, vitae quodammodo pertaesus, Salomon rite subjecit:

2.—Et laudavi magis mortuos, quam viventes.—3.—Et feliciorem utroque judicavi, qui nondum natus est, nec vidit mala, quae sub sole geruntur.

Hoc loco quaeri solet, qua ratione verum sit mortem praestare vita, et non nasci esse melius utroque. Cui quaestioni, Hieronymus hisce verbis respondet: «Hoc dicit, non quod qui nedum natus est, antequam nascatur, sit, et eo felicior, quia nedum corpore praegravatus est; sed quod melius sit omnino non esse, nec sensum habere substantiae, quam infeliciter vel esse vel vivere, quomodo et de Juda (*Matthaei* XXVI) Dominus loquitur, futura ejus tormenta significans: *Melius erat non nasci homini illi*, quod melius ei fuerit omnino non esse, quam aeternos cruciatus perpeti». Haec Hieronymus. Sed et praeterea dici potest his exponi, qui sit sensus humani animi, vitae miserias cum contemplatur aut videt. Nam qui eas secum reputat, aut qui in ipsis versatur, eas statim refutat, et tacito quodam naturae sensu aversatur, et dum aversatur, vitam, quacum conjunctae illae sunt, improbat atque odit. Quo ex affectu et naturae tacito sensu et Job illa loquutus esse intelligendus est in capite tertio, qua dicit: *Pereat dies, in qua natus sum*, cum iis, quae sequuntur. Vel, tertio, dicamus, id restricte dictum esse debere intelligi, id est, non omnino vitam refutari, aut deteriorem esse morte diei; sed, quantum attinet ad id, de quo agebatur, scilicet, ad calumnias atque miserias, quibus subjicitur: ea, enim, certe vitae pars odio digna est, et morte deterior usque eo, ut si

nihil praeterea aliud haberet, ipsam quod amabilem et studio nostro dignam efficeret, nihil ea esset miserius. Ut, enim, diximus supra, quaedam quae nimium late dici videntur, pro subjecto argumento restringi saepe debent ad certum et unum genus. Itaque, restricte hoc accipi debet; quod ut intelligeretur, subjecit: NEC VIDIT MALA, QUAE SUB SOLE FIUNT. In quo, sui judicii causam reddit ac dicit: In hoc judico, qui vita functi sunt, meliore conditione esse vivis, et mortem anteferendam vitae esse; quod mortui non hauriunt oculis ista mala, cum quibus collata, mors optabilis et praedicabilis est. Sequitur:

4.—Rursus contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiae proximi. Et in hoc ergo vanitas et cura superflua est.

His quidam censent agere Salomonem de invidia, cui subjecta sunt omnia mortalium studia, docereque, quamvis quis virtute excellat, aut etiam quo magis excellit, eo magis aliorum invidiae et obtrectationi patere; quod, sine dubio, molestissimum est malum. Alii arbitrantur, agere ipsum de ea avaritiae parte, quae alieni appetens est et in fraude versatur; itaque dicere, praeter eos, qui alios circumveniunt in judicio et calumniose subvertunt, esse plurimos, quos ipse vidisset, qui pecuniae insidias tendant, et quoscumque possint, subvertere opibus velint. Et, certe, hebraica ad utramque sententiam sunt ambigua. Nam ea, sic ad verbum convertas: ET VIDI OMNEM LABOREM ET OMNEM INDUSTRIAM OPERIS, QUOD IPSA ZELUS VIRI ERGA PROXIMUM SUUM. Quibus intelligi potest dici, vel industrios homines aliorum in se invidiam sua virtute excitare; vel in eo consumi hominum industriam omnem, ut aliorum opes ad se derivent, et quibuscumque possint rationibus, suam rem augeant. Quod ad eam avaritiae partem pertinet, quam Paulus πλεονεξίαν vocat, quod sit plus habendi cupiditas,

quo nullum est hominum societati malum perniciosius aut inimicitius. Quare Paulus ipsum cum idolorum cultu confert, itaque ait (Coloss. III): *Et avaritia, quae est idolorum servitus;* et alibi (Eph. V): *Aut avarus, qui est idolorum cultor.* Utro, autem, istorum modo hoc explanandum sit, si quis a me quaerat, non facile dixerim. Utroque, certe, video ad humanae vitae contemptum valere, in quem ipsum adducere Salomoni est propositum. Nam detestabile est atque miserum, inter eos versari homines, apud quos bene agendo non modo praemium consequare nullum, sed invidiam maximam confles: et, similiter, vitalis esse ea vita qui possit, in qua omnes *quae sua sunt quaerunt*, ut Paulus scribit, et in augenda re, etiam cum aliorum incommodo, omnia sua studia consumunt? ubi nulla tam sancta fides est, quam non plura habendi cupido violet? Sed sequitur:

5.—Stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas dicens.—6.— Melius est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi.

Ponit vitium superiori vitio contrarium, quasi ita loquatur: Sicut vidi quosdam, qui cum in rebus honestissimis suum studium impendissent, et earum essent compotes facti, invidiam sibi pepererunt et obtrectationes multorum; et quosdam alios, qui id semper agunt, ut ex aliorum malis ipsi crescant, et opes suas augeant ex spoliis aliorum; sic, vidi alios, usque eo laboris inimicos, ut dum laborem vitent, et decus negligant et rem familiarem perditum iri permittant; ex quo facile intelligitur, quanta sit humanorum judiciorum atque rerum perversio. STULTUS, inquit, COMPLICAT MANUS SUAS.—Mirum est, quam eleganter hominem inertem ac desidem, et ob eam causam extrema inopia laborantem, oculis videndum subjiciat, non quidem inertem ipsum ac desidem nominans, sed ejus, qui iners ac deses est, habitum describens. Nam sacrae Lit-

terae ex habitu res nominare interdum solent, estque illis id familiare: sic, lavare manus pro innocentem et criminis expertem esse dicunt, quod antiquo more, quo se innocentes esse docerent, manus lavabant, uti Judaeae Praeses, Pilatus, fecit, quod apud Mathaeum scribitur (XXVII); itaque, David in psalmo (LXXII): *Ergo sine causa justificavi cor meum, et laci inter innocentes manus meas.* Sic, etiam, exaltari a terra dicunt, pro in crucem agi, quod qui cruci affiguntur, sublimes pendent; Christus in Joanne (XII): *Et ego*, inquit, *si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Nam de cruce ipsum loquutum sua, ipse Joannes explanavit, subjiciens: *Hoc dixit significans, qua morte esset moriturus.* Quod ad genus et haec Salomonis pertinent: STULTUS, inquit, COMPLICAT MANUS SUAS; nam otiosi ac nihil operantis est, complicatas manus habere. ET COMEDIT CARNES SUAS; id est, laborat extrema paupertate. Nam summe pauperes fame intabescunt, quomodo et Esaias dicebat (XLIX): *Et cibabo hostes tuos carnibus suis*, id est, ad extremam illos egestatem et miseriam redigam; et eodem in significatu in Deuteronomio (XXVIII): *Et comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum et filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus in angustia et in vastitate, qua opprimet te hostes tui.* At in eo, quod subjicit: MELIUS EST PUGILLUS CUM REQUIE, QUAM PLENA UTRAQUE MANUS CUM LABORE, inertis sermonem imitatur; quo sermone iners, quod egeat, se ipse consolatur, dicens praestare egere et labore vacare, quam abundare divitiis et simul conflci angoribus. MELIUS EST PUGILLUS CUM REQUIE; hebraice: PLENITUDO VOLAE, id est, quod ad volam impleudam est satis, QUAM PLENA MANUS: hebraice מְלֹא חֲפָנַיִם, id est, quam plenitudo utrinsque manus; quo, Hebraei copiam rerum figurate significant. Sed cur aut sit, aut habeatur stultus, qui, parvo contentus, augere rem cum labore nolit? Quia, etsi opes non sint cupide appetendae, tamen ob desidiam et laboris

fugam negligendae non sunt ea certe parte, qua vitae usibus serviunt. Nam in his rebus sollicitudo anxia interdicitur; non, autem, industria et cura moderata damnatur, ut Augustinus demonstrat (lib. I *de sermone Domini*). Deinde, quia turpe est, ut quis, dum invidiam subire timet, aut dum hominum obtrectationes et odia veretur, vel sibi desit, vel alteri. Nam ut in *Proverbiis* scribitur (XII): *Qui sectatur otium, stultissimus est;* laborem, enim, vitare studet, quem vitare nemo mortalium potest. Homo, enim, ut est apud Jobum (V), *nascitur ad laborem, sicut avis ad volatum.* Itaque, ut unum genus laboris vitet, in aliud statim ut incidat necesse est; et si complicat manus suas, ut hic scribitur, id est, si manu nihil operatur, otiarique ob id et quiete agere videtur, tamen comedit carnes suas, hoc est, egestatis duros labores subit ac sustinet. Sequitur:

7.—Considerans, reperi aliam vanitatem sub sole. —8.—Unus est, et non habet filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro et fraudo animam meam in bonis? In hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima.

Quia dixerat, quosdam, dum labores fugiunt, et otium sectantur, inopes effici, ne quis eo crederet opum parandarum nimium studium probari, illorum statim vitium reprehendit, qui opes dum congregent, labori non parcunt, et quamvis eis abundent et haeredo legitimo careant, partis uti non audent. ET CONSIDERANS, INVENI; hebraice: ET CONVERSUS EGO, ET VIDI, id est, et oculos convertens ad eos, qui contrario studio ducuntur, quique, dummodo opes suas augeant, nullum laborem reformidant, eorum genus quoddam vidi reprehensione dignissimum: est, enim, qui unus cum sit, id est, qui cum haeredem non habeat. Nam unus in his Litteris, orbus qui est, dicitur, ut in illo psalmi (LXVII): *Deus qui inhabitare facis unius moris in domo.*

Nam hebraice, pro *unius moris*, *unicos* legimus, id est, orbos. Eos, enim, in domo habitare facit Deus, quia prole fecundos saepe reddit. Nam domus vocabulum ad familiam significandam transfertur I *Regum* (XX, XXI, XXII) et in centesimo duodecimo psalmo. Itaque, Salomon unum appellat, filiis orbum et qui haeredem non habet. Nam se interpretatur ipse, subjiciens: ET SECUNDUM NON HABET, id est, et caret successore. NON FILIUM, NON FRATREM, scilicet, habet, ET TAMEN LABORARE NON CESSAT, NEC SATIANTUR OCULI EJUS DIVITIIS.—Recte hic et eleganter hujus significatur turpitudo vitii. Nam divitiae non eo institutae a natura sunt, ut oculos oblectent, sed ut suppeditent sumptus necessarios; at avari, earum naturalem pervertentes usum, oculos pascere et oblectare illarum aspectu tantum volunt; quem ad usum, quoniam a natura factae non sunt, idcirco suo conspectu oculos avarorum numquam satiant, ipsos certe earum aspiciendarum satietas non capit. Quamquam possunt et alio modo haec explanari: ET OCULI EJUS NON SATIANTUR DIVITIIS, id est, desiderium eorum. Nam oculorum vocabulum ad desiderium animi significandum in his transferri Latteris, illa docere possunt: *Oculos suos statuerunt declinare in terram* (Ps. XVI), et: *Oculi mei semper ad Dominum* (Ps. XXIV), et: *In inimicos meos despexit oculus meus* (Ps. LIII), et: *Oculi omnium in te sperant, Domine* (Ps. CXLIV), et: *Oculi stultorum in finibus terrae* (*Prov.*, XVII), quoniam stultorum proprium est, ea desiderare, quae ab eorum conspectu atque manibus valde remota sunt; et (*Eccl.* XI): AMBULA IN VIIS TUIS ET IN INTUITU OCULORUM TUORUM. Sed pergit: NEC RECOGITAT DICENS: CUI LABORO, ET CUI DEFRAUDO ANIMAM MEAM IN BONIS? Illud: NEC RECOGITAT, DICENS, deest in hebraeo; sed a nostro, interpretationis causa, recte additur. Nam hebraice, valde praecise dicitur: ET CUI EGO LABORO? Subjicit: ET FRAUDO ANIMAM MEAM? id est, vitae meae inimicus sum, dum et labore infinito me contero, et partis opibus

uti non audeo. Unde vere addit: IN HOC QUOQUE VANITAS EST, ET AFFLICTIO SPIRITUS. Sequitur:

9.—Melius est ergo duos esse simul, quam unum: habent, enim, emolumentum societatis suae (id est):—**10.—Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli, si ceciderit, quia non habet sublevantem se.—11.—Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo: unus quomodo calefiet?—12.—Et si quispiam praevaluerit contra unum, duo resistent ei: funiculus triplex difficile rumpitur.**

Quo pacto haec cum superioribus cohaereant, aut ex illis ducantur, explicare non est facile. Quidam, sic ista connectunt: Quoniam mentionem fecit hominis avari, haerede carentis; ex eo admonitus, quam miserum esset solitariam vitam agere, intulit hunc sermonem, id est, orationem suam convertit ad laudandam duorum aut plurium inter se societatem. Recte autem, mea quidem sententia, dicetur homines avaros amicitias aliorum solere fugere, et orbitatem ac solitudinem amare, quod suis opibus insidiari omnes putant; itaque, omnes a se libentissime ablegant, ut plautinus ille senex anui qui imperat:

Cave quemquam alienum in aedeis intromiseris.
Quod quispiam ignem quaerat, extingui volo,
Ne causae sit, quod te quisquam quaeritet.
Nam si ignis vivet, tu extinguere extemplo,
Tum aquam confugisse dicito. Si quis petet
Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quae utenda vasa semper vicini rogant,
Fures venisse atque abstulisse dicito (1).

(1) In Aldina comoediarum Plauti, quam prae manibus habemus, editione (Venetiis, 1522), haec aliquanto aliter leguntur, ita scilicet:

STAPHILA. *Quid si quispiam ignem quaerit?*
EUCLIO. *Extingui volo,*
Ne causae quid sit, quo te quisquam quaeritet.

Quare Salomonem ejus vitii vituperationem ingressum, quod ei vitio contrarium est, consentanee laudasse. Itaque, illa superiora: UNUS EST, SECUNDUM NON HABET, NON FILIUM, NON FRATREM, non solum id significant, haerede avarum carere; sed societatem aliorum hominum studiose vitare, sibique uni ac soli vivere. Dicit, ergo, se videre alios, suas divitias qui eousque amant, eisque incubant, ut orbitare laetentur, neminem cognatum agnoscant, omnes necessitudines aversentur. Quorum quantus sit error, ut demonstret, amicitiae bona apte atque loco explicat, dicens: MELIUS EST ERGO DUOS ESSE SIMUL, QUAM UNUM; et subjicit causam: primum, quia, ut inquit, HABENT EMOLUMENTUM SOCIETATIS SUAE; id est, facient majus operae pretium. Nam hebraice: יֶשׁ־לָהֶם שָׂכָר טוֹב, id est, ERIT IPSIS BONA MERCES; et graece: ἔστιν αὐτοῖς μισθὸς ἀγαθός. Deinde, quia mala facilius vitabunt Unde addit: SI UNUS CECIDERIT, AB ALTERO FULCIETUR. VAE SOLI, QUIA, CUM CECIDERIT, NON HABET SUBLEVANTEM SE. Eodemque pertinent, quae sequuntur: ET SI DORMIERINT DUO, FOVEBUNTUR MUTUO: UNUS QUOMODO CALEFIET? Nam argumentatur a minori, perinde ac si dicat: Si frigus pellit socius cubilis; in vita amicus, quid non efficiet? Itaque, sequitur: ET SI QUISPIAM PRAEVALUERIT CONTRA UNUM, DUO RESISTENT EI; nam, ut est in veteri proverbio: nec Hercules contra duos. Et, tandem, argumentationem claudit epiphonemate, rem quod magis confirmet, sic dicens: FUNICULUS TRIPLEX DIFFICILE RUMPITUR. FUNICULUS TRIPLEX, id est, multorum in unum collatae vires superari nequeunt, et sicut funis, quem plura fila conficiunt, ipsa licet singula per se fila tenuia sint,

Nam si ignis vivet, tu extinguere extemplo;
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.
Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quae utenda vasa semper vicini rogant,
Fures venisse atque abstulisse dicito,
Profecto in aedibus meis, me absente, neminem
Volo intromitti.....

tamen rumpi nequit; sic, septus qui est atque munitus multorum amicitiis, inviolabilis perseverat.

Sed quaerat forsitan aliquis, quam vitae societatem, quamve necessitudinis conjunctionem commendet, cum constet homines pios solere fugere hominum consortia, ut puritati animi atque paci inimica, et cum manifestum sit, plurimos urbibus fugiendis suam erga Deum pietatem magnopere commendasse, et id a suis Deum saepe exigisse, ut patriam amicosque desererent: praecepisse, enim, Abrahamo (*Genes.*, XII), ut, relicto natali solo, suorum vitaret aspectum; et Mosem (*Exod.*, XXIV), visurum Deum, ad montem ascendisse solum; et Eliam (III *Reg.*, XVII), in spelunca Carith fluminis ad ripam latentem, et praeter corvos, a quibus alebatur, cognitum nemini, arcana quaedam ac divina vidisse, eumdemque et ab Elisaeo (IV *Reg.*, II) distractum esse, igneum in currum ut ascenderet: itaque, solitudinem semper fuisse pietatis aut effectricem aut comitem. Ad quod est dicendum, hominum consortia alios vitare odio ipsorum hominum, ut atheniensis faciebat Timon, ob id dictus μισάνθρωπος; alios, studio asservandarum divitiarum suarum, quod omnes metuant, nulli fidant; alios, ob alias ejusmodi causas, ineptas et absurdas. Hos a Salomone reprehendi, et ad eorum relata studia atque mores societatis bona laudari; non, autem, illos argui, qui ut uni Deo vacent, solitudinem amant; id, enim, gratum Deo esse et maxime. Sed et dici debet, quod maximae parti hominum expedit, quodque nostrae naturae ratione communiter est utile, amicitias colere, et in societate vivere hominum, et vitae quasi communitatem tueri, id expressum hic esse. Adde, amicitiam bonorum inter se rem esse honestissimam et maxime praedicabilem. Vel, certe, quod Hieronymo et Olympiodoro et Gregorio Romano videtur, ea, quae homini cum Deo est, societas laudatur. Laudantur, itaque, qui socium Deum habent, qui cum illo conjunctissime vivunt. Quare, quod ait: MELIUS EST ESSE DUOS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAM UNUM, sic interpretari possimus: carere Dei gratia, miserum esse; felicissimum, illam habere comitem. Qui, enim, ea carent, deserti et ab omni auxilio imparati habendi sunt, eos licet turbae circumstent amicorum; contra, illi amicorum ac praesidiorum summa copia cincti atque muniti, qui una cum Deo familiariter vivunt, quamvis in desertis commorentur locis. Ob quam causam, Christus dicebat *(Joan.*, VIII): *Solus non sum, sed qui misit me, mecum est;* et Paulus, *ad Corinthios* scribens (II *Cor.* XIII): *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur, Christus?* et Elisaeus ad puerum (IV *Reg.*, VI): *Noli timere, plures nobiscum sunt quam cum illis.* Cum quo cohaeret quod sequitur: HABENT, ENIM, EMOLUMENTUM SOCIETATIS SUAE ac laboris sui, nam labores eorum, quos Dei gratia comitatur, fructuosi sunt et beatae vitae praemio ac mercede digni; et quod additur: SI UNUS CECIDERIT, AB ALTERO FULCIETUR, id est, si quem res adversae dejecerint ac depresserint, ipsum gratia sublevabit. Nam cadendi verbo sacrae Litterae in adversis utuntur, ut apparet in illo *(Prov.*, XXIV): *Septies in die cadit justus*, quod non de casu in peccatum intelligi deberi, sed de tribulationum et adversarum rerum incursu in libris *de Civitate Dei* vere docet Augustinus (lib. XI, c. XXXI). Itaque, si ceciderit is, quem Dei gratia comitatur et fulcit, ei comes gratia auxilio veniet, et vel labentem continebit, vel lapsum sublevabit; ipsi certe praebebit, moderationem ut animi et patientiam retineat in omni acerbitate fortunae. Qui autem isto socio caret, eo, cum in mala cadit, nihil potest esse miserius. Ex quo recte subjungitur: VAE SOLI, SI CECIDERIT, QUIA NON HABET SUBLEVANTEM SE. Quod porro additur: ET SI DORMIERINT DUO, FOVEBUNTUR MUTUO: UNUS QUOMODO CALEFIET? propria, item, videtur esse gratiae Dei et charitatis effectio. Nam gratia hominis animum Dei amore accendit: quare justi calere; frigere, autem, peccatores dicuntur. Et similiter, quod sequitur: ET SI QUIS PRAEVALUERIT ADVERSUS UNUM, DUO RESISTENT EI, optime in hanc cadit sententiam. Nam quae solis humanis viribus superari mala non possunt, auxilio gratiae facile superantur. Quae eadem merito vocatur FUNICULUS TRIPLEX ob triplicem vim, quam habet. Nam illustrat, firmat atque delectat. Sequitur:

13.—Melior est puer pauper et sapiens rege sene et stulto, qui nescit praevidere in posterum.—14.—Quod de carcere et catenis interdum quis egreditur ad regnum: et alius natus in regno, inopia consumatur.

Hanc orationem quidam sic cum praecedenti conjungunt, ut quoniam Salomon docuerat vana esse voluptuariorum et copiosorum studia, quo plene demonstraret reliqua omnia vanitatis esse plena, ideirco censeant nunc ipsum in medium protulisse regum vitam, quae felicissima habetur omnium, et eam vanitati obnoxiam esse docuisse. Quae illi non omnino possime; ipse, tamen, puto arctiori ista conjungi nodo. Nam descripserat supra hominis copiosi et avari, qui suis tantum opibus fideret, eis ab omnibus insidias fieri putaret, ac propterea omnes amicitias refutaret, ingenium atque naturam. Cui naturae duo vitia maxima insunt: unum, quod amicitias odit; alterum, quod unis opibus fidit. Contra prius vitium, proxime superiori oratione dimicavit, idque ut evelleret, societatis bona quae sint, curiose explicavit; nunc, autem, consentanee aciem orationis suae in posterius distringit. Nam docet divitias, quamvis magnas, nisi adsit sapientia, usque eo inutiles esse atque imbelles ad vitam tuendam, ut regi, id est, ditissimo et copiosissimo cuique, levi tamen et stulto, praeferendus sit cordatus juvenis, quamvis inops, quod quemadmodum vitae exempla nos docent, saepe accidat, ut humili et obscuro loco nati, propter industriam animi atque virtutem, ad altissimum dignitatis atque potentiae

gradum ascendant; contra, ex eo alii, quamvis regio sanguine orti, propter inscitiam deturbati atque dejecti, in postremis malis versentur. Quemadmodum regis Saulis posteris accidisse videmus, et quadam ex parte Roboamo, ipsius Salomonis filio, cum alterius generis in Josepho atque in Davide illustria extent exempla. Quidam veteres haec, juxta occultos sacrae Scripturae sensus, super Christo et super diabolo interpretantur, ut quoniam supra dictum est, quam utile atque necessarium esset comitem habere gratiam Dei, idcirco de ipso Christo, qui per gratiam nostris se mentibus insinuat, commode mentionem inferat, ejusque virtutem et excelsum dignitatis gradum, ad quem ex eo ascendit, commemoret; eaque amplificet daemonis, qui Christo contrarius est, superbiae et miserae conditionis oppositu: denique, illum extollat laudibus; hunc, oratione sua deprimat; itaque, dicat: MELIOR EST PUER PAUPER ET SAPIENS, id est, Christus, quem Esaias (XLII et XLIX) puerum et pauperem nominat, REGE SENE ET STULTO, id est, daemone, qui rex et princeps hujus mundi appellatur in Joanne (XII et XIV), et qui superbia redditus caecus, dum honorem divinum affectat, dignitatis, quem obtinebat, magnum amisit gradum; cum Christus, se extenuans atque inaniens ipse, ut Paulus scribit, ex humili ad gloriae atque imperii summum culmen pervenerit. Quare addit: QUOD DE CARCERE ET CATENIS, id est, infima conditione atque misera, EGREDIATUR AD REGNUM, ET ALIUS, NATUS IN REGNO, INOPIA CONSUMATUR. Sed sequitur:

15.—Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.—16.—Infinitus est numerus populi omnium, qui fuerunt ante eum: et qui postea futuri sunt, non laetabuntur in eo. Sed et hoc vanitas et afflictio spiritus.

Quae verba difficiles habent explicatus; itaque, singuli explanatores singulas explanationes afferunt. Maxime, autem, omnes laborant in ADOLESCENTE SECUNDO; quid, enim, id sit, aut quem eum Salomon nominet, non satis constituunt. Alii, itaque, plane haec exponi posse diffisi, ad mysticos sensus confugerunt; nec, tamen, hoc perfugio se a controversiis liberarunt. Nam et de mystico variant inter se, quod Christum significatum in ADOLESCENTE SECUNDO quidam eorum volunt; quidam, malunt Antichristum. Alii in plano illo et aperto interpretationis genere versantur; sed non uno omnes modo. Nam sunt, quibus adolescens secundus Roboam sit; alii, quibus Absalon; nonnulli, quibus mens atque ratio esse videatur. Quorum singulorum rationes explanare non est necesse; tantum quod in utroque genere probabilius videtur mihi, volo explicare.

Adolescentem secundum Hebraeis appellari, qui, patre vita functo, haeres futurus est filius, liquere puto ex eo, quod modo praecessit: UNUS EST, ET NON HABET SECUNDUM. Nam secundum quid appellet, interpretatur quod sequitur: NON FILIUM, NON FRATREM, NON HAEREDEM. Ergo, quoniam vituperare coeperat regis vitam, et ejus quam infirmae atque infidae sint opes docere, id latius exsequutus, subditorum erga reges suos fluxa studia commemorat, et quam facile alio se convertant exponit. Nam inquit vidisse etiam se, eo erga suos reges ingenio homines esse, ut regum filiis, regni haeredibus futuris, magis quam regi ipsi, studium unusquisque suum probet,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cisque placere studeat; utque orientem solem adorent omnes, occidentem despiciant: ex quo, saepe et regum miseri casus, et regnorum mutationes oriantur, quod filii, his populi faventis elati studiis, viventibus parentibus, in regnum invadant, ut Absaloni adversus Davidem contigit (II Reg.); vel, certe, ut non invadant, tamen parentum vitam et imperii amittendi metu anxiam efficiant. Quare intelligi, infirmas esse regum opes et eorum falsam felicitatem; quoniam o populi, cui imperitant cuique innituntur, benevolentia erga ipsos atque fide pendeant. Nam eo fallacius nihil esse, propterea quod novis semper studeat rebus, et haeredi futuro gratificari malit quam regi. ET VIDI CUNCTOS VIVENTES, QUI AMBULANT SUB SOLE CUM ADOLESCENTE SECUNDO, QUI CONSURGET PRO EO; id est, et ad alias miserias, quibus vita regum plena est, hoc etiam, ut vidi, malum accedit, quod cuncti homines sic animo affecti sunt, ut sequi cupiant adolescentem secundum, id est, ut haeredi futuro libentius obsequantur, eique faveant, et quo se in illius gratiam insinuent, ejus sequantur partes, patre sene et brevi interituro neglecto; ex quo, multoties odia existunt, et suspiciones, et seditiones intestinae, et bella civilia; denique, id regum evertit opes, et omnem illorum felicitatem contaminat. INFINITUS EST NUMERUS POPULI OMNIUM, QUI FUERUNT ANTE EUM; id est, innumeri homines olim sequuti et ipsi sunt hujus adolescentis patrem, quando primum inivit regnum. ET QUI POSTEA FUTURI SUNT; hebraice: ETIAM POSTERIORUM. Nam repeti debet a communi: INFINITUS EST NUMERUS, ETIAM POSTERIORUM; id est, innumerabiles sunt, qui nunc juvenem ad spem regni adolescentem sequuntur. Quasi dicat: ut patrem regem olim, cum esset juvenis, omnes sequebantur, eique cupiebant gratum facere; sic filio, in regni possessionem venturo, applaudant universi: nec minor fuit eorum numerus, qui seni olim adhaeserunt, quam qui nunc ejus filio juveni student; sed par numerus, idem regis gratiae ambiendae studium

utrorumque fuit. Quod autem addit: NON LAETABUNTUR IN EO, ad utrosque refert. Nam dicit, neque superiores illos ex suo ambiendi regis gratiam studio fructum aliquem retulisse, nec posteriores esse relaturos. Quasi dicat, illis visam gravem ejus, qui nunc contemnitur, regis potentiam; istis, hujus quoque, qui nunc placet, visum iri graviorem. Ex quo conficitur etiam in hoc vitae genere vanitatem inesse summam. Itaque, additur: SED ET HOC VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS.

Atque haec historice. Mystice, autem, placent, qui de Antichristo, cujus hic mentionem esse factam puto, quia proxime superius nominibus *pueri* atque *pauperis* nominatus est Christus, et seni regi et stulto, id est, Satanae antelatus. Quae res, ut existimo, fecit, ut Salomon ejus hominis meminisset, in quo Satanae vis exiabit universa, id est, Antichristi, omnium, qui unquam fuerunt futurive sunt, mortalium nequissimi. Itaque, divina praevidens mente, quid illi esset eventurum, id effudit et in litteras retulit. ET VIDI OMNES VIVENTES SUB SOLE, AMBULANTES CUM JUVENE SECUNDO, id est, Antichristo, qui, post Christum venturus, pro Christo est habendus. QUI CONSURGET PRO EO; quoniam multi ipsum, loco Christi, colent et venerabuntur. Et quia ultimo mundi tempore is venturus est, quo id intelligatur, adjecit: INFINITUS EST NUMERUS POPULI OMNIUM, QUI FUERUNT ANTE EUM. Et quo doceret, quam infelicem habiturus esset vitae exitum, addidit: ET QUI POSTEA FUTURI SUNT, id est, qui in eamdem quam ipse aetatem inciderint, NON LAETABUNTUR IN EO, quod ipsum, scilicet, percutiet Dominus spiritu oris sui. Itaque, qui ipsi studio adhaeserint, eos sua spes misere fallet. Quare adjecit: SED ET HOC VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS. Et quoniam errores eorum, qui Antichristo fidem habituri sunt, in quibus praecipue numerabuntur Judaei, causae erunt duae: una, quod prave intelligent sacras Litteras; altera, quod praeceptis Dei aegre paruerunt semper, de quo Paulus,

ad Thessalonicenses, in hunc modum scripsit (II Thes. II): *Eo quod Charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Et quoniam ipse illos, in specie religionis deceptos, in errorem inducet, ideo Salomon, ut utrique malo convenientem medicinam adhibeat, omnes admonet, primum, ut diligenter incumbant ad intelligentiam divinae Legis; deinde, ut se Deo obedientes exhibeant; postremo, ut religionis summam, non tam in sacrificando, quam in obsequendo voluntati Dei et ejus mandata exsequendo, collocent atque constituant. Nam sequitur:

17.—Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, et appropinqua, ut audias. Multo, enim, melior est obedientia, quam stultorum victimae, qui nesciunt quid faciant mali.

Quod salutem animi magis labefactet nihil est, quam falsa de rebus divinis opinio, falsaque religio. Nam omnis medicina animi ducitur a religione, qua careat necesse est is, qui falsa de Deo sentit; itaque, qui tales sunt, omni fere destituuntur auxilio. Ex omnibus, autem, quibus errari in religione solet, ille est perniciosissimus error, cum, quibus rebus Deus aut offenditur aut minime certe delectatur, iis rebus quis se Deo placiturum atque cultum exhibiturum sperat. In quem errorem illi etiam saepe incidunt, qui veram alioqui religionem colunt, quique de natura Dei vera sentiunt; quos contra multa in Sacris Litteris multis in locis dicuntur. Esaias, enim, eos vehementer exagitat (I), et Christus apud Matthaeum (XV) Pharisaeos de hoc reprehendit, quod observandis iis, quae ipsi sibi, praeter Dei praescriptum, suo arbitratu imposuissent, se religiosos esse ac Deo placere putarent. Et Moyses suorum scriptorum variis in locis accurate praecipit Populo Dei, ut iis rebus Deum eaque ratione colant, qua se coli ipse atque observari vult. Quoniam, igitur, propositum Salomoni erat studiorum humanae vitae errores docere, quo sic homines in veri boni cognitionem induceret, aliis apertis et demonstratis erroribus, hunc, qui perniciosior caeteris est, et ad cognoscendum difficilior, quoniam sub religionis specie occultatur, nunc aggreditur explanare: non, quidem, docens vanum esse religionis studium, ut docuerat esse vana studia avarorum et asotorum (religio, enim, non laudari non potest), sed quae in eo studio, ne erretur, caveri debeant, ea diligenter et perspicue demonstrans, atque ita dicens: CUSTODI PEDEM TUUM INGREDIENS IN DOMUM DEI, ET APPROPINQUA UT AUDIAS. Quasi dicat: Etiam in Deo colendo magna cautio tibi adhibenda est, ne, si erres, superstitionem pro religione suscipias. Quare: CUSTODI PEDEM TUUM, INGREDIENS IN DOMUM DEI; id est, vide atque cave, ne in ipso, quo Deo cupis gratum facere, offendas et pecces. Itaque: APPROPINQUA, UT AUDIAS; hoc est, id assequeris, si animum adhibueris vigilantem et attentum ad ea, quae Deus praecipit, et intelligenda et opere exsequenda. Nam in hoc verae religionis summa consistit. Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* (*Matth.*, XIX). Et iterum: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, introibit in regnum coelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei* (*Matth.*, VII). Et idem de se ipso, in quo omnis verae religionis lucet exemplum, dixit in psalmo (XXXIX): *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, et legem tuam in medio cordis mei.* Sed addit: MULTO, ENIM, MELIOR EST OBEDIENTIA, QUAM STULTORUM VICTIMA, QUI NESCIUNT QUID FACIANT MALI. Id quam verum sit, Saulis exemplo docemur, qui quod Dei mandatum prava interpretatione pervertit, quibus sacrificiis Dei favorem demeruisse putavit, iis illius iram in se et indignationem commovit. Itaque et illi dicitur (I. *Reg.*, *cap.* XV): *Numquid vult Deus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini: melior est enim obedientia, quam victimae: et auscultare, magis quam offerre*

adipem arietum. Et Esaias, ex persona Dei, idem docet (c. I), victimas, sine obedientia Legis, Deo non placere.

CUSTODI, inquit, PEDEM TUUM, INGREDIENS DOMUM DEI. Pro eo ac varia est atque multiplex traslationis horum verborum ratio atque usus, multa hic, ad verae religionis cultum pertinentia, Salomon praecepisse intelligendus est. Nam, primo: CUSTODI PEDEM TUUM, quod dicit, sic accipi potest, quasi praecipiat, ut ituri domum Dei, ne alio conferamus nos; id, autem, est, ne stata cultui divino et dicata tempora aliis consumamus in rebus; ut custodire pedem, hoc loco sit cohibere illum et continere, ne alio eat, in templum iturus Dei. Nam ad verbum hebraice: QUANDO ITURUS EST IN DOMUM DEI. Deinde, potest intelligi id praecipi, ut quando in templum proficiscimur, religionis causa tantum, et ob id solum proficiscamur, ut exhibeamus cultum Deo; non, autem, ut res spectemus inanes, aut ut nos simulemus religiosos. Quod, de templo dictum, ad omne virtutis officium, quod Deo potest esse gratum, est transferendum, ut id Deo placendi causa, et non aut ostentationis, aut alterius malae cupiditatis gratia obeamus: sancte, enim, sancta; et *hoc age*, ut Pontifices olim, quando sacra aggrediebantur, per praecones clamabant. Et scitum est illud Numae, quod in proverbium abiit, praeceptum, ut adoraturi sederent, *καθῆσθαι προσκυνησοντας*: nam eo admonebat, ut qui sacris dabant operam, animo aliis vacuo curis, tranquilloque et quieto, et in id unum, quod agebant, intento rei sacrae vacarent; non, autem, obiter id facerent ac velut aliud agentes. Itaque, custodire latine et quod ei in hebraeo respondet, id, scilicet, est, ne quid pereat, curam et diligentiam adhibere. Ergo custodire pedem, cum templum quis ingreditur, erit curare et efficere, ne pes, id est, ne ingressio illa atque itio pereat ac fructu vacet. Nam peribit sine dubio, si alterius, quam Dei causa studioque, fiat. Est, enim, simulatae religionis genus quoddam, cum frequens, tum valde certe perversum, cum in

rebus religionis obeundis fines irreligiosos constituimus nobis, et quae Deus, colendi sui et placendi sibi causa, fieri praecepit, iis nos pro instrumentis utimur ad ea efficienda, quae ipsi sunt ingrata et invisa. Quo de peccato atque malo, tamquam de eo, quod ingratissimum sibi est, queritur Deus apud Jeremiam (XI), sic dicens: *Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa*. In domo, inquam, mea, id autem est, in ipso religiosarum rerum et honestorum officiorum obitu atque munere me scelerate injuria affecit: dum, quae ego ad mei cultum et ipsiusmet salutem institui, ea ipse, eorum ipsorum scelerato usu atque impio, mihi ut ingrata, sibimet ipsi ut essent noxia et detrimentosa, perfecit. Praeterea intelligatur, his verbis animi constantiam et perseverantiam in officio suscepto laudari. Nam quorum est inconstans animus, et qui levi momento ab institutis suis praeclaris studiis depelluntur, horum virtus imbecilla et levis est. Id, porro, his significatum esse verbis, ex eo probetur, quod custodire pedem in his Litteris, idem saepe sit, quod rectum ipsum servare et firmum, et ab omni offensione atque lapsu immunem, ut in *Proverbiis* (III): *Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris*, cum dicitur, id significatur, Deum effecturum firmiter ut stes, ne ab inimicis capiare tuis, in eorumque manus incidas, sicubi, fallente vestigio, lapsus fueris. Porro pes firmus ad animi in officio suscepto constantiam significandam transferri solet; et e contrario, pes loco motus atque vacillans, significare inconstantiam, ut in psalmo (LV): *Eripuisti oculos meos a lacrymis et pedes meos a lapsu*, id est, effecisti, ut in bono perseverarent; et in alio psalmo (LXXII): *Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei*, id est, pene sum dejectus de mea, quamvis firma et constanti, sententia.

Ad haec, *pedis* vocabulum, in arcano istarum Litterarum sermone, hominis sentientem partem significat, et ejus partis appetendi atque irascendi vires, et qui ex eis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

affectus exsistunt, ut liquere ex illo psalmi (XXXV) potest: *Non veniat mihi pes superbiae*, id est, affectus superbiae; et ex illo Matthaei (XVIII): *Si manus tua aut pes tuus scandalizat te;* quibus vocabulis, nostri figurate significantur affectus, qui saepe nobis offendiculo sunt. Idem et in illo significatur, quod ad serpentem in Genesi (III) dicitur: *Tu insidiaberis calcaneo ejus;* insidiatur, enim (id quod futurum praedicitur) nostris affectibus atque sensibus, quando eorum abutitur cupiditatibus, pro instrumentis ad interiorem hominem supplantandum. Itaque, haec est horum vocabulorum arcana significatio, quod et Augustinus et alii veteres in illo, quod est apud Joannem, docent: *Qui lotus est, non indiget nisi ut lavet pedes.* Igitur, hoc si teneamus, praecipit sapiens, ut templum ingressuri, hoc est, divinis rebus daturi operam, cohibeamus atque comprimamus affectus nostros, ne qua in re, praeter modum elati, ad animum ardorem suum insinuent ipsumque accendant atque perturbent. Quod item Paulus praecipiebat, ad Timotheum scribens (I, c. 2), qua dicit: *Volo viros orare, levantes puras manus sine ira et disceptatione;* et similiter Christus, sic dicens: *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo (Matth.,* V). Ex quo etiam apud Esaiam (VI) illa Cherubim, quae stantia inducuntur ante Deum atque ipsum laudantia, alis velatos pedes habuisse dicta sunt; pectora, vero, dimotis et expansis alis, aperta: quo significaretur, oportere, ut quando divinis vacamus rebus, corda patefaciamus Deo; pedes, autem, velemus, id est, cohibeamus turbidos animi affectus. Quam ad sententiam Chaldaeus Paraphrastes hoc loco alludens, sic dicit: TU, FILI HOMINIS, CUSTODI PEDES TUOS IN TEMPORE QUO IERIS IN DOMUM SANCTUARII AD ORANDUM, NE VENIAS EO PLENUS PECCATIS ANTE DOMINUM, QUOAD CONVERTARIS.

Postremo, hoc ipsum et alia ratione interpretari possi-

mus, si ejus, quod supra diximus, meminisse velimus. Nam custodire pedem, pro stare et consistere poni solere diximus, quod qui, fallente vestigio, labuntur, aut qui pedem lapidi impingunt, parum certo suos custodire pedes videri possunt. Stare, porro, recte in his Litteris orare et ad Deum preces fundere saepe significat, ex ipso orantis et preces fundentis habitu ducta metaphora. Nam olim stantes et erectos Deum precari solitos fuisse, constat, uti in pharisaeo orante apud Lucam (XVIII) apparet, et ut David de se dicit in psalmo (XXV): *Pes meus stet in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine;* et ut ex iis liquet, quae in eis dicuntur libris, quae *Paralipomena* inscribuntur (lib. II, cap. VII). Quo constituto, quando monet Salomon, ut in templo Dei pedem custodiamus, id scilicet monet, ut erecti stemus, id est, ut orationi et meditationi rerum divinarum tantum vacemus. Cui est consentaneum, quod sequitur: ET APPROPINQUA, UT AUDIAS. Nam harum duarum rerum causa ad templa adire debemus, ut orationi vacemus, et ut doctrinae sacrae attendamus: quod quoniam ii non faciunt, quos ipsi insipientes appellat, quique victimis offerendis se Deo placaturos sperant; ideo, NESCIUNT QUID FACIANT MALI, id est, boni atque mali discrimen ignorant, et mala quae sunt, saepe pro bonis sequuntur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT V

I. — Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in coelo, et tu super terram: idcirco sint pauci sermones tui.

Pergit religiosum instituere hominem, id est, ea pergit dicere, quae ab animo religioso praestanda sunt. Et quoniam supra, Deum precandi et legis divinae cognoscendi studium praecipiens, duas religionis partes maximas posuit, nunc adhibet tertiam, et ipsam valde pertinentem ad divinum cultum; ut, scilicet, de natura Dei deque omni rectione ejus optime loquamur atque sentiamus; et quo id commodius praestemus, exignitatis nostrae nobis conscii, contineamus nos ab omni circa divinas res curiosa inquisitione et sermone. Nam id religiosum in primis esse et ei venerationi, quae debetur Deo, decens atque conveniens, et alibi in sacris docemur Litteris; in *Proverbiis* (XXV): *Qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria*, et in *Ecclesiastico* (III): *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ne fueris curiosus;* et regius vates (in psalm. LXIV): *Te decet hymnus*, hoc est, ex hebraeo: *Tibi silentium laus, Deus in Sion.* Nam Dei praestantia major est, quam ut ulla oratione atque verbis possit explicari. Inquit ergo: NE TEMERE QUID LOQUARIS. אַל־תְּבַהֵל עַל־פִּיךָ, pro quo temere loqui, significationem habet cum terrore et festinatione mixtam, et in eo dicitur, qui mentis impos, festinanter quid agit; quod, in loquendo praecipitatio dicitur, ex quo lingua et sermo praeceps dici solet, cui maturus et modestus opponitur.

NEQUE COR TUUM SIT VELOX AD PROFERENDUM SERMONEM CORAM DEO. — Superius ad externum sermonem pertinet; hoc, autem, ad internum; quasi dicat: Neque lingua, neque corde, de Deo quidquam, nisi prius re bene perspecta, loquaris. Et addit causam: DEUS ENIM IN COELO, ET TU IN TERRA. In quo, paucis multa complectitur. Nam esse in coelo aut habitare in eo, cum de aliquo in his dicitur Litteris, significat plura. Primo, enim, significat ipsum vacare corpore, pro ratione loci, quem incolit; nam ex hac significatione ratio illa ducta est, qua Deus in *Exodo* (XX) sui imagines fieri vetuit, haec dicens: *Vos vidistis, quod de coelo loquutus sum vobis. Deos aureos et argenteos non facietis vobis.* Quasi dicat: Quia me e coelo vidistis loqui, ex eo intelligatis volo, me pro natura loci, in quo sum, expertem esse corporis, ac proinde nolle, ut mei effigiem ullam faciatis. Deinde, significat, eumdem cuncta prospicere, nihil latere ipsum, uti is, qui de altissima specula contemplatur, omnia ipsi subjecta videt; ad quod illud pertinet psalmi (X): *Dominus in coelo sedes ejus; oculi ejus in pauperem respiciunt*, et illud (Ps. XXXII): *De coelo respexit Dominus super omnes qui inhabitant terram.* Ad haec, significat, et ipsum summa pollere potentia, idque ex loci natura intelligitur; nam in coelo inest vis ad haec inferiora gignenda. De hoc habetur in psalmo (CXIII): *Deus autem noster in coelo, omnia quaecumque voluit, fecit*, id est, quia in coelo est, ex eo colligimus ipsum quidvis posse. Atque haec cum ita sint, quando Salomon hic, ut nos in sobrias de Deo cogitationes inducat, pro causa affert ipsum in coelo esse, has certe omnes, quas diximus, significationes complectitur. Nam dicit sobrie nos de Deo et loqui et cogitare debere, tum quia plurimum distat a nobis, utpote qui, corpore vacans, sit purus ac simplex; nos, autem, corpore e terra concreto involuti, terreni simus, nec, nisi quae corporea et terrena sunt, cognoscamus: tum quia pro loco in quo est, potentissimus est ad quidvis

efficiendum; nos, autem, ne ad cogitandum quidem: tum, denique, quia si quid ipsi cum animo nostro impie de illo loquamur, id ejus non effugiet oculos; est, enim, in coelo, ex quo videntur inferiora cuncta. Tandem, ait: ET IDCIRCO SINT PAUCI SERMONES TUI; idque confirmat, subjiciens:

2.—Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia.

Nam, quemadmodum cujus animus interdiu variis curis distrahitur, is noctu, quando somnum carpit, variis item afficitur insomniis, quod quae vigilantes gessimus, eorum simulacra occurrant nobis, cum quieti nos damus; sic, qui in loquendo multus est atque garrulus, multa dicat necesse est, aut falsa, aut inepta, aut ridicula. Et, ut mihi videtur, Salomon hic ab ὀνείρῳ deflexit ad θέμα, id est, a sententia particulari suam orationem ad generalem convertit. Nam docebat supra, parce esse loquendum de divinis rebus; hic, vero, omnino loquendum esse parce. Nam dicit, usque eo verum esse nos debere, cum de Deo agimus, magna in loquendo cautione uti, ut in omni etiam sermone sit vitiosa loquacitas, propterea quod, sicut cum multitudine curarum conjuncta insomnia sunt, sic cum multiloquio vanitas et ineptiae. Ut, enim, alibi Sapiens scripsit: *In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.*, X); et Jacobus scribit (I): *Sit omnis homo velox ad audiendum et tardus ad loquendum*, et: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio*, et paulo post (III) multis invehitur adversus linguae malum, quod vocat, id est, adversus ineptos et imprudentes sermones. Sed et hoc non dici non debet, ista duo inter se aptissime comparari. Nam sicut insomnia e earum rerum constant imaginibus, quas interdiu ipsi egimus, aut de quibus certe loquuti sumus; sic verba imagines sunt eorum, quae sunt in animo. Et sicut imagines, quibus insomnia efficiuntur,

perturbatae sunt et imperfectae, sic inepti et stulti sermones simulacra sunt animi perturbati et stulti. Sequitur:

3.—Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet, enim, Deo infidelis et stulta promissio. Sed quodcumque voveris, redde.—4.—Multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.

Exsequitur aliud, quod et ipsum ad religionis cultum valde pertinet. Agit, enim, de sanctitate in vovendo, et de fide servanda in praestando. Nam supra dixerat, Deum praecipue obedientia coli; deinde adjunxit placere ei, ut modeste de ipso atque sancte et sentiamus et loquamur: nunc, autem, addit, quod ad eorum, quae Deo nos facturos promittimus, fidem et religionem attinet. Inquit: SI QUID VOVISTI DEO, NE MORERIS REDDERE.—Non solum reddere praecipit, sed mature reddere: sic David dicebat in psalmo (XLIX): *Redde Domino vota tua*. Et subjicit causam: DISPLICET, ENIM, DOMINO INFIDELIS ET STULTA PROMISSIO.—INFIDELIS, quam qui pollicitus est, non praestat neque perducit ad exitum; STULTA, quae ejusmodi est, ut perduci aut non debeat, aut non possit. Hebraice, tantum: QUIA NON EST BENEPLACITUM IN STULTIS, id est, non sunt grati Deo stulti; vocat, autem, hic stultos, qui vovent, non praestaturi quod voverunt. Nam quasi cum homine agant, quem falsis promissis lactare ac conciliare sibi possunt, sic, in periculo constituti, quando obtinere a Deo salutem cupiunt, vota prolixe nuncupant; votis damnati fidem scelerate violant, quod aeque stultum est atque impium. Quare addit: MELIUS EST NON VOVERE, QUAM POST VOTUM PROMISSA NON REDDERE.—Nam in non vovendo nullum peccatum est; at in non reddendo, quae vovisti, atque maximum atque gravissimum. Sequitur:

5.—Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam: neque dicas coram Angelo: Non est providentia: ne forte iratus Dominus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.

Varie hoc explanatores exponunt, pie quidem omnes; sed alius melius alio. Olympiodorus: «Cave, ne dicas quod Deus ignorat, quae ab hominibus perpetrantur; irascitur, enim, talia dicentibus et illorum fortunas operaque corrumpit.» Nam, ut idem affirmat, providentiam Dei nemo negat, nisi qui idem profligatissimus est atque perditissimus, quales illi, de quibus psalmus (XCIII): *Et dixerunt: non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob*. Ergo, quoniam quaedam vitia sunt virtutibus quibusdam affinia, ne decipiamur, cautio adhibenda est; quam ad cautionem ista pertinere videntur. Qui, enim, studiosus est religionis, saepe fit superstitiosus; qui precandi Deum studio deditus est, saepe incidit in multiloquium; qui omnia a Deo obtinere studet, multus in vovendo esse solet, itaque plura vovet, quam quae praestare potest; qui rerum divinarum cognoscendarum et tractandarum cupiditate tenetur, saepe eo labitur, ut absurda de Deo et blasphema cogitet. Quare quia de eo studio proxime supra mentionem fecerat, ideo nunc id vitium ut caveamus, admonet, quod cum eo studio soleat esse conjunctum. NE DES, inquit, OS TUUM.—Hieronymus aliam, et longe diversam, interpretandi ingreditur viam. Arguit, inquit, eos, qui de vitio carnis queruntur, et ajunt, se corporis necessitate compelli ut ea faciant, quae nolunt. Itaque, quoniam eos arguebat, qui in vovendo faciles, in promissa solvendo essent negligentes, ei ne quis diceret, id, non tam hominis vitio, quam carnis fragilitate, contingere, seque ob id culpa vacare putaret, idcirco isti nunc occurrit, sic dicens: NE DEDERIS OS TUUM, UT PECCARE FACIAS CARNEM TUAM, id est, ne peccata tua dicendo extenues, aut eorum culpam in carnem derives, eique scelera

tua adscribas et assignes. NEQUE DICAS CORAM ANGELO, tibi qui semper adest, scilicet, teque audit atque custodit: NON EST PROVIDENTIA, aut, ut ex hebraeo ad verbum: QUONIAM HOC NON SPONTANEUM, id est, ignorans et improvide feci, ab ipsis sensibus coactus et in errorem inductus. NE FORTE IRATUS DEUS OPERA TUA DISPERDAT.—Nam tali, inquit, oratione et criminis derivatione valde offenditur Deus. Alii, porro, aliter, magisque, ut mihi videtur, apte; nam quod afferunt bene cum iis, quae praecesserunt, cohaeret. Ajunt insistere adhuc in eo, quod dixerat, praestare non vovere, quam promissi fidem non servare, idque et amplificare et confirmare, cum dicit: NE DEDERIS OS TUUM, UT PECCARE FACIAS CARNEM TUAM; nam dicere: *Cave*, ne facilitate linguae, id est, vovendi facilitate carnem tuam crimine et criminis poena implices. Votum ore proferre, facile est; prolatum non solvere, periculosum: reddit, enim, crimini atque poenae obnoxium. Unde in *Proverbiis* (VI): *Fili mi, si spoponderis pro amico, defixisti apud extraneum animam tuam, illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus*. Et addere: NEQUE DICAS CORAM ANGELO: NON EST PROVIDENTIA. Id, enim, valere: Neque mihi illud dicas, aut te inconsiderate vovisse, aut Deo ista vota tua curae non esse; nam audit te Angelus, isque voces istas tuas, blasphemiae plenas, ad Deum statim referet, teque, quod ad infidelitatem in praestando impietatem addideris, in defendendo disperdet. NE DEDERIS OS TUUM.—Dare os Hebraei cum dicunt, habenas laxare linguae, ipsique permittere, ut sine delectu effutiat quidquid in buccam venerit, significare volunt; et omnino dandi verbum, quacumque de re in eorum sermone dicatur, liberum in eo, de quo dicitur, et nullis legibus cohibitum usum significat. Quod illa indicare possunt... (1). UT PECCARE FACIAS

(1) Sequitur in codice *D* lacuna aliquot linearum. In exemplari PP. Matritens. additur: «*Non dabis in aeternum fluctuationem justo* (psalm. LIV); et illa: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*

CARNEM TUAM.—Caro pro homine in iis Litteris saepe ponitur ea orationis exornatione, qua res tota aliqua ejus de parte cognoscitur, ut in illo Joannis (I) apparet: *Et Verbum caro factum est*, et in illo *Esaiae*: *Omnis caro fenum*, et: *Videbit omnis caro salutare Dei*. Dare, igitur, OS UT PECCARE FACIAS CARNEM TUAM, quod hic dicitur, id certe est, permittere linguae ut se ipsa peccatis implicet; peccatis, inquam, id est, poenis, quae pro peccato debentur. Id, enim, hic significat peccare facere, reum scilicet voti facere, id est, iis obnoxium poenis reddere, quae in eos constitutae sunt, qui promissi fidem fallunt. Nam peccatum pro poena peccato debita saepe usurpant Hebraei, ut in *Deuteronomio* (XXIII): *Requirendo requirat Dominus votum illud, et erit in te peccatum*, id est, et dabis poenas, votum nisi solveris. Idemque perspicere licet in Levitico (XXII) et Numeris (XII). NON EST PROVIDENTIA.—Hebraice, ut diximus: ERROR AUT IGNORANTIA HAEC EST. Quae verba vel de Deo intelligi dicta possunt eo sensu, ut Deum res humanas aut ignorare aut non curare significent, quod noster est sequutus interpres; vel dicta de se ab eo, quocum Salomon loquitur, quibus se, quod non praestarit quod promisit, excuset, itaque dicens se, quae vovit, pollicitusque est, lubricitate quadam linguae et errore inconsiderate dixisse. NE FORTE IRATUS DEUS CONTRA SERMONES TUOS, DISSIPET CUNCTA OPERA MANUUM TUARUM.—Hebraice, ad verbum: QUARE EXCANDESCAT DEUS SUPER

(psalm. XV).» At codex A ita haec transcribit: «Ut ps. LIV: *Non dabis in aeternum fluctuationem justo*, id est, non permittes *fluctuationem justo*, id est, ipsum moveri aut labefacere; et psalm. XV: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, id est, non permittes corrumpi.» Et similiter in codice Bibloth. Nationalis: «Nam dare pro permittere saepe ponitur in sacris litteris, ut ps. LIVI *Non dabis in aeternum fluctuationem justo*, id est, non permittes illum moveri aut labefacere; et psalm. XV: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, id est, non permittes corrampi.»

VERBO TUO, ET DISSIPET OPERA MANUUM TUARUM. Quae, item, intelligi dicta possunt vel a Salomone in eum, qui de divina providentia prave sentit et loquitur, quo ipsum a sic sentiendo et loquendo poenae metu deterreat, vel ab eodem ipso, qui errorem et lubricitatem linguae excusabat. Quasi ita dicat: Ignoranter promisi, lapsus lingua sum, si quid vovi; quare, igitur, nisi promissa faciam, Deus irascetur super verbo meo, aut dissipabit opera mea, ac tam severe a me exigot promissum, quod imprudenter quodammodo ac per lusum promisi? Et erit enallage personae pro persona, secundae pro prima; nam eas sacrae Litterae saepe commutant. Sequitur:

6.—Ubi multa sunt somnia, plurimae sunt vanitates, et sermones innumeri: tu vero Deum time.

Quasi dicat: In insomniis, pleraque visa vana sunt et falsa: ET SERMONES INNUMERI, id est, multiloquium similiter conjunctum est cum vanitate et errore. Nam qui in loquendo multus est, idem ut vanus et ineptus sit, necesse est, quomodo supra diximus. Sequitur:

7.—Si videris calumnias egenorum et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii.

Qui Deum humanas res curare non putant, ea ratione potissimum in errorem induci solent, quod videant bonos a malis, tenues a potentioribus opprimi. Qua de re, David dicebat in psalmo (LXXII): *Et dixerunt, quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso? Ecce ipsi peccatores et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias.* Et Claudianus poeta (lib. I. *in Ruf.*) perelegantes:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, et incerto fluerent mortalia casu.

Et Epigrammatum scriptor (1) non invenuste:

Marmoreo tumulo Licinius jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo: credimus esse deos!

Quare, quoniam de eo errore quantus et quam fugiendus esset, nonnulla superius perstrinxerat, ab eo ut magis homines liberaret, fontem nunc, a quo is semper manare solet, aperit et exscindit, haec dicens: SI VIDERIS CALUMNIAS EGENORUM ET VIOLENTA JUDICIA, et quae sequuntur caetera. Nam dicit eos, qui pauperes opprimunt, ac se superiores esse volunt, et in omnes dominari contendunt, habere alios se majores et altiores, quibus subsint, et quibus tandem prave a se factorum siat reddituri rationem, neminemque impune laturum, mali si quid fecerit. Itaque ait: SI VIDERIS pauperes opprimi, justitiam subverti, bonos lugere moestos, improbos laetos volitare, ne ob id existimes casu et temeritate evenire omnia; sed hoc tibi vere persuade, neminem eorum, qui improbe vivunt, ac jus aliorum per potentiam violant, tam esse potentem atque magnum, ut eo non alius sit potentior et major, hoc est, pro certo habe, alium ipso potentiorem futurum, fortunis qui evertat ipsum, ac parem vicem reddat, et qualia in alios fecit, talia in eum designet; ac denique, esse super omnes alium, omnium potentissimus qui est, cui justitiae violatores universi poenas acerbissimas pendent. NON MIRERIS SUPER HOC NEGOTIO.—Graeci: μὴ θαύμαζε, quos sequutus est noster. Hebraei, autem: חמצא, quod est voluntas et

(1) PP. Matritenses: « Varro, vide inter Epigrammata vetera, lib. III *De insepultis claris.* » Consuli nunc poterit *Bibliotheca classica* Lemaire, vol. IV, pag. 587 (Paris., 1825).

grate aliqua in re conquiescens affectus. Voluntas, autem, hic intelligitur aut eorum, qui per tyrannidem tenues oppresserunt; aut Dei, qui haec dum dissimulat, aut fieri permittit, ea probare et grata habere videtur. Itaque, dupliciter hoc exponi potest. Primo, sic: Cum injustitiam in vita dominari, et in eo Deum dissimulanter agere, et quodammodo connivere conspexeris, NE MIRERIS, quasi id Deus probet et gratum habeat; non, enim, probat, sed unius scelere alterius scelus ulciscitur, et facit ut hominem sceleratum alius ipso opprimat sceleratior, tandemque ab omnibus poenas exigit. Secundo: Quod videas potentiores ad suum nutum cuncta revocare, et pro sua libidine omnia agere et impudenter grassari in universos, alios injuria afficere, alios opibus evertere, aliis vitam eripere, injustas suas voluntates semper explere, ne tu istud eorum vitae studium probandum putes, neque ob id illos admireris, aut eorum fortunam optes; nam et ipsi aliis praedae erunt, et quam voluptatem male aliis faciendo ceperunt, eam, illata ipsis ab aliis mala subeundo, brevissime amittent. Quale est illud psalmi (XXXVI): *Noli aemulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fenum velociter arescent, et tanquam olera herbarum cito decident;* et Hieremiae (XXX): *Propterea, omnes qui comedunt te, devorabuntur: et omnes hostes tui in captivitatem ducentur: et omnes qui te vastant vastabuntur, cunctosque praedatores tuos dabo in praedam.* Quod et evenit iis, a quibus per injuriam Hebraei oppressi sunt; eos, enim, paulo post injuriose oppresserunt alii: itaque, ea res hunc locum maxime illustrat. Nam Hebraeos vastarunt et captivos abduxerunt Babylonii, Hebraeis potentiores; Babylonios, Persae everterunt; Persas, Graeci; Graecos, Romani; qui, et ipsi, a Gothis superati, ad nihilum redacti sunt. Neque, tamen, id impune tulerunt Gothi; Mauris, enim, poenas pependerunt; quos, certe, paulo post et alii superabunt: semperque, ut hic dicitur, excelso alius excel-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sior erit, et violento alius violentior succedet. Nam, ut Christus dicebat, *qui gladio interficit, gladio peribit.* Sequitur:

8. — Et insuper universae terrae Rex imperat servienti.

Quod ad superiorem orationem pertinet, ut latino visum est interpreti, eique adjungendum est ea sententia, quam diximus, ut, scilicet, intelligatur tandem ad unum esse deveniendum, qui sit omnium potentissimus, quique quae prave alii fecerunt, ulciscatur ipse. Quamquam REX UNIVERSAE TERRAE, qui hic dicitur, vel rex terrenus est, qui reliquos principes supra est, quo principatu nullus est principatus major; vel, quod verius puto, ipse Deus, cujus numen in omnibus dominatur. Sed sunt, qui hunc versiculum parum commode de hebraeo conversum dicunt; itaque, alio modo et sensu ipsi convertunt. Quare de hoc primum, utrum recte noster converterit; deinde, utrum verti etiam recte alio modo possit. Ac de primo, hebraea sic: ויהרון ארץ בגל הוא מלך לשוה נעבד, in quibus si שׁוה legamus pro שדה, uti noster, sine dubio, legit interpres, alia in alterius locum substituta voce, mutatione facili propter litterarum inter se similitudinem maximam, sua nostro versio constabit. Nam verti ad verbum isto modo possunt: ET DENIQUE, IN UNIVERSA IPSA TERRA REX AD IMPERANDUM EI, CUI SERVITUS EXHIBETUR. Id est: Et, denique, universa terra ditioni regis subjicitur, qui imperat ei, cui servit; quoniam, scilicet, omnis eorum, qui recte imperant, ratio ad eorum, qui parent, salutem dirigitur. De altero, autem, ex his, quae diximus, constat verti hebraea alio etiam posse modo: sunt enim ab iis, quae olim fuerunt, alia, ut videtur; eaque sic latine, ad verbum, reddi possunt: ET SUPERABUNDANTIA TERRAE SUPER OMNIA IPSA, REX AGRO SERVIENS. Quod et Graeci interpretes, non omnino male expresserunt, dicentes: Καὶ περίσσειαν γῆς ἐπὶ παντὶ ἐστι βασιλεὺς τοῦ ἀγροῦ εἰργα-

σμένου, quibus agricolarum vita laudatur. Nam dicitur SUPERABUNDANTIAM TERRAE, id est, quod e terra provenit, quod arte cultum solum giguit, fruges terra quas fundit, hoc est, eorum, qui terram colunt atque serunt, studium SUPER OMNIA ESSE, id est, anteferendum esse reliquis studiis, usque eo, ut rex agro serviat, id est, usque eo, ut agricolarum vitae regum cedat vita: quae, certe, vitae rusticae hoc loco adhibitae laudes multum cum superiori oratione cohaerent, et ex illa mire ducuntur. Nam dixerat, neminem esse, quo non alius potentior exsisteret; neminem in alios injurium, quem non item alii injuriis afficerent; neminem, qui aliorum depraedaretur opes, in cujus alii fortunas aliquando non invaderent: itaque, omnium, quamvis potentissimorum, hominum opes expositas esse ludibrio fortunae. Cui rei consequens erat, ut subjiceret humilem privatorum vitam omnium esse securissimam, et quo humiliorem eo securiorem ac magis expetendam esse, qualis est agricolarum; quos alma fovet pax, quia in unius terrae cultu occupati eique dediti, imperia negligunt opesque et studia ambitionis. Itaque, periculorum, quibus regum vita obnoxia est, mentio facta fecit, ut meminisset, quam procul ab eis esset agricolarum vita periculis, utque, utrosque inter se conferens, terrae colonos regibus anteferret ac diceret: ET SUPERABUNDANTIA TERRAE SUPER OMNIA, REX AGRO SERVIT. Ab eisdem, enim, principiis orationem suam orsus, Poeta summus (Virg., II *Georg.*) eodem devenit. Nam, cum copiosorum atque ambitiosorum vitae mala exposuisset dixissetque:

Sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas et limina regum.
Hic petit excidiis urbem, miserosque Penates,
Ut gemma bibat et Sarrano in dormiat (1) auro:
Condit opes alius, defossoque incubat auro.

(1) Codex D: *Sarrano dormiat.*

Hic stupet attonitus vostris; hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatur enim) plebisque Patrumque
Corripuit: gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exsiliuque domos et dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quaerunt sub sole jacentem.

Unam agricolarum probans et laudans vitam, sic intulit:

Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor, hinc patriam, parvosque nepotes
Sustinet: hinc armenta boum, meritosque juvencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut foetu pecorum, aut cerealis mergite culmi,
Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.

Et quae sequuntur. Et Lyricus, similiter, ex collatione ad alios laudat agricolas, dicens (lib. *Epod.*, od. II).

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni foenore.
Non excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare,
Forumque vitat, et superba civium
Potentiorum limina.

Hanc, itaque, esse hujus loci sententiam visum est Paraphrasti Chaldaico, qui sic: ET EXCELLENTIA LAUDIS CULTURAE TERRAE SUPER OMNIA EST. Sequitur:

9.—Avarus non implebitur pecunia: et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. Et hoc ergo vanitas.

Docuit et quae essent religiosi hominis officia, et quae item religiosi homines vitia vitare deberent: nunc, accedit ad avaritiae mala explicanda. Aut, certe, quo ista cohaereant cum superioribus et ex illis ducantur, dicendum potius est, quoniam supra mentionem fecit eorum, qui per injuriam imbecilliores opprimunt, quod injuriae genus, maxima ex parte, e plus habendi studio, id est, ex avaritia procedit (diripiunt, enim, imbecilles tyranni, quo ipsi plus habeant, et propter aviditatem pecuniae omne jus violant); ideo, consentanee ad avaritiae, quae est injustitiae fons, vituperationem se convertit, ea mala, quibus pecuniae studiosi subjiciuntur, enumerans. AVARUS, inquit, NON IMPLEBITUR PECUNIA.—Quasi dicat: Si quos videas in alios invadere, ipsosque fortunis evertere, ne eos beatos putes. Primum, eos alii brevi spoliabunt, atque opibus evertent. Deinde, ut alii desint, qui ipsos spolient, sua eos cupido mala vexabit misere. AVARUS, enim, NON IMPLEBITUR PECUNIA.—Primum avaritiae malum, infinita plus habendi sitis. Nam quod alia bona faciunt cum possidentur, ut sui cupiditatem satient, id contra evenit in pecunia, quae, quo magis crescit, eo majorem sui desiderium accendit. Ex quo vere ille:

Crescentem sequitur cura pecuniam
Majorumque fames.....

Quae res, studium pecuniae vanum esse docet, et inutile: quae, enim, quis appetit aut adipisci desiderat, eo desiderat, ut ea cum adeptus fuerit, desiderio suo modum ponat. ET QUI AMAT DIVITIAS, FRUCTUM NON CAPIET EX EIS; quod est alterum avaritiae malum, ut avaro opes, quas amat, eo quod eas amat, inutiles et infructuosae sint. Nam quia amat, servat, diligenterque custodit; fructus, autem, pecuniae in usu ejus est, in insumendo, scilicet, et expendendo. Scite, ergo, ille: «Avaro tam deest quod adest, quam quod non adest.» Sed pergit:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

10.—Ubi multae sunt opes, multi qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, quod cernat divitias oculis suis?

Nam divitiae et amplae facultates neque parari possunt, neque servari, sine opera multorum, quos necesse est alat magno suo sumptu avarus dives. Itaque, quia avarus est, se fraudat geniumque suum, ut sumptui parcat; quia, autem, ministris eget, in eorum usus necessario magnam suarum opum partem insumit: ex quo efficitur, ut opes ipsi avaro infructuosae sint; ministris, autem, ipsius fructuosae: quod est tertium avaritiae malum, idque gravissimum. Quare recte adjecit: ET QUID PRODERIT POSSESSORI, QUOD CERNAT DIVITIAS OCULIS SUIS. Quasi dicat: Appelletur ille quidem dives; ut lubet, opum suarum, quantum volet, aspectu delectetur: fructus, certe, divitiarum ad ipsum non pervenit, estque, ut ille ait, magnas inter opes inops. Sequitur:

11.—Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat: saturitas, autem, divitis non sinit eum dormire.

Non solum, inquit, infructuosae sunt avaris opes suae, sed etiam sunt noxiae et detrimentosae; estque hoc quartum illarum malum. Nam reddunt illos otiosos et saturos; ex quo, vigilia sequitur. Confert, itaque, vitam frugalem tenuium cum copia et luxuria copiosorum, ac dicit, qui labore victum quaerunt, cum se quieti dant, dormire placide; contra divitem, ob saturitatem et otium, cruditate et vigilia laborare. Et quamvis unius vigiliae meminerit, tamen eo plurima alia mala comprehendit. Nam argumentatur tacite et a minori. Quasi dicat: Si quod ex copia maxime quaerunt divites, dulcem, scilicet, et voluptatibus maximo refertam vitam, et placidam requiem, non solum non assequuntur, sed tranquilli ac jucundi quidquid ipsis

natura inerat, ea copia amittunt ac corrumpunt, corpusque, quamvis validum, otio imbecillum et morbis obnoxium reddunt; qua in re, quaeso, divitiae illis esse poterunt, aut in quo non erunt detrimento? Sed et inest in his verbis atque latet altior alius et magis interior sensus, isque, non minus quam superior, aptus ad nostros mores informandos. Somno figurate mors significari solet, et a nostris et ab externis. Pocta:

.....Ferreus urget
Somnus, in aeternam clauduntur lumina mortem (1).

David in psalmo LXXV: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis.* Ergo, ut Hieronymo in hoc loco et Olympiodoro videtur, componit Salomon virum, re pauperem, sed virtute divitem, cum homine, non magis opibus quam vitiis opulento, eorumque ut est vita dispar, ita vitae exitum dissimilem futurum dicit: illius, enim, somnus, id est, mors, erit tranquilla atque dulcis; hujus, contra, turbulenta atque amara: illi, placide; hi, aegerrime vitam finient: illis, ad quietem valebit mors; his, ad cruciatum atque miseriam. DULCIS EST, inquit, SOMNUS OPERANTI, SIVE PARUM, SIVE MULTUM COMEDAT. Sicut qui, diurno labore fessi, quieti dant se, sive saturi sive jejuni cubitum eant, tranquille et placidissime dormiunt; sic, inquit, quicumque in hujus vitae curriculo in labore honesto se exercuerunt, sive eos secunda fortuna comitata fuerit, sive usi fuerint adversa, in morte jucunde quiescunt. De iis, enim, Joannes (*Apoc.*, XIV): *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Et Paulus, *ad Timotheum* scribens (II, c. IV), quod se ejusmodi labore contriverat, ad hujc similem quietem spe minime dubia aspirabat, bo-

(1) Sic in codice D. At PP. Matritens. corrigunt: «lumina noctem,» et ita leguntur in Virgilio (*Æneid.*, lib. X).

num se certamen certasse dicens, et de reliquo repositam sibi esse justitiae coronam sperans. Et, certe, hominis justi vita atque mors in his Litteris, similitudine ducta ab operariis hominibus, et alibi in his Litteris declaratur. *Job*, capite XI, de morte bonorum sic dicitur: *Defossus, securus dormias.* In quo defossus active, pro eo, quod est defodiens, scriptum esse intelligi debet. Nam in hebraeo, verbum pro verbo: *Defodies, et securus dormies.* Quod est perinde, ac si dicat: Quemadmodum qui se in fodiendo contrivit agro, quietis tempore alte dormit; sic, tibi, timenti Deum, et in ejus legum custodiam cum labore et fide versato, vitae exitus futurus est pacatissimus. Ad quam sententiam, et Graeci interpretes cum locum verterunt, sive potius paraphrasi explanarunt, dicentes: ἐκ δὲ μερίμνης καὶ φροντίδος ἀνατρέχειν σοι εἰρήνη, id est: E SOLLICITUDINE ET CURA EFFULGET TIBI ATQUE EXORIETUR PAX. Atque ut e labore diurno nascitur nocturna quies; sic, ex studio in virtute posito pax sequitur. Nam, ut hic Salomon dicit: DULCIS ERIT SOMNUS OPERANTI, SIVE PARUM, SIVE MULTUM COMEDAT: SATURITAS AUTEM DIVITIS NON SINIT EUM DORMIRE. Quae, autem, est ista saturitas, qui divitibus somnum eripit? Christus apud Lucam (XVI) id satis aperte interpretatur, illi diviti cum dicit: *Fili, recordare, quod accepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc vero hic consolatur, tu vero cruciaris.* Copia, igitur, deliciarum et bonorum operum otium istam saturitatem constituit. Quae, quam turbulentos in morte somnos generet, idem ille dives suo exemplo declaravit satis, cum dixit: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Ad quod genus et illa pertinent (*Luc.*, VI): *Vae vobis divitibus, quia recepistis consolationem vestram*, et Esaiae illa: *Vae qui surgitis mane ad ebrietatem sectandam, et polandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis. Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Sequitur:

12.—Est alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiae conservatae in malum domini sui.

Ad caetera, quae divitibus incommoda accidere dixit, hoc etiam nunc adjicit malum, quod saepe eveniat, ut illis exitio sint opes suae. Multi, enim, pereunt ob id ipsum, quia sunt divites, alioqui minime perituri. Est, autem, id certe miserrimum, quae quis parat, subsidium ut vitae in eis collocet, ob ea praecipue sibi vitam eripi. Sic Olympiodorus explanat, malumque id, cujus hic mentio fit, malum mortis appellat, in quod ob divitias saepe incidunt divites, vel per calumniam, vel per apertam vim. At Hieronymus lites interpretatur, quibus semper divites implicantur. Chaldaeus, porro, Paraphrastes, quod opes suas aliquando tandem dives relicturus sit cum moerore et tristitia, seque ab eis aegerrime avulsurus, sicut alibi scribitur: *O mors, quam amara est memoria tua viventibus in deliciis!* Itaque, quidam, jam moribundus, et se ab his divelli graviter dolens, sic cum animo suo loquutus dicitur:

Animula..... (1).

(1) Sic in codice *D*, inchoata tantum strophe, quam integram PP. Matritenses ita transcribunt, ut eam Luysius proculdubio citare intendebat:

Animula vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Quae nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos.

(Ælius Spartianus, in vita Hadriani Imperatoris).

In codice *A* tota haec periodus alio legitur modo, ita scilicet: «Caeterum, Olympiodorus et nonnulli alii hoc malum dicunt esse mortis malum; in quod saepe incidunt divites, ob id ipsum, quia divites sunt, ut v. g.: cum intenditur illis aliqua calumnia, ut eos

Sed quod addit: CONSERVATAE IN MALUM DOMINI SUI, magnam vim habet ad hujus mali amplificandam magnitudinem, in hebraeo praesertim, ubi pro conservatae id verbum est, quod habitum in custodiendo, id est, summam curam et diligentiam ostendit. Itaque, vertere licebit: summa adhibita cura CONSERVATAE IN MALUM DOMINI SUI; quod est malum gravissimum. Nam ipsum laedi, grave est; gravius, autem, ab ea laedi re, quam tibi futuram praesidio credebas; gravissimum, autem, ab eo, quod non solum praesidio futurum putabas tibi, sed quod parasti in hoc ipsum, ut tibi praesidio esset, idque summo studio, cura et vigiliis. Nam quid luctuosius esse potest, quam in eo ipso, in quo maxime studeo saluti meae, certam perniciem conciliasse mihi? Itaque, quoniam id triste atque miserum est, idcirco Salomon in eo notando usus est nova voce. Non, enim, malum, ut alia, neque vanitatem vocavit; sed infirmitatem pessimam atque languorem; et ut ex hebraea voce constat, eum languorem, cui dolor atque cruciatus gravis conjunctus est. Et, certe, consentaneum est rationi, ut divites graviter torqueantur, cum se perire vident ob divitias, quas adamarunt, quas studiose collegerunt, per quas se incolumes futuros esse et florentes sperarunt. Et ob id ait:

13.—Pereunt enim in afflictione pessima.

Nimirum, quia se perire cognoscunt ob id ipsum, quod sibi auxilio futurum arbitrati sunt in omni sua fortuna. Quae eos res acerbissima animi aegritudine afficit; exedit,

spolient divitiis, et ad mortem et supplicium rapiant; aut cum a praedonibus et latronibus interficiuntur, ut ipsum *(sic)* similiter opibus spolient. Et, certe, melius est, ut intelligamus omnia ista significata esse et comprehensa a Salomone ista voce. Quod, autem, dicit: CONSERVATAE... » Sic etiam, paucis immutatis, codex Bibliothecae Nationalis.

enim, certe atque conficit eorum animos. Sequitur: GENERAVIT FILIUM, QUI IN SUMMA EGESTATE ERIT.—Quod ipsum ex eo, quo de agimus, sequitur malo; et valet ad magis ostendendum, quam doleant divites, cum se ob divitias perire vident. Non, enim, solum vitam amittunt ipsi, sed gnatos etiam suos, quibus thesaurizabant, et quos ad spem amplissimarum opum eduxerant, in summa egestate relinquunt. Nam qui ob divitias per calumniam interimuntur, bonis etiam privantur; quos, ut divites et beatos efficerent, opes studiose congerebant, dimittunt egenos atque inopes; quod eos malum gravissime excruciat. Unde id apud Job in miseriae et infelicitatis parte ponitur, qua scriptum est (v): *Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim. Longe fient filii ejus a salute, conterentur in porta, et non erit qui eruat.* Et in psalmo (CVIII): *Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent: et ejiciantur de habitationibus suis.* Itaque, qui divitias sibi parabat, et eas pro Deo colebat, quod in eis se habiturum putabat ea vitae praesidia, quae non ipsum modo beatum redderent, sed posteritati etiam suae honori atque ornamento forent, earum ipsarum causa, calamitate involutus et oppressus, ignominiam et inopiam posteris legat, ipse misere occidit. Ex quo consentanee sequitur:

14.—Sicut egressus est nudus, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo.

Nec ipse secum auferet, nec filiis suis quidquam, praeter desiderium, relinquet. Quamquam haec non ad eos proprie, qui, quod essent divites, colore aliquo quaesito et falso crimine objecto, una cum vita divitias amiserunt, sed ad universos divites communiter pertinent. Ea, enim, divitiarum natura est, eas ut nemo secum ferre queat, cum discedit e vita; idque earum studium satis arguit vanitatis. Nam eo studio beata vita quaeritur; beatam autem vitam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qui efficiat, quod in ipso vitae ingressu nos deserit? in vitam, enim, ingreditur noster animus, et quidem perpetuo duraturam, cum a corpore excedit. Sed haec ipsa in hebraeo pleniora sunt, nimirum: QUEMADMODUM EGRESSUS EST DE VENTRE MATRIS SUAE, NUDUS REVERTETUR AD EUMDEM, QUEMADMODUM VENIT, ET QUIDQUAM NON TOLLET DE LABORE SUO, QUOD HABEAT IN MANU EJUS. In quo Salomon, ut mihi videtur, ad gentium morem allusit, quibus in more erat, in hominis mortui manu, cum eum sepultura afficiebant, ponere obolum, quo naulum solveret Charonti portitori; de quo, Lucianus in *Menippo*. Quasi ita dicat: Nihil secum ferat, ne illud ipsum, quod gentes vita functis hominibus inepte dare solent, quo naulum solvant. Idque ipsum aliis rursus verbis amplificat, dicens:

15.—Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei, quod laboravit in ventum?

INFIRMITAS, id est, cruciatus et dolor, aegritudoque animi acerba. Porro LAVORAVIT IN VENTUM, hebraica dixit proprietate, pro *se contrivit vano labore et inutili*. Qua usus Paulus est, *ad Corinthios scribens* (I., c. IX): *Ego autem sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans*, id est, casso et inutili labore me conficiens. Sequitur:

16.—Cunctis diebus vitae suae comedit in tenebris et in curis multis, et in aerumna atque tristitia.

Comedere in tenebris, est in tristitia et moerore versari. Nam tenebrae pro tristitia, lux pro gaudio ponuntur. Ergo ad extremum docet divitias neque prodesse in morte, quoniam, ut statim dixerat, eas nemo secum defert; neque prodesse in vita, quoniam, qui earum studiosi sunt, neque parare neque conservare eas possunt sine curis et industria.

Et certe, id ostendit, quanta vanitas sit in earum studio, quamque ipsae longe absint, non solum a summo bono, sed omnino a vera ratione boni, quando hanc vitae jucunditatem, cujus causa maxime expetuntur, non solum non afferunt, sed et curis et molestiis contaminant. COMEDIT IN TENEBRIS.—Id est, neque mensa illi aut cibi capiendi tempus, cura vacuum, relinquitur. Quo quid miserius esse potest, quam parare id, quod victum suppeditet, et ob ipsum fieri, ut et ipsae epulae sint amarae? Sequitur:

17.—Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis, et bibat, et fruatur laetitia de labore suo, quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitae suae, quos dedit ei Deus: et haec est pars illius.

Hoc nonnulli interpretantur a Salomone dictum, quasi ex aliorum persona, et non ex sua sententia. Nam, quoniam posuerat, quam misera esset avarorum vita, dicens: CUNCTIS DIEBUS VITAE SUAE COMEDIT IN TENEBRIS, ET IN CURIS MULTIS, nunc dicat hinc fieri, ut nonnulli, eorum vitae miseria et parcitate et sordibus perspectis, aliud extremum sequuti, judicent nihil melius esse, quam frui praesentibus et voluptati atque crapulae indulgere. Itaque, quod dicit: HOC, ITAQUE, VISUM EST MIHI BONUM, UT COMEDAT QUIS, ET BIBAT, est, quasi diceret: Hinc fit, ut nonnulli, horum avarorum miserum vitae genus detestati, idque abhorrentes, judicent, in usu cibi atque potus et in voluptate totum bonum esse constituendum; itaque, sentiant, ac dicant: Hoc nobis videtur esse bonum, haneque partem nostram esse, jucunde atque laete vivere. Haec nonnulli. Sed verosimilius videtur, haec a Salomone ex sua ipsius persona atque sententia fuisse dicta; quod, item, Hieronymo et Olympiodoro visum fuit. Quamquam, neque sic una erit expositionis ratio; sed varia et multiplex. Primo, potest ita exponi, quasi Salomon his verbis

dicat, quid sibi aliquando visum fuerit et qua ratione visum, id est, extenuet culpam suam, quod his rebus, cibo et potui et voluptati, aliquando nimium indulxerit, docens se ex eo in eam sententiam et errorem inductum, quod viderit avarorum vivendi rationem esse miserrimam et maxime detestandam. Quasi ita dicat: Hinc factum fuit, ut mihi aliquando visum fuerit optimum factu esse ventri atque voluptati servire, meque ipsum hujus vitae bonis oblectare. Vel, certe, secundo potest exponi, probari a Salomone hoc vitae genus, non absolute, sed per comparationem ad aliud, quomodo videtur significare D. Hieronymus. Nam, licet utrumque vitiosum sit et detestandum, avaritiae servire et luxui indulgere; tamen, minus a ratione disceditur in hoc, quam in illo. Vel, certe, hic Salomon, non collatione facta, sed absolute loquitur, et probat istarum rerum usum moderatum et sicut a ratione praescribitur. Idque facit duplici de causa. Prima: quia exposito avaritiae vitio, id est, iis malis, quibus efficitur, ut avarorum ratio fugienda sit, ratio ipsa doctrinae poscebat, ut quid sequendum, quae ratio vitae servanda in ejusmodi rebus esset, traderet atque doceret; id est, doceret, quis esset usus divitiarum, si non is est, quem avari ex illis capiunt. Itaque dicit: HOC MIHI BONUM VISUM EST, UT COMEDAT QUIS, ET BIBAT, ET FRUATUR LAETITIA DE LABORE SUO; quasi dicat: Cum constet, ex divitiis tot mala provenire, eas si amemus quemadmodum avari amant, quot superius exposita sunt: mihi videtur tum bonas et esse et haberi debere, quando eas homo habet, non quando ab ipsis habetur, id est, quando eas in suos et aliorum usus, prout ratio poscit, consumit. ET HAEC, inquit, EST PARS ILLIUS, id est, hoc est officium ejus, qui divitias possidet, et hic est rectus et probatus usus earum. Altera causa, quare hujus rei mentionem fecit Salomon, ea est, ut recte Olympiodorus adnotavit, ut divites, quos ab avaritia deterruerat, proponendis iis malis, quae ex studio nimio divitiarum se-

quuntur, magis adhuc ab eodem removeret vitio, exponendis iis bonis, quae capi possunt ex divitiarum moderato usu. Nam asservatae et plus nimio amatae, divitiae curas afferunt et anxietates, et, ut dixit, faciunt, ut comedat in tenebris, id est, vitam acerbam efficiunt; at moderate expensae, efficiunt, ut bene et jucunde vivi possit, jucunditatis certe et laetitiae sunt effectrices. Et quidem, ea est commodissima ratio dehortandi ab aliquo vitio, cum ostenditur, cum quis abstinet, non solum vitare dolorem, sed etiam comparare voluptatem. Sumus, enim, omnes laetitiae et voluptatis avidi. Itaque, in eamdem sententiam sequitur:

18.—Et omni homini, cui Deus dedit divitias atque substantiam, et potestatem ei tribuit, ut comedat ex eis, et fruatur parte sua, et laetetur de labore suo: hoc est donum Dei.

Id est, divitiae sunt donum Dei, cum simul adest animus uti sciens. Nam si is desit, animo parco et tenaci divitiae tristitiae atque supplicio sunt; non bonae divitiae, non donum Dei sunt, sed pro supplicio habendae: id est, non a Deo nobis benevolo et propitio collatae; sed ab irato, ad nos torquendum, immissae. Et addit causam, quare id sit donum Dei, dicens:

19.—Non enim jam recordabitur dierum vitae suae, eo quod Deus occupet deliciis cor ejus.

Id est, vitam sine molestia et jucunde traducit, labores et molestias hujus vitae levius fert, aut omnino non sentit. Nam dies vitae pro, laboribus et molestiis plena, hominum vitae ratione ponuntur. Nam vitae tempus, quod homini datum est, ejusque traducendi ratio varie in sacris Litteris vituperatur. Nunc, enim, laboriosi dicuntur (*Job*, v): *Homo natus ad laborem, sicut avis ad volatum;*

nunc breve et exiguum, ut (Ps. CXLIII): *Homo vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra praetereunt;* nunc, plenum miseriis, ut (*Job*, XIV): *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra.* Horum, igitur, dierum vitae ea, quae illis agnata et conjuncta sunt, mala lenit Deus in his, quibus id concessit, ut, sine cura et sollicitudine, in moderata copia et usu istorum bonorum laeto animo vitam traducant. Et quamquam hoc ita sit, moderatum usum divitiarum probari a Salomone hoc loco, tamen intelligi debet per Salomonem Spiritum Sanctum, his rerum sensibilium vocibus et imaginibus, erigere nos et inducere ad quaerendum altius aliud et praestantius laetitiae et deliciarum genus, quod in vera cordis laetitia consistit ea, quae ex Dei cultu et Christi fide et charitate percipitur. De qua laetitia Paulus (*ad Philippens.*, IV): *Gaudete in Domino semper, iterum dico: Gaudete*, et (II. *Cor.*, VI): *Quasi tristes, semper autem gaudentes;* quae et ponitur inter fructus spiritus (*ad Galatas*, V): *Pax et gaudium.* Nam, sicut Sacrae Litterae pacem animi interiorem, quae in justificatione et affectuum extinctione consistit, exprimere solent per voces et imagines, quae externam hanc pacem significent, ut in illo (Esaiae, XI): *Habitabit lupus cum agno*, et *non nocebunt in monte sancto meo*, et alibi: *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces;* et sicut vitae venturae felicitatem atque opes imagine civitatis aureae atque gemmeae significant, ut Joannes fecit (Apoc., c. XXI); sic, cibi et potus nominibus, imagineque ejus laetitiae, quae ex cibo et potu percipitur, hoc loco innuit veram illam cordis laetitiam, quam ex pietatis cultu, qui est verus animorum cibus, percipiunt justi viri. Quae, certe, verum hominis bonum est, veraque illius pars.

CAPUT VI

I.—Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines.—2.—Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animae suae ex omnibus, quae desiderat; nec tribuit ei Deus potestatem, ut comedat ex eis, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas et magna miseria est.

Adhuc Salomon insistit in demonstranda vanitate divitiarum, idque non sine causa. Sed quia sciebat homines, maxima ex parte, earum studio capi, et eas pro magno et vero bono habere; ideo, quo nos ab earum studio dimoveat, ei pluribus verbis insistit, nihilque praetermittit eorum, quae contra opes et earum studium dici possunt. Et quoniam quispiam posset dicere eorum quidem, qui in parandis aut conservandis opibus labores et molestias subeunt, non esse eligendam vitam; at eorum, qui opibus circumfluunt, et omnia illis pro voto succedunt, esse expetendam et praedicandam; ideo, ut doceret, ne in hoc quidem vitae genere esse aliquid solidum, et firmum, et magnopere expetendum bonum, dicit saepe etiam hujusmodi beatis et copiosis accidere, ut postquam divitias congesserunt maximas, omniaque illis pro voto successere, variis rationibus impediti atque prohibiti, fructum ex eis capere nullum possint. Itaque, divitem describit, omni ex parte florentem atque felicem, et cui plane nihil desit, dicens: VIR, CUI DEDIT DEUS DIVITIAS, ET SUBSTANTIAM, ET HONOREM, nam sunt nonnullae divitiae sordidae, ET NIHIL DEEST ANIMAE SUAE EX OMNIBUS, QUAE DESIDERAT. At tali homini, tam copioso, tam locupleti, tam splendido, tam felici atque

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nunc breve et exiguum, ut (Ps. CXLIII): *Homo vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra praetereunt;* nunc, plenum miseriis, ut (*Job*, XIV): *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra.* Horum, igitur, dierum vitae ea, quae illis agnata et conjuncta sunt, mala lenit Deus in his, quibus id concessit, ut, sine cura et sollicitudine, in moderata copia et usu istorum bonorum laeto animo vitam traducant. Et quamquam hoc ita sit, moderatum usum divitiarum probari a Salomone hoc loco, tamen intelligi debet per Salomonem Spiritum Sanctum, his rerum sensibilium vocibus et imaginibus, erigere nos et inducere ad quaerendum altius aliud et praestantius laetitiae et deliciarum genus, quod in vera cordis laetitia consistit ea, quae ex Dei cultu et Christi fide et charitate percipitur. De qua laetitia Paulus (*ad Philippens.*, IV): *Gaudete in Domino semper, iterum dico: Gaudete*, et (II. *Cor.*, VI): *Quasi tristes, semper autem gaudentes;* quae et ponitur inter fructus spiritus (*ad Galatas*, V): *Pax et gaudium.* Nam, sicut Sacrae Litterae pacem animi interiorem, quae in justificatione et affectuum extinctione consistit, exprimere solent per voces et imagines, quae externam hanc pacem significent, ut in illo (Esaiae, XI): *Habitabit lupus cum agno*, et *non nocebunt in monte sancto meo*, et alibi: *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces;* et sicut vitae venturae felicitatem atque opes imagine civitatis aureae atque gemmeae significant, ut Joannes fecit (Apoc., c. XXI); sic, cibi et potus nominibus, imagineque ejus laetitiae, quae ex cibo et potu percipitur, hoc loco innuit veram illam cordis laetitiam, quam ex pietatis cultu, qui est verus animorum cibus, percipiunt justi viri. Quae, certe, verum hominis bonum est, veraque illius pars.

CAPUT VI

I.—Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines.—2.—Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animae suae ex omnibus, quae desiderat; nec tribuit ei Deus potestatem, ut comedat ex eis, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas et magna miseria est.

Adhuc Salomon insistit in demonstranda vanitate divitiarum, idque non sine causa. Sed quia sciebat homines, maxima ex parte, earum studio capi, et eas pro magno et vero bono habere; ideo, quo nos ab earum studio dimoveat, ei pluribus verbis insistit, nihilque praetermittit eorum, quae contra opes et earum studium dici possunt. Et quoniam quispiam posset dicere eorum quidem, qui in parandis aut conservandis opibus labores et molestias subeunt, non esse eligendam vitam; at eorum, qui opibus circumfluunt, et omnia illis pro voto succedunt, esse expetendam et praedicandam; ideo, ut doceret, ne in hoc quidem vitae genere esse aliquid solidum, et firmum, et magnopere expetendum bonum, dicit saepe etiam hujusmodi beatis et copiosis accidere, ut postquam divitias congesserunt maximas, omniaque illis pro voto successere, variis rationibus impediti atque prohibiti, fructum ex eis capere nullum possint. Itaque, divitem describit, omni ex parte florentem atque felicem, et cui plane nihil desit, dicens: VIR, CUI DEDIT DEUS DIVITIAS, ET SUBSTANTIAM, ET HONOREM, nam sunt nonnullae divitiae sordidae, ET NIHIL DEEST ANIMAE SUAE EX OMNIBUS, QUAE DESIDERAT. At tali homini, tam copioso, tam locupleti, tam splendido, tam felici atque

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

beato, quid, quaeso, accidat illi, vitam quod acerbam efficiat, aut vero felicitatem contaminet? Quid? NEC TRIBUIT EI DEUS POTESTATEM, UT COMEDAT EX EIS; id, autem, est, quia saepe accidit, ut in media ipsa rerum copia, inops sit, ut quo tempore eis uti debuisset, potestas utendi illi subtrahatur. Id quod pluribus modis evenire potest, et certe evenire solet variis rationibus. Nam alii, quamvis divites sint, propter ipsorum animi parcitatem et tenacitatem, congestas opes attingere non audent. Quales sunt omnes avari, de quibus praeclare quidam: «Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet.» Alii, etsi divitiis abundent, corpore sunt imbecillo et infirmo, quo fit, ut fructum ex sua copia nullum capiant. Alii, porro, numquam iis quae habent contenti, alias majores quaerunt opes; itaque, mercatura et navigationibus distracti, partis numquam fruuntur. Aliis, vero, id evenit, ut quo tempore maxime suis bonis uti debuissent, mors nec opinato incidens, illorum spes frustretur. Quemadmodum illi accidit, de quo Christus: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te; et haec quae parasti, cujus erunt?* Ex quo concluditur, quod tot modis eripi nobis potest, atque infructuosum effici, non esse tale, in eo ut hominis bonum sit constituendum. Sed adverti, primo, in hac sententia debet, quod dicit: Est VIR CUI DEDIT DEUS DIVITIAS. Nam ex eo intelligi potest, Spiritum Sanctum nobis persuadere velle, omnia nobis a Deo dari atque tribui. Nam si opes, in quibus inquirendis tantum curae ponimus, docuit a Deo nobis dari, quid de aliis censendum est? Sed cur id nobis cupit esse persuasum? Quia ea persuasio atque cogitatio multum valet ad vitam in officio continendam. Nam qui cogitarit se quae habet, ex Dei dono et largitate habere, gratificari ut ipsi Deo in usu earum rerum velit, ab ipsa cogitatione inducetur, vel ut se gratum ostendat, vel ut ejus munificentiam magis in se provocet. Nam beneficii accepti consideratio natura gignit in eo, qui cogitat, gratificandi ei, a quo accepit, desiderium, ut liquet in illo psalmi (CXV): *Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi?* et similiter (Psal. CIII) cum, ista persuasione et consideratione inductus (David), professus esset, dicens: *Omnia a te expectant, ut des illis cibum in tempore. Aperis tu manum tuam, et omnia implebuntur benedictione*, statim addit grati animi sui eam, quae ex ista cogitatione sequitur, testificationem subjungens: *Sit gloria Domini in saecula.* Sed neque illud est praetermittendum, quod addit: NEC TRIBUIT DEUS POTESTATEM, UT COMEDAT EX EIS. Nam eo significat, non solum ipsas res, sed et earum usum a Deo nobis esse tribuendum. Porro, quod de divite, cui non datur a Deo, suis ut possit uti opibus, quodque de istis corporeis divitiis iterate dicit, id ad aliud melius divitiarum transferri potest genus, nempe ad rerum cognitionis atque sapientiae opes. Nam et in hoc genere, idem saepe malum accidit, ut qui sapientiae opibus circumfluit, quique omnium scientiarum latebras perscrutatus est, acutissimo ingenio et studio solertii praeditus, is, quod ad bene beateque vivendum attinet, ista, sibi concessa, tot et tantarum rerum cognitione nesciat uti. Itaque, non datur illi, ut comedat ex his opibus. Nihil, enim, ex eo quod cognoscit ad se transfert: nihil ad suos regendos affectus convertit; sed est, ut Paulus apte et eleganter scripsit (I. Cor., XIII), *sicut aes sonans, et quasi cymbalum tinniens.* Sed pergit:

3. — Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies aetatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiae suae, sepulturaque careat, de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortivus.

Docet fructum istorum bonorum non in possessione, sed in usu esse positum. Nam, inquit, si quis et filiis abundet, et diutissime vivat, et divitiis affluat, si tamen eis uti aut nesciat, aut non possit, et ad extremum, ad summam redactus paupertatem, ignobilis jaceat, quid illi profuerit,

tantum et vixisse et possedisse? immo, quid illo miserius esse possit? DE HOC, inquit, EGO PRONUNTIO, QUOD SIT MELIOR ILLO ABORTIVUS. Quia, ut inquit Hieronymus, nec mala, nec bona vidit; hic, autem, cum bona possedisset, bonis frui prohibitus est. Itaque, ex vitae atque opum possessione atque usu nihil, praeter molestias et aegritudines, cepit. Quod, autem, dicit: SEPULTURAQUE CAREAT, id, ut Hieronymo et Chaldaico Paraphrasti videtur, ad hujus hominis vel parcitatem vel infelicitatem augendam et amplificandam pertinet. Significatur, enim, eo, aut ita parcus animus, ut nec vivo sibi, nec mortuo, utiles esse divitias velit; aut, certe, ita infelix ac miser, ut amissis facultatibus universis, funus illius nemo procuret, omninoque insepultus, aut certe inglorius jaceat. Nam sepulturae nomine, quae hominis vita functi memoriam apud vivos commendant, atque celebrem reddunt, in his significari solent Litteris. Quare subjungit:

4.—Frustra enim venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus.—5.—Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni et mali.—6.—Etiam si duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis. Nonne ad unum locum properant omnia?

Nam quod abortivum fetum isti diviti, de quo agit, praetulerat, id collatione confirmat. Etenim, inquit, hic abortivus, quem dico, FRUSTRA VENIT, aut, ut in hebraeo, ad verbum: IN VANITATE VENIT, hoc est, nec sibi nec alteri usui esse potest. ET PERGIT AD TENEBRAS, id est, vix natus, morte extinguitur. Sed et avaro isti, de quo loquitur, similiter contingit: NAM NON VIDIT SOLEM, NEQUE COGNOVIT BONI ET MALI DISTANTIAM, id est, perinde vivit, quasi non viveret; non, enim, vidit solem, qui hoc solis jubar numquam pacato et defaecato animo, numquam laetis oculis hausit. Nam videre solem, pro laetari et fructum vitae capere interpretamur ex illo Tobiae dicentis (Tob., v): *Quae mihi laetitia esse potest, qui solem non video.* Itaque, neque solem videt, neque distantiam boni et mali cognoscit, propterea quod quid boni horum bonorum haberet usus, expertus numquam est; et, quod abortivo accidit, ut sensu boni careat, quia in ipso vitae hujus atque lucis ingressu extinctus est, huic similiter propter suam stultitiam evenit. ETIAM SI, inquit, DUOBUS MILLIBUS ANNIS VIXERIT, id est, etiam si vixerit diutissime, quod hyperbolice dici intelligitur. Nemo, enim, quamvis vivax, vitam ad bis mille annos produxit. Sed ait: NONNE AD UNUM LOCUM PROPERANT OMNIA? Quo superiorem collationem concludit. Quasi dicat: constat, ergo, unam esse et parem utriusque rationem, eodem reddire utrumque, unam summam esse, eumdem exitum vitaeque conditionem utrumque habere. Sequitur:

7.—Omnis labor hominis in ore ejus: sed anima ejus non impletur.

Est alia ratio, qua studium congerendae pecuniae vanum esse docet, sumpta ex eo, cujus gratia divitiae parantur. Nam quo victus suppetat, ea de causa opes institutae sunt. Porro ad victum necessaria, cum pauca sunt, tum paratu facillima; avarus, autem, prae cupiditate nullum sibi constituit modum. OMNIS, inquit, LABOR HOMINIS IN ORE EJUS.—Id est: Omnis labor hominis eo dirigitur, dirigi certe debet, ut victum sibi paret; omnis, inquam, labor qui pecuniae causa impenditur. Nam pro eo, de quo agit, interpretandus est; agebat, autem, de studio colligendae pecuniae. Ergo quidquid in eo studio laborari debet, victus causa laborandum est. Quem ad victum, etsi pauca necessaria sint, tamen anima ejus, id est, avari hominis et pecuniae studiosi collectoris, numquam satiatur, hoc est, numquam expletur ejus desiderium. Nam pro desiderio anima appellatur in his Litteris, ut in illo

(Ps. XXVI): *Ne tradideris me in animas tribulantium me*, id est, desideriis inimicorum ne me tradideris. Itaque, non satiatur avari desiderium, quasi infinitis egeat, cum tamen nullus egeat nisi paucis.—Quare subjicit:

8.—Quid habet amplius sapiens ab stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita?

Nam, etsi hoc aliorsum quidam interpretentur, et alii accipiant aliter; tamen, sine dubio cum superiori oratione conjungitur, et ex illa ducitur. Quod, enim, supra dixerat, laborare homines victus gratia, et ejus rei causa opes esse a natura institutas, id nunc magis explicat atque confirmat, dicens neminem esse, sive is sapiens sit, sive stultus habeatur, sive inter divites, sive inter pauperes numeretur, cui opes ad alios aptae sint usus. QUID, inquit, HABET AMPLIUS SAPIENS AB STULTO? scilicet, quod attinet ad naturalem divitiarum, de quo loquimur, usum. Quasi dicat: Nemo, quamvis sapiens, alium esse rectum divitiarum usum doceat, nec quin is sit carum naturalis usus, nemo, quamvis indoctus, dubitet aut ignoret: idem divites, idem egentissimi cognoscunt homines. NISI UT PERGAT ILLUC, UBI EST VITA.—Id est, omnes id agunt, ut victum sibi, quaesitis opibus, parent. Sed quod noster vertit: NISI UT PERGAT ILLUC, UBI EST VITA, id in hebraeo, verbum de verbo: QUID AMPLIUS PAUPERI, QUI NOVIT AMBULARE CORAM VIVENTIBUS? Quo postrema inopia laborans significatur pauper, ut si dixisset: pauper, qui extreme indiget, qui ostiatim stipem rogaturus obambulat, seque apud omnes summe pauperem profitetur, id est, pauper mendicus, qualem Graeci πτωχὸν nominant, quasi dicas petacem pauperem. Sic nos hunc, et qui proxime praecessit, interpretamur versum; quid alii dicant, haud nescii. Nam quidam sic: OMNIS LABOR HOMINIS IN ORE EJUS, id est, omni homini, pro sua ratione et modo, dimensus est labor

suus et proprius; לפיהו, enim, Hebraeis interdum mensura significatur et modus. Sed anima ejus non impletur, hoc est, per inscitiam, suo non contentus, aliorum quisque se ingerit muneri, nemoque imperare sibi potest, sua ut curet, alienis ne se immisceat. Alii isto modo: OMNIS LABOR HOMINIS IN ORE EJUS, id est, pro cujusque ingenio et instituto, ita cuique in vita accidit. Nam quae male amamus, ea nobis supplicio saepe sunt. Amat quis pecuniam? pecunia torquet illum misere. Ambit honores? partus honor magnas illi dolendi causas affert. Sectatur voluptates? voluptatum usus molestias gignit gravissimas. Nec, enim, illud falsum esse possit: *Nonne, si malefeceris, statim in foribus peccatum aderit? (Gen.*, IV), id est, peccati te sequetur poena. Id, enim, ipsum, in quo quis peccat, quodque concupiscit, male animum ejus excruciat, et meritas de illo poenas exigit: ET TAMEN, inquit, ANIMA EJUS NON IMPLETUR, id est, nec tamen sic delusi atque vexati, a male amando umquam desistimus, nec ipsa saltim experimenta nos cautiores reddunt. Quae, quidem, explanationes verae per se sunt, sed parum cum superioribus consentaneae atque aptae. Sequitur:

9.—Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias.

Quod exponi potest dupliciter. Uno modo, ex persona Salomonis, sic dicentis: Haec, igitur, cum ita sint, praestabilius est, o avare, VIDERE, id est frui (nam in his Litteris videre pro frui usurpatur saepe, ut in illo: *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Ps. XXVI); igitur, MELIUS EST frui EO, QUOD CUPIAS, hoc est, praesentibus frui, et iis, quae ad manum habes, uti, *quam desiderare quod nescias*, id est, quam desiderio parandi majores opes, quas tamen nescias utrum consequuturus sis, labores subire et pericula addire maxima. Nam est hoc proprium avaro-

rum, ut quaesitis parcant, opibus quaerendis studeant, et ob id periculosa et laboris plena negotia suscipiant. Cui illud Pauli consonat *(Heb.*, XIII): *Sint mores sine avaritia, contenti praesentibus.* Alio modo et hoc interpretari potest, quasi ex persona avari, qui his verbis respondeat ei, quod dictum fuerat, praeter victum nihil aliud ex his bonis carpere, vel qui ea possident, vel qui ea ostiatim rogant. Respondet, enim, ut hoc ita sit, praestare tamen ea possidere et ad manum habere parata, eis ut tuo arbitratu, quoties velis, et quantum velis, perfrui possis, quam alios rogare, et in diem vivere, incerto eventu, et cura et sollicitudine assidua. Quam responsionem Salomon rejicit, dicens: SED ET HOC VANITAS EST, ET PRAESUMPTIO SPIRITUS. Nam, certe, hoc timore vano, quo avari sollicitantur, efficitur, ut dum cavent ne quando egeant, perpetuo in egestate versentur. Recte enim ille: «Avaro tam deest, quod habet, quam quod non habet.» Ex quo, merito Christus *(Matth.*, VI): *Nolite*, inquit, *solliciti esse de crastino; sufficit diei malitia sua*, et: *Nolite solliciti esse, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini; scit enim pater vester quoniam illis indigetis.* Sed, praeter haec, hebraea ipsa alio exponi poterunt modo; ad verbum, enim, sic habent: BONA VISIO OCULORUM PRAEIRE ANIMAE. Quibus, certe, antefertur providentia levitati, et ratio libidini; idque dicitur, melius, scilicet, ac praestabilius esse provide cuncta agere, quam libidine et cupiditate duci. Quod Symmachus sequutus, sic vertit: MELIUS EST PROVIDERE, QUAM AMBULARE, UT LUBET. Nam oculi providentiam significant, ut in illo psalmi (Ps. XXXIII): *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum*, et in alio (Ps. C): *Oculi mei ad fideles terrae.* Ire, vero, animam (quoniam anima pro desiderio, ut diximus, appellatur), nihil aliud est, quam cupiditates suas quemque sequi, et quod Ezechiel (c. I ?) fere eadem orationis figura dicit: *Ambulare in viis cordis sui.* Ergo Salomon, ad superiora consentanee atque apte, cum exposuisset, quanto in errore versantur avari, unde is error manat, exponit. Manat, enim, ex eo, quod non rationem, sed cupiditatem ducem sequuntur. Si, enim, ratione ducerentur, viderent, quando ex divitiis nihil aliud, quam victus quaeritur, qui tamen constat paucis, congerendi opes et congestis parcendi nimium esse stultum studium. Sed ad id attendamus, quod sequitur; est, enim, perobscurum, et, ut apparet, nullo modo cohaerens cum superioribus. Sequitur enim:

10. — Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus: et scitur quod homo sit, et non poterit contra fortiorem se in judicio contendere.

In quo, quid sibi Salomon velit intelligere, est difficile, et absolute et in comparatione. Per se, enim, ex hac oratione vix elici potest ulla, Salomone digna, sententia. Comparate, autem, id est, habita ratione eorum, quae praecesserunt, nihil commune aut conjunctum cum illis habet, ut videtur. Referamus, ergo, id ut magis appareat, omnium sententias. Divus Hieronymus et interlinearis nominata Glossa sic: QUI FUTURUS EST, id est, Christus (nam vaticinatum esse Christi adventum hoc loco Salomonem dicunt); ergo Christus, qui futurus aliquando est, JAM VOCATUM EST NOMEN EJUS, per Prophetas scilicet, antequam nasceretur: ET SCITUR, QUOD verus HOMO SIT futurus, et qua homo, Patre minor exsistet, et idcirco adversus illum numquam contendet. Sed haec sunt aliena ab argumento proposito, nec satis apta ipsi Christo. Quando, enim, ille cum Patre in judicio contendit, aut contendere conatus est, aut contendendi cum illo ratio ipsi ulla aut causa fuit? aut quando de eo dubitatum est, utrum posset contendere? Olympiodorus, autem: Saepe, inquit, homines eorum, quae in vita accidunt, causas quaerunt; quare hic pauper, ille dives; hic formosus, ille deformis. Hos, igitur, inquisito-

res curiosos ut compescat Salomon, hoc loco ad Dei consilium cuncta revocat, dicens: Quidquid futurum est, aut certe quidquid fuit, critve, jam esse vocatum nomen ejus, id est, a Deo, cui ex tota aeternitate notum est, decretum et stabilitum. Quare homines esse se, et suam infirmitatem agnoscentes judicio cum Deo contendere nolle, id est, in his curiosum esse, non velle. Verum haec nec satis cohaerent inter se, nec conjungi cum superioribus ullo modo possunt. Lyranus, porro, dicit, Salomonem hic docere solius Dei esse res futuras et contingentes cognoscere; et homines in hoc Deo aequiparari velle, nullo modo debere. Sed et haec expositio eodem vitio, quo superior, laborat. Sunt, ergo, alii qui dicant, quoniam Salomon in superioribus avaros et pecuniae cupidos arguebat homines, qui, cum tenacitatis arguuntur, dicere solent, ad dubios vitae eventus paratas habere velle et congestas divitias, et suae vitiosae cupiditati eam causam praetexunt; idcirco, ipsum nunc, hanc ut illorum dissimulationem rejiciat, scribere avaros vane id obtendere. Quia quae eventura sunt, non solum Deo nota sunt, sed ab eodem ita praedefinita, ut nulla nostra praecautione impediri possint. Quare ea qui cavere aut effugere volunt, cum potentiore se contendunt, id est, certamen ineunt cum Deo frustra et inutiliter. Sed et hi in eo errant, quod praecautionem non probant. Plura enim, nisi praecaverentur, evenirent; quae, quia caventur, non eveniunt. Nec, enim, Ceilanorum insidias et proditionem effugisset David, eas nisi, Dei sequutus monita atque oracula, praecavisset.

Mihi videtur ista simplicissime et verissime isto modo exponi posse. Salomon superiori oratione, cum avarorum, tum ambitiosorum aliorumque hominum errores exposuit, vitaeque humanae, vitiis plenae et studio terrenarum rerum penitus deditae, miseriam et vanitatem explicavit. Ergo nunc, hoc tanquam epiphonemate omnem eam orationem concludens, dicit: nec novum aliquid, nec diversum

a suo ingenio homines facere, si, terreni cum sint, terrena diligant, ea una summis studiis sectentur; hoc vel nomine testari, hoc ipsis a principio inditum esse, nec solum inditum, sed et solitum Deique ipsius testatum ac firmatum voce, quando pronos in malum ferri ab ipso suo ortu cunctos homines dixit, et ideo contendere cum illis amplius noluit, sed universos capite damnavit. Alludit, enim, ad ea, quae scribuntur in *Genesi* de nomine primo homini indito, deque ejusdem hominis lapsu, de posterorum peccatis, de Dei indignatione in eos diluvii tempore. Quasi ita dicat: Sed quid plura commemoro? aut quid tam multis de vanitate studiorum hominum disputo, cum quod hominis ingenium sit, quam ejus vana et ad humum prona studia, uno possim docere verbo? Etenim, jam olim qualis homo futurus esset, qui ei imposuit nomen testatus est ipso nomine. Adam, quippe, id est, terrenum nominavit ipsum. Terrenus, porro, qui est, in terram spectet necesse est; humilia, certe, ejus erunt, et vilia, et inanitatis plena studia. QUI FUTURUS, inquit, EST, JAM VOCATUM EST NOMEN EJUS, id est, qui et qualis homo futurus esset, JAM VOCATUM EST NOMEN EJUS, hoc est, in nomine, quod ei impositum est, vocatum est, id est, notum redditum et manifestum, qualis esset futurus. ET SCITUR, QUOD HOMO SIT, hebraice: NAM NOTUM EST, QUOD IPSE ADAM, id est, constat Adam nominatum. Adam, autem, ab Adama, quae Hebraeis terra est, nomen ductum plane terrenum significat. Quod, enim, de terra finxisset Deus hominem, ideo Adamum nominavit ipsum, ut in *Genesi* scribitur (II). Ergo cum homo sit, et vocetur terrenus, imbecillus certe erit, et terrenarum sectator rerum. Et quo ejus magis adhuc imbecillitatem et ad malum pronitatem explicaret, adjecit: ET NON poterit contendere cum fortiore se, pro: *Et non potuit* (temporis enallage) CONTENDERE CUM FORTIORE SE, nempe, cum serpente, cujus fraude mala superatus scribitur (*Genes.*, III). Quasi dicat: Et terrenus a

principio nominatus est, et eodem fere tempore a serpente superatus fuit; et ob id, a principio et ad terram pronus est, et peccare doctus. Vel: ET NON POTERIT CONTENDERE CONTRA FORTIOREM SE, id est, cum cupiditate sua. Nam quia terrenus est, terreni in eo vigent et dominantur affectus. Vel certe: ET NON POTERIT CONTENDERE CONTRA FORTIOREM SE, id est, terrenus est, ut nomen ipsum indicat, et ob id carnis affectibus usque eo serviens, ut Deus aliquando, quasi de illius desperaret salute, professus sit, se cum illo nolle amplius contendere. Nam hebraea ita sunt posita, ut intelligi atque interpretari utroque modo possint, vel quod homo cum Deo contendere non possit, vel quod Deus cum homine litigare noluerit. Nam hebraice, ad verbum, sic: ET NON POTERIT CONTENDERE CUM EO, QUI FORTIOR IPSO. Cum, autem, affirmat Deum cum homine contendere aut nolle, aut non posse, aperte alludit ad id, quod Deus, perspecta hominum nequitia atque flagitiis, ipsos cum aquis diluvii delere pararet, legitur dixisse *(Gen.*, VI): *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est.* Nam pro *permanebit*, in hebraeo est idem verbum, pro quo hic noster contendere vertit. Ex quo nonnulli et illud sic: *Non litigabit spiritus meus cum homine, quia caro est.* Quibus verbis eo magnitudinis hominum peccata pervenisse dicuntur, ut in eis sanandis omnis, quae poneretur opera et industria, frustra et inutiliter poni et insumi censeretur. Itaque, ut medici eos aegros, quorum de salute desperant, tandem sua cura destituunt; sic Deus, cum illis hominibus, eo quod caro essent, id est, perditissimis atque profligatis essent moribus perditi, contendere amplius nolebat. Contendere, inquam, hoc est, monere, arguere, corripere, ad meliorem mentem variis rationibus revocare, propterea quod omnem eam medicinae faciendae rationem ipsa magnitudo mali quodammodo superabat.

Quare Salomon rectissime, ad hominum in vitia pronitatem ostendendam, in medium protulit quid de illis Deus

olim censuisset, ac fere ita dixit: Cum homo rebus studet perituris et inanibus, haudquaquam a suo ingenio discedit, nihil a se alienum facit. Terrenus, enim, est atque nominatur, ac moribus ita suo respondet nomini, ut qui fortior illo est, quique omnia potest, Deus, superioribus temporibus pravitatem morum ejus cum vidisset, prope victus tanti mali magnitudine, contendere cum eo atque agere amplius noluerit, ut memoratur in Genesi. Cui consentaneum est, quod sequitur:

II.—Verba sunt plurima, multam in disputando vanitatem habentia.

Nam est perinde, ac si diceret: Sunt et alia plurima, quae de vanitate studiorum humanorum disputari, et quamvis copiose, dici et commemorari possunt. Vel, certe, hoc dicit, esse plura alia, in quae ipse non minus copiose dicere atque invehi posset, quam est adversus avaros invectus: usque adeo vita hominis vitiis et erroribus scatet.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT VII

I. — Quid necesse est homini, majora se quaerere, cum ignoret quid conducat illi in vita sua, numero dierum peregrinationis suae, et tempore quo velut umbra praeterit?

Hebraea, ad verbum: QUID AMPLIUS HOMINI, aut quid praestantius HOMINI; idque Paraphrasis Chaldaica et nonnulli hebraici codices cum superioribus conjungunt, et ad finem superioris capitis pertinent. Nam Paraphrastes sic: ETENIM MULTAE RES SUNT, QUAE MULTIPLICANT VANITATEM IN HOC MUNDO. QUAE ADDICTIO EST VIRO, QUI STUDUERIT IN EIS? Sed quoniam nostra editio atque etiam Septuaginta Interpretum versio ab his verbis initium faciunt septimi capitis, quasi in eis novae sententiae initium sit, ita ea interpretemur. Quod hebraice est: QUID AMPLIUS HOMINI, et quod similiter Septuaginta totidem verbis verterunt: Τί περισσὸν τῷ ἀνθρώπῳ, QUID SUPERET, AUT QUID RESTAT HOMINI, noster interpres ad ea, quae sequuntur, respiciens, scilicet: CUM IGNORET QUID CONDUCAT ILLI IN VITA SUA, apte et vere, sententiam magis quam verba sequutus, ita convertit: QUID NECESSE EST HOMINI MAJORA SE QUAERERE. Quasi dicat: Cum ignoret homo quid sibi utile atque conducens sit, quod certo ipsi deberet esse notissimum, quid praestantius illi? id est, cur quae praestantiora illo sunt, et quae ipsius captum superant, curiose pervestigabit? Quale est, quod anicula quaedam Thaleti dixisse fertur, qui, cum in coelum spectaret, in foveam incidit, scilicet: coeli notitiam jactare, et ea, quae ante pedes erant, non vidisse. Dixit, autem, hic ista Salomon, ut transitionem faciat ad ea, quae jam dicturus est, et ut ad ea attentiores

nos reddat. Nam, uti diximus, a principio propositum Salomoni est, hoc libro docere, quis sit ultimus finis humanae vitae et summum hominis bonum. Ac primo, quo id doceret, ea, quae homines pro summis bonis habent, divitias, honores, voluptates, docuit esse vana, id est, refutavit errores et falsas opiniones hominum de hac re; quod et Aristoteles fecit in I Ethicorum. Nunc, quoniam jam parat ipsam vim boni patefacere et doctrinam veri tradere hominibus, quo eam libentius accipiant eique promptius acquiescant, docet, primo, eam esse hominis inscitiam, ut hoc ipsum, quod ipsi tam est necessarium, per se cognoscere non possit: ut hoc cum consideraverit, suo judicio diffidat et ejus rei doctrinam a Deo petendam putet; atque, adeo, quae hic hominibus a Salomone hac de re traduntur, non tam a Salomone, quam a Deo tradi credant, eaque, ut a Deo sibi tradita, conservent. Dicit, itaque: QUID NECESSE EST HOMINI MAJORA SE QUAERERE, CUM IGNORET QUID CONDUCAT ILLI? quasi dicat: Cur homo se efferre inaniter audent, cum ut ex his, quae diximus, constat, tam miser et ignarus sit, ut quid ipsi conducat, quid sit ejus bonum, nesciat et ignoret, et ex ignoratione mala pro bonis quaerat? NUMERO, inquit, DIERUM PEREGRINATIONIS SUAE, ET TEMPORE, QUO VELUT UMBRA PRAETERIT.—Vere hujus vitae spatium peregrinationem et umbram appellavit. Peregrinationem, primo, quia in motu perpetuo consistit, et, ut Orator dixit, *volat aetas*. Secundo, quia nihil hic possidetur non amittendum, et ut peregrini in diem vivamus, ut Paulus inquit (*Heb.*, XIII): *Non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus*. Cujus rei consideratio nos ad sobrietatem incitare debet et ad contemptum istarum rerum. Unde dicebat Petrus (I, c. II): *Obsecro vos, fratres, tanquam advenas et peregrinos, abstinere a carnalibus desideriis*, id est, quia hospites et peregrini estis, idcirco ab his desideriis vos abstinere debetis. Qualis, enim, esset qui, iter agens, itineris cura deposita, desideret sub arboribus, viae obli-

tus? Umbrae etiam comparatur hic nostra vita; primum, propter instabilitatem et fugam, nam nunquam in eodem statu consistit, et citissime evanescit, ut dicitur in illo (I Paral., XXIX): *Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora*, et in psalmo (CI): *Dies nostri sicut umbra declinaverunt*. Deinde, comparatur umbrae, quoniam umbra, cum appareat esse corpus solidum, tamen non est nisi illius quaedam imperfecta et inanis imago: sic haec vita nihil solidae laetitiae atque boni habet, sed inanem quamdam imaginem. Tandem, quia umbra cum maxime crevit, tum maxime vicina est ut esse desinat: sic hujus vitae felicitas, cum ad summum pervenit, tunc est maxime propinqua ad id, ut intereat. Sequitur:

AUT QUIS EI POTERIT INDICARE, QUID POST EUM SUB SOLE FUTURUM SIT? Neque, inquit, scit homo, quid sibi conducat in praesenti, neque quid sit illi eventurum in futurum; vel post hanc vitam, vel in hac ipsa vita nescit quid crastina dies illi allatura sit, aut quem sint exitum sua consilia habitura. Assequi, autem, ista homines non posse dicit, suo ipsorum ingenio et passim. Nam, quamvis nonnulli id post longam disquisitionem et errores assequuti sint, ut sciant, quid esset hominibus bonum, tamen ea scientia, ut docet S. Thomas (I p., q. I, art. 1), insufficiens est ad hominis vitam regendam. Primum, quia pauci illam tenent. Deinde, quia post multum temporis ad eam perveniunt. Tandem, quia parum firmum assensum habent, erroribus et opinionibus permixtum. Ex quo efficitur, ut etiam ad haec ipsa probe tenenda, doctrina supernaturalis sit necessaria. Idque ipsum ex hac oratione atque verbis efficere vult Salomon, et nobis persuadere, quando ipsi per nos, quid nobis expediat quidque secus, cognoscere non valemus, ut doceri nos a Deo permittamus, eique docenti fidem nostram adjungamus. Quo, sicuti dixi, praemunit viam suae futurae orationi, et ad eam attentum atque benevolum reddit auditorem. Sed quaenam ea oratio est?

2.—Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa.

Nomen, pro fama et opinione aut existimatione, quae de aliquo habetur, accipitur et ab Hebraeis et a Latinis. Unguenta Latini et Hebraei oleum vocant, quod nos *aquas olorosas*, quosque Horatius (lib. I, od. V) vocavit liquidos odores. Confert, autem, nomen bonum cum unguento bono, estque in verbis hebraeis elegans adnominatio. Nam nomen Hebraeis est *Sem*, et unguentum vocatur ab illis *Semen*. Facit, autem, ab hac re initium docendi convenientissima ratione. Nam, quoniam omnis error humanae vitae a sensibus ortum habuit, et quoniam homines ex eo in pravas et vanas opiniones de vero bono inciderunt, prave de natura summi boni judicarunt, quod sensus duces sequuti, quae sensibus jucunda videntur, ea pro veris bonis sint amplexi; idcirco oportuit, ut eos statim quam longissime a sensibus et eorum judicio abstraheret, id est, assuefaceret sensuum judicium non sequi, et ea pro bonis habere, quorum corpus aut nullum aut tristem sensum percipit. Itaque, inquit: MELIUS EST NOMEN BONUM QUAM UNGUENTA PRETIOSA. Unguenta pretiosa sensus percipit, eisque jucunde afficitur, at nominis et famae nihil percipit sensus. Itaque Salomon, quoniam omnis error a sensibus manat, ideo cum quid pro vero tenendum sit tradere incipit, abducere homines a judicio sensuum conatur, quam longissime potest. Et, quidem, in eo omnis philosophica exercitatio potissimum consistit, ut humanus animus a commercio sensuum abstrahatur. Ex quo Socrates dicebat, Philosophiam nihil aliud esse, quam mortis meditationem; quod sicut in morte animus a corpore separatur, sic qui veri atque boni veram cognitionem atque usum habere cupiunt, corporis atque sensuum judicia sequi non debere. *Cogitationes*, enim, ut dicitur (Sap., IX), *mortalium timidae et incertae providentiae nostrae: corpus enim, quod corrumpi-*

tur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Ergo nomen bonum unguento odorato anteponit, id est, docet, ut in judicio bonorum atque malorum nullam fidem adjungamus sensibus nostris, neque quod aliqua res jucunda voluptate sensus perfundat, ideirco eam pro bona habeamus. MELIUS EST NOMEN BONUM, QUAM UNGUENTA PRETIOSA.—Nomen bonum etiam alibi in Sacris Litteris commendatur, ut in Ecclesiastico (XLI): *Curam habe de bono nomine*, et in *Proverbiis* (XXII): *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae.* Commendatur, autem, propter tria. Primum, a causa, a qua ortum habet. Nam bonum nomen quis non assequetur, nisi ipse sit bonus et studiosus. Nam sicut umbra corpus sequitur, ita virtutem honos. Sic, enim, Cicero (in III *Tuscul*): «Gloria est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute» et (I *Tuscul*): «Gloria virtutem necessario sequitur.» Itaque, qui simulatione et hypocrisi, aut largitione, aut ambiendo popularem gratiam, seque ipsum commendando, bonum sibi nomen parare studet, ut ejus assequi interdum umbram aliquam videatur; tamen, veram et solidam gloriam nunquam assequetur. Itaque, pretiosa res est bonum nomen, quia, nisi qui justus est, id non habet. Secundo, quia deterret homines a peccando; nam qui studet bono nomini, sollicite cavet, ne committat aliquid, ex quo bona sua existimatio atque fama deperdatur. Demum, quia alios ad similiter juste operandum allicit et invitat; et in hoc comparatur unguento. Quia sicut id odorem ex se emittit, quo et eos, qui procul absunt, oblectat; sic bona aliorum fama, late per aures multorum sparsi, optimi exempli quasi odore quodam, cunctos ad similem sibi famam recte factis comparandam, invitat. MELIUS EST NOMEN BONUM, QUAM UNGUENTA PRETIOSA; id est, melior est justitia atque virtus, quam voluptas aut vita voluptuaria: ut virtus ab effectu significetur per nomen bonum, est enim virtutis effectus bonum nomen; voluptas,

autem, aut vita voluptaria declaretur ab efficientibus ipsam, id est, per unguenta odorata. Nam, per synecdochem, nomine unguenti omnia efficientia voluptatem significantur, ut recte adnotavit Olympiodorus. Sed pergit:

ET DIES MORTIS DIE NATIVITATIS. Repetendum a communi ex superioribus: ET MELIOR EST DIES MORTIS DIE NATIVITATIS. Quamquam hoc nonnulli cum superiori versiculo conjungunt, voluntque, similitudine subintellecta atque tacita, unum cum altero conferri isto modo: sicut nomen bonum melius est unguento bono, sic dies mortis praestat die nativitatis. Sed, sive separetur haec sententia a superiore, sive conjungatur cum illa, agit certe in ea Salomon, quod in superiori, scilicet, removet hominem a judicio sensuum, docetque quam falsa sint illorum judicia. Nam sensibus, nihil est morte horribilius, nihil vita amabilius. At docet adeo ipsos suis in judiciis falli, ut saepe dies mortis anteferendus sit nativitati. Similisque est haec docendi ratio ei, quam tenuit Christus in sermone, quem habuit cum discipulis suis in monte apud Matthaeum (V), ubi ea proposuit, et ad felicitatem et beatitudinem pertinere dixit, quae maxime aliena a sensibus sunt, ut: *Beati qui lugent, qui esuriunt, qui persecutionem patiuntur.* ET DIES MORTIS DIE NATIVITATIS.—De mortis bono copiose Cicero in I. Tusculana, estque haec sententia Salomonis persimilis illi, quam ex Euripide ipse citat, ubi, pluribus verbis, Euripides dicit hoc ipsum, quod Salomon. Suntque plures causae, quare dies mortis in universum praeferendus sit nativitati. Prima: quia in nativitate nascimur ad varios labores, juxta illud Job: *Homo natus ad laborem, sicut aves ad volatum;* in morte, vero, quiescimus. Altera, quia haec vita peccatorum periculis exposita est; mortuus autem peccare desinit, ut inquit Paulus (Rom. VI): *Qui mortuus est, justificatus est a peccatis*, id est, a peccandi periculo et casu liber efficitur. Postrema: nativitas animam gravat corpore; mors eo onere

ipsam levat, quod optabat Paulus (*Rom.*, VII): *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus!* Sed quamvis haec universe vera sint, tamen proprie haec sententia intelligi debet de morte justorum et bonorum: ea, enim, est pretiosa, et huic vitae anteferenda; tunc, enim, nascuntur in novam vitam. Itaque, hanc sententiam exponit Chaldaeus Paraphastes, dicens: MELIOR EST DIES, QUO JACEBIT VIR, ET EMITTETUR IN DOMUM SEPULCRI CUM NOMINE BONO ATQUE JUSTITIA, QUAM DIES, QUO CREATUS EST IMPROBUS IN MUNDO. Subdit:

3. — Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens homo cogitat quid futurum illi.

Et hoc similiter a judicio sensuum valde abhorret; est, tamen, longe verissimum. Domum luctus vocat, ubi luget ur ob id, quod quis e vita excesserit. Et addit causam suae sententiae: in illa, enim, finis cunctorum admonetur hominum, id est, quia ea res admonet homines humanae fragilitatis et vanitatis studiorum nostrorum, efficitque modestos ipsos; convivii autem laetitia, contra, intemperantes et in futurum minus providentes reddit. Sunt etiam aliae causae, quae et obviae sunt, et a multis multis in locis traduntur. Subjungit:

4. — Melior est ira risu: quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.

Verbum, quod hebraice ponitur pro eo, quod *ira* posuit interpres, cum passive sumitur, significat moestitiam, moerorem, indignationem, atque etiam iram. Potestque haec sententia dupliciter intelligi. Vel quod melius sit, quod ipse tristitia afficiaris, quam quod risu dissolvare. Vel quod sit melius, te aliis moestum et severum vultum,

quam ridentem, ostendere. Et utrovis modo, rectum habet sensum. Quamquam Chaldaica Paraphrasis secundum sensum magis sequitur, et ad Deum refert, dicens: MELIOR EST INDIGNATIO, QUA INDIGNABITUR DOMINUS ADVERSUS JUSTOS IN SAECULO HOC, QUAM RISUS, QUO ILLE DERIDET IMPIOS. Sed, certe, etiam hoc ad homines relatum, verum est. Nam moestitudo, severitas, et in nobis et in aliis gignit cordatas, et graves, et sobrias cogitationes; risus, contra, leves, et stultas ac nonnunquam improbas. Ideoque, additur pro causa: NAM PER TRISTITIAM VULTUS, CORRIGITUR ANIMUS DELINQUENTIS. Scilicet, sive in nobis, cum nos ipsos severe arguimus, sive in aliis, cum non arridemus ad ipsorum peccata. Quamquam hoc, hebraice, isto modo dicitur: QUONIAM IN TRISTITIA FACIERUM JUCUNDUM ERIT COR, id est, quin ex eo, et in se et in aliis, jucunditas efficietur. Vel, certe, quia hoc proprium bonorum est, ut quamvis specie tristes sint, maxima animi laetitia gaudeant, ut Christus apud Matthaeum (V): *Beati qui lugent*, et Paulus: *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Sequitur in eamdem sententiam:

5. — Cor sapientum ubi tristitia est, et cor stultorum ubi laetitia.

Cor, id est, affectus atque amor. Id est, sapientes amant severa atque gravia; stulti, laeta atque levia. In quo Salomon exsequitur institutum suum, quod erat avocare homines a judicio sensuum, et ea bona esse docere, quae minime sensibus videantur bona esse. Estque hujus sententiae varia, sive ratio, sive expositio. Nam primo COR SAPIENTUM esse dicitur UBI TRISTITIA et luctus est, quia sapiens, cum judicat de bonis atque malis defugiendis aut appetendis, non pendit res ex eo, quam sunt delectabiles, sed ex eo, quam sint utiles: contra, autem, stulti de rebus ex eo solum, quod apparent, id est, ex summa

cute judicant. Secundo, cor sapientum ubi tristitia esse dicitur, quia sapientes qui sunt, sequuntur illud praeceptum Christi: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.* Odire autem est, honesta, quamvis laboriosa, sequi; turpia, quamvis dulcia, spernere; amantque crucem ferre, id est, mortificationem Christi, juxta illud: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, et sequatur me.* Tertio id dicitur, quia sapiens ea amat, quibus admonetur suae fragilitatis, et ad modestiam inducitur, qualia sunt, quae tristia sunt, non quibus ad levitatem mutatur, qualia sunt laeta. Quarto, posset et hoc exponi, ut nonnullis videtur, etiam isto modo: Cor sapientis ubi tristitia, id est, etiam in rebus tristibus et adversis sapientes firmi atque fortes perseverant, vim cordis sui ostendunt; at stulti, solum dum illis bene est, dumque arridet illis fortuna, animum virilem gerunt. Vel, ultimo, id sic interpretetur: COR SAPIENTUM UBI TRISTITIA, id est, sapientes et boni de aliorum malis et miseriis dolent, et miserentur, et alios sublevare curant, eaque de causa et curas suscipiunt, et labores subeunt; at cor stultorum ubi laetitia, id est, eos sequuntur, eisque adhaerescunt solum, qui laeti sunt, id est, quibus secundae res pro voto succedunt. Ita exponit Chaldaica Paraphrasis. Sequitur:

6. — Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.

Nihil suavius sensibus, adulatorum voculis atque laude. Sed docet Salomon illos falli, sicuti et in caeteris rebus; quare illis fidendum non esse. Falli, autem, quoniam adulationis comes est error atque deceptio, et ea quae ex deceptione sequi mala possunt. Objurgatoris, autem, effectus est correctio, ex qua salus animi oritur. Sed haec valde significanter habentur in hebraeo, verbum si pro verbo reddantur. Nam hebraice sic: MELIUS AUDIRE INCREPATIONEM SAPIENTIS, QUAM VIR AUDIENS CANTICUM STULTORUM. Simile huic est illud Esaiae: *Qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt.* Et in *Proverbiis* (XXVII): *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Et in Psalmo (CXL): *Corripiat me justus in misericordia; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* De adulatione et de discrimine adulatoris et amici Plutarchus copiose in libello, cui ex eo ipso titulum fecit. Sed pergit:

7. — Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.

Dixerat stultos amare laeta, et indulgere risui; id quam verum sit, similitudine ab spinis ardentibus amplificat. Dicit, enim, illos tam cupidos ridendi esse, ut cum rident, eum sonum edant, quem spinae cum ardent; crepant, enim, multum, maximumque edunt sonitum. Sonitum, autem, edere in ridendo ejus est, qui nimium nimisque libenter ridet, quique se risui totum dat. SICUT SONITUS SPINARUM ARDENTIUM SUB OLLA, SIC RISUS STULTI.—Stulti risus pro iis, quibus stulti, id est, peccatores in tota vita gaudere possunt, quae risus vocantur, quia nihil, nisi quae sensui delectabilia sunt, sequuntur. Ea, autem, rectissime comparantur spinis ardentibus. Nam illae cum ardent, et crepitu et specie flammae, quam excitant, magni ignis speciem prae se ferunt; re autem ipsa, levissimum ignem concipiunt, et ad haec perparum durat. Sic, peccatoris vita speciem habet amplam, re ipsa infirma est, et ejus felicitas citissime extinguitur. Sed videamus, quod sequitur: SED ET HOC VANITAS.—Pronomen *hoc* non demonstrat id, quod proxime antecessit, scilicet, stulti risum, quem dixerat similem esse spinis ardentibus; sed id, quod paulo ante dixerat: MELIUS EST A SAPIENTE CORRIPI. Nam, quamvis honestum sit, et interdum necessarium alios corripere, et verbis et severitate vultus, tamen ex eo interdum non parum molestiae in corripientem redundat. Veritas, enim,

odium parit. Itaque, qui non ad gratiam loquitur, ut adulatores, sed severe cuncta dicunt et agunt, ii odiis multorum sunt expositi. Dicit, ergo, in hoc officio, quamvis honesto, tamen inesse vanitatis nonnihil, id est, ex eo labores saepe et molestias nasci et spes frustrari atque cadere. Et ideo consentanee adjecit:

8.—Calumnia conturbat sapientem, et perdit robur cordis ejus.

Nam, inquit, inest tamen id laboris et incommodi in eo, quod sapiens et justus vir alios vere et ingenue objurget, quod ex eo in eorum odia saepe incurrit; ex odio, autem, nascitur nocendi studium. Itaque, saepe accidit, ut qui reprehensi sunt, eis, qui se objurgarint, necem aut aliud quodpiam malum moliantur, ut illi, qui *(Sapient., II)* dicunt: *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis.* Igitur sapiens, cum alios objurgat, illorum in se odia provocat. Ipsi, porro, dum monitorem odio prosequuntur, crimen aliquod illi calumniose impingunt. Ea, autem, calumnia ejusmodi interdum est tam gravis, ut ipsum vehementer conturbet, aut, ut in hebraeo dicitur, ad insaniam redigat. ET PERDAT ROBUR CORDIS EJUS.—Pro robore Septuaginta posuerunt εὐγένειαν, id est, generositatem, significantes sapientes, cum se vident oppugnari et calumniis atque malis subjici ob id, quod vere et ingenue sunt locuti, timidos de castero effici et metu contrahi. Sed adverti debet, hoc loco hebraica nonnihil a nostra editione differre videri; nam sic: QUONIAM CALUMNIA AUT SYCOPHANTIA INSANIRE FACIET SAPIENTEM, ET PERDIDIT COR DONUM, quo videtur significari cor etiam sapientis muneribus excaecari, ut in Deuteronomio (XVI) dicitur: *Munera excaecant oculos sapientum.* Quae tametsi alium sensum praeferant diversum ab eo, quem expressit Vulgata, tamen accipi possunt etiam in eo sensu, quem ipsa posuit, quemadmodum accepit et expressit Chaldaeus Paraphrastes, dicens: VIOLENTIA DECIPIET SAPIENTEM, ET PERDET PER ELOQUIA MALA SAPIENTIAM CORDIS, QUAE DATA FUERAT EI DONO COELITUS. Unde id, quod diximus ex hebraeo: PERDIDIT COR DONUM, verti etiam potest: PERDIDIT CORDIS DONUM, id est, robur, et ingenuitatem, et generositatem, quomodo nostra editio et Septuaginta verterunt. Subdit porro:

9.—Melior est finis orationis, quam principium. Melior est patiens arrogante.

Armat atque praemunit sapientem contra calumnias aliorum: hoc est, quoniam dixerat justorum, qui libere alios arguunt, eo quod arguunt, vitam expositam esse odiis et calumniae, eisque calumniis patientiam et fortitudinem interdum superari; nunc adhortatur illos, ut forti et patienti animo ea ferant, dicens: MELIOR EST FINIS ORATIONIS QUAM PRINCIPIUM. MELIOR EST PATIENS ARROGANTE. *Oratio* hic sumitur pro negotio quocumque, hebraica phrasi, in qua verbum et pro negotio et pro sermone ponitur. Nam hebraice est *Dabar;* et ita accipi deberi docet Chaldaica Paraphrasis. In quocumque autem negotio, aut etiam sermone, ex fine judicium fit potius quam ex principio. Nam, ut ille: «Exitus acta probat.» Dicit, ergo, quod sicut ad judicium faciendum de rebus potior ratio est habenda finis, quam principii earum; ita, similiter, praeferendus est patiens arroganti. Quasi ita dicat: Non est, cur sapiens et justus vir conturbari debeat aut de statu recto mentis suae dejici, si quando calumniose agi contra se videat; neque debet primo ipso incursu graviter commoveri, sed patienter rei exitum expectare. Finis, enim, longe alius, longe diversus erit a principio. Ea, enim, gravia primo aspectu videntur; sed quoniam mendacio nituntur, evanescent paulo post calumniae, et laetissima victoria sequetur, et adversis secunda succedent. Melior est, enim, finis oratio-

nis, quam principium, et ut dicitur in psalmo: *Multae tribulationes justorum, et de omnibus liberabit eos Dominus.* Et, certe, non solum in hoc, sed etiam in omni alio officii genere, finem praestare initiis, idque proprium esse virtutis. Nam initia virtutis asperiora, fines laetissimi: vita justi, hic dum vivitur, laboriosa, tandem exitu laetissimo concluditur. Ex quo illud in libro Sapientiae (V): *Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Contra, malorum vita initio lacta, postremo tristis et acerba. MELIOR EST, igitur, ORATIONIS FINIS, QUAM PRINCIPIUM, ET PATIENS ARROGANTE. Pro patiente in hebraeo dicitur: *longus spiritu*; hispane: *hombre de espera*, id est, longanimis, qui patienter exitum rei expectat, neque commovetur statim, irritatur non facile. Pro arrogante legitur clatus aut altus spiritu; sic, enim, superbos et arrogantes appellant Hebraei. At per arrogantem significatur hic is, qui subito excandescit, qui est irritabilis, et, quavis re molesta objecta illi, statim ira movetur; qui opponitur longanimi. Significatur, autem, per arrogantem is, qui irritabilis et iracundus est, a causa. Nam ex arrogantia et superbia id vitium nascitur, sicuti virtus huic opposita, scilicet, longanimitas, oritur ex modestia et animi submissione. Sequitur:

10.—Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.

Etiam alia ratione persuadet sapienti, ut patientiam conservet, cum se videt propter officium calumniis aliorum obsideri, calumniis et odiis eorum quos corripiant, ne commoveatur et perturbetur, sed ut patienter omnia perferat, quod irasci et excandescere stulti proprium sit, et ob id sapiente atque bono indignum. NE, inquit, SIS VELOX AD IRASCENDUM, id est, ne, quacumque re molesta

objecta, statim excandescas. Et addit causam: QUIA IRA IN SINU STULTI REQUIESCIT, id est, proprium stultorum vitium est. Sed quomodo ira nunc dicitur stultorum esse propria, de qua superius dixerat: MELIOR EST IRA RISU? Ad hoc, primo, dicitur, quod superius agebatur de ira externa, quae facie severa atque vultu ostenditur, quaeque proprie opponitur risui, quaeque praeferenda est risui, quia est effectrix gravitatis et modestiae, idque liquet ex eo, quod statim addidit: QUIA PER TRISTITIAM VULTUS CORRIGITUR ANIMUS DELINQUENTIS. Hic, vero, loquitur de ira interna, quae commovet et conturbat cor, quaeque vindictam sitit, et ob id est contra charitatem. Idque ita esse, liquet primo ex eo, quod dixit: NE SIS VELOX. Nam velocitas illa ad subitum animi motum pertinet; et apertius apparet ex eo, quod additur in hebraeo, et Septuaginta etiam posuerunt: NE SIS VELOX IN SPIRITU TUO AD IRASCENDUM; tandem, ex eo, quod ultimo dicitur: QUIA IRA IN SINU STULTI REQUIESCIT, in sinu, id est, in animo. Agit, igitur, de interna excandescentia. Vel, secundo, responderi potest, superius nomine irae significari correptionem et objurgationem; hic, vero, impatientiam et iram, quae est passio. Ita Hieronymus, cum dicit: «Ibi pro correptione in peccantes et correptione in minores iram posuit; hic, vero, impatientiam refraenavit.» Tertio, dici potest, non omnem iram etiam esse inutilem et vituperandam; sed quaedam est utilis et honesta, ea, scilicet, quae contra vitia moderate suscipitur; de quo, fortasse, illud psalmi (IV): *Irascimini, et nolite peccare*; et ea probatur superius. Alia est vitiosa, quae eadem excandescentia nominatur, quaeque procul differt ab insania; de qua Jacobus in sua canonica (I): *Ira Dei justitiam non operatur*; qua, qui sunt obnoxii, iracundi dicuntur. Nam aliud est iratum, aliud iracundum esse. Iratus est, qui in actu irascendi est, quamvis alioqui sit mitis et lenis; at iracundus, qui vitio irae laborat, et quibuscumque rebus, etiam levissimis,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

irritatur; et ad hunc proprie pertinet, quod hic dicitur. Nascitur, enim, ex mentis inopia; itaque, est stultorum proprium. Nam agi hic de iracundo liquet ex eo, quod in hebraeo dicitur, et LXX expresserunt: NE FESTINES IN SPIRITU TUO AD IRASCENDUM. Iis, enim, verbis proprie describitur is, qui iracundus est. Sed quod dicit: QUIA IRA IN SINU STULTI REQUIESCIT, in eo adverti debet maximam conjunctionem irae cum stultitia declarari, tum verbo quiescendi, tum vero in illo verbo: IN SINU. Nam sinus in Sacris Litteris habet significationem familiaritatis, amoris, atque potestatis et habitus. Nam quod est valde familiare valdeque amicum, gratum et charum, dicitur esse in sinu, ut in *Deuteronomio* (c. XIII): *Aut uxor, quae cubat in sinu tuo;* et apud Esaiam (XL): *In sinu suo levabit foetas*, dicitur ad declarandum, quanta charitate Christus suos complectatur; et Joannis (I): *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* Similiter, quod est maxime nobis intimum adhaeretque nobis, ac proinde plene est in nostra potestate, facultate atque usu, in sinu esse dicitur, ut in psalmo (LXXVIII): *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum*, id est, eam in illos calamitatem immitte, quam excutere non possint, quae illis intime adhaereat; et in illo Lucae (VI): *Mensuram confertam dabunt in sinum vestrum*, quo significatur praemium, quod justis reddetur, illis adhaesurum, et ad intima animi illapsurum. Sic, ergo, cum dicit Salomon, quod ira requiescit IN SINU STULTI, significat, primo, stultis esse familiare et usitatam irasci; secundo, esse illis gratum atque carum; tertio, habitu inhaerere illis id vitium, hoc est, non solum iratos esse, sed iracundos. Sequitur:

II.—Ne dicas: Quid putas causa est, quod priora tempora meliora fuerunt, quam nunc sunt? Stulta est, enim, hujuscemodi interrogatio.

Qui in malis et rebus adversis versantur, odia multorum in se insurgentium experiuntur, solent sua tempora damnare, et praeterita meliora fuisse dicere. Ergo, quoniam sapientem calumniis oppressum ad patientiam adhortatur, et qui malis opprimuntur hoc dicere et cogitare solent, illos nunc admonet, ne in mentem aut animum inducant suum talia cogitare atque dicere, quoniam stulta est talis cogitatio. Est, enim, stultum vitia hominum in tempus referre; aut non videre, praeterita, quia ea non videmus aut experti sumus, idcirco nobis meliora videri, quam praesentia. Itaque, monet homines, ut cum in rebus adversis versantur, non tempori, sed vel suis vel aliorum vitiis ea mala, quibus premuntur, deputent. Quale est quod Eliphas dicebat apud Job (c. V): *Nihil in terra sine causa fiet, et de humo non egredietur dolor. Homo nascitur ad laborem, sicut avis ad volatum.* Quasi dicat: mala quae te premunt, neque in errorem fortunae tribuas, neque in fati aut temporis necessitatem. Nam *ab humo non egreditur dolor;* id est, terra (quo nomine, quidquid ad naturam rerum pertinet, intellexit); itaque, terra atque natura non germinant malum, vel poenae, vel culpae; homines ipsi sunt, qui sibi suis factis utrumque asciscunt, qui, quod male vivunt, in mala tali vita digna incidunt. At dicet aliquis, negari non posse alia tempora aliis esse deteriora, vitiosioresque homines uno tempore extitisse, quam alio. Nam tempore diluvii, ut Scriptura testatur, *omnis caro corruperat viam suam;* et homines sui saeculi, *pessimos* Christus saepe vocat; et (II *ad Timoth.* III) *novissimis temporibus* dicit Paulus, quod *instabunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes;* et Christus

de eodem ultimo tempore, apud Matthaeum (XXIV) dicit: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum;* et alibi: *Putasne, filius hominis veniens inveniet fidem in terra.* Et quod attinet ad mala poenae, de eodem tempore apud Matthaeum, ibidem, dicitur: *Et erit tribulatio, qualis ante id tempus non fuit neque postea futura est.* Sunt, igitur, quaedam saecula atque tempora *culpae fecunda*, ut Lyricus dicebat. Ad hoc, dicendum est, non negare Salomonem, quin vitia et mala hominum alio tempore, magis quam alio, pullulent et succrescant, sed docere duo: primum, nullum tempus fuisse, quod vitio vacaret, in quo non alii alios opprimerent atque subjicerent; secundo, id malum non temporis esse, sed a vitiis hominum proficisci, quare stulte queri de tempore et hominum culpam in tempora derivare. Sed pergit:

12. — Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem.

Pro DIVITIIS in hebraeo est: CUM HAEREDITATE, et ita Paraphrastes Chaldaeus; Septuaginta, autem, verterunt: CUM DISTRIBUTIONE; ex quo, varia hujus loci explanatio orta est. Nam distributionem quidam referunt, ut Olympiodorus, ad eloquendi facultatem; quasi dixerit Salomon bonam esse sapientiam, quae ad alios se docendo diffundit, juxta illud: *Thesaurus, musica et sapientia abscondita quid prodest?* Inque, quod posuit Vulgata: CUM DIVITIIS, intelligunt cum divitiis eloquii et facundiae. Sed fere omnes alii expositores proprie accipiunt divitias; quorum sententiae suffragatur, quod sequitur: SICUT PROTEGIT SAPIENTIA, SIC PROTEGIT PECUNIA. Quasi Salomon hoc loco sapientiam cum divitiis conjunctam laudet, atque praeferat soli et nudae sapientiae, quomodo Aristoteles in I *Ethicorum* cum sapientia et virtute opes conjungit, et eis vitam beatam compleri dixit. Sed si hoc melius est, quomodo

Christus (Matth. XIX) dixit: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, et sequere me?* Et, certe, neque satis apparet, qui sit verus hujus loci sensus, neque quomodo haec cum superioribus conjungantur. Divus Hieronymus et Lyranus simpliciter haec, et ut sonant, interpretantur. Inquit, enim, (Div. Hieronymus): «Alii indigent sapientia, alii opibus: qui sapiens est et non dives, potest quidem docere quod bonum est; sed non potest interdum praestare, quod petitur.» Sed huic sententiae videtur obstare, quod statim dixi. Nam, quamvis Aristoteles censuit divitias pertinere ad perfectionem beatae vitae; tamen Christus, contra, docuit esse impedimento et obstare perfectioni; quin et ipse Aristoteles fatetur, in paupertate et rebus adversis tolerandis lumen virtutis, quae potissime beatam vitam efficit, splendescere et augeri. Nisi forte quis dicat, sapientiam cum divitiis conjunctam hic praeferri sapientiae soli, non in ordine ad eum, qui possidet, sed in ordine ad eos, cum quibus agit. Nam, certe, illis magis proderit, si sapiens et dives sit, quam si solus sapiens; sic, enim, juvabit illos et re et consilio. Et, certe, ad hunc sensum respexisse videtur divus Hieronymus, cum dixit: «Si sapiens non sit dives, non potest interdum praestare quod petitur», id est, minus potest inopes et indigentes juvare eos, qui ipsius opem implorant. Et Glossa interlinearis ad hanc expositionem alludere videtur; nam dicit: UTILIOR EST SAPIENTIA CUM DIVITIIS, QUAM SOLA: BONUM EST, ENIM, INDIGENTI NECESSARIA TRIBUERE; SED MELIUS EST UTRUMQUE; et LXX., qui verterunt: CUM DISTRIBUTIONE, quae ad alios refertur. Potest, etiam, ista expositio confirmari ex verbis nostrae editionis: primo, ex eo, quod dicit: UTILIOR EST SAPIENTIA; non, enim, dixit: MELIOR, sed UTILIOR, scilicet, respectu aliorum. Secundo et apertius, ex eo, quod additur: ET MAGIS PRODEST VIDENTIBUS SOLEM, in ordine ad alios ostendit se esse loquutum. Sed si hoc ita est, quomodo hic sensus cum superioribus cohaereat, aut ex illis ducatur? Nam

in superioribus, ut visum est, ad tolerantiam malorum sapientem adhortabatur. Alii ita exponunt, ut non absolute praeferatur sapientia CUM DIVITIIS soli sapientiae, sed in ordine ad hujus vitae usum, et ad pericula et mala quae in hac vita incidunt vitanda, idque significatum esse a Salomone, cum dixit: ET MAGIS PRODEST VIDENTIBUS SOLEM, id est, tempore hujus vitae, quo solem spectamus. Nam ut additur statim: et SAPIENTIA PROTEGIT, id est, opem fert in multis periculis, et pecunia in nonnullis. Alii fortasse dicerent, in hebraeo non fieri comparationem, sed simpliciter dici: BONA EST SAPIENTIA CUM DIVITIIS, aut HAEREDITATE, ET MAGIS VIDENTIBUS SOLEM, id est, et potissimum viventibus in hac vita, et ita LXX verterunt: BONUM, SAPIENTIA. Neque negari potest id bonum et conducens in hac vita esse. Nam sapiens si egebit, frigebit. Sed, tamen, et in hac et in superiori expositione est idem inconveniens, quod eas sententias afferunt, quae cum superioribus recte conjungi nequeunt, a proposito et instituto sermone prorsus abhorrentes et alienas.

Quare tres reliquae expositiones sunt, quae hoc inconvenienti carent, quarum sententiae ex superioribus duci videntur; quas ponemus, ut quisque eam, quam magis probaverit, sequatur. Prima colligitur ex Chaldaico Paraphraste, qui haec verba ita exponit, ut non conferat divitias et sapientiam cum sola sapientia, sed utrumque cum mansuetudine animi et patientia in adversis. Nam sic ista vertit: BONA EST SAPIENTIA LEGIS CUM HAEREDITATE, SED LONGE MELIUS EST, UT SIT VIR IN MANSUETUDINE CUM VIRIS HABITATORIBUS TERRAE, QUI VIDERUNT BONUM ET MALUM SUB SOLE IN SAECULO HOC. Itaque, si istorum verborum is sensus est, quem explicat Chaldaica Paraphrasis, perseverat adhuc Salomon in adhortando ad tolerantiam sapientem; idque facit, cum mansuetudinem ita laudat, ut et doctrinae et divitiis anteferendam putet. Sed hic sensus cum his, quae sequuntur, nescio utrum satis cohaereat. Alia exposi-

tio est Olympiodori et aliorum quorumdam, qui verbum divitias aut haereditatem accipiunt translate pro vita aeterna, aut certe pro perseverantia. Nam haereditas absolute saepe ponitur pro vita aeterna, ut in illo *(Act., XX)*: *Qui potens est aedificare haereditatem in sanctis omnibus*, et *ad Galatas* (III): *Nam si ex lege haereditas*, et similiter *ad Ephesios* (I): *Quâ est pignus haereditatis nostrae*. Et, similiter, quia quod haereditario jure obtinetur, a majoribus acceptum in successores transmittitur, idque jus firmum valde est, idcirco in arcano sermone id nomen ad significandum perseverantem usum alicujus rei et tamquam proprietatem potest transferri. Quod liquere potest ex illo Petri (I, c. III): *Quia in hoc vocati estis, ut benedictionem haereditate possideatis*; haereditate, id est, perseverante et perpetuo proprietatis jure. Ergo juxta istam expositionem inquit Salomon: MELIOR EST, id est, optima res est (comparativum pro superlativo), SAPIENTIA CUM DIVITIIS aut HAEREDITATE, id est, perseverans justitia atque virtus. Nam sapientia pro virtute et cultu justitiae ponitur in Sacris Litteris. Igitur, melius est justitia, etiam in rebus adversis, et cum tentatur atque quatitur adversorum et tentationum procellis, perseverans firma atque constans; ET MAGIS PRODEST VIDENTIBUS SOLEM, id est, utilissima est, inter omnes res, viventibus. Aut, ut alii exponunt, videntes solem sunt, qui vitam jucunde ducunt, quibus res sunt secundae. Quae, tamen, vivendi ratio minus prodesse homini dicitur, quam ea, quae adversa patienter et sapienter tolerat. Atque hic sensus perspicue cum superioribus cohaeret. Tertia expositio alio itinere, longe diverso, ad horum verborum sensum pervenire contendit. Nam qui eam inducunt, dicunt esse a communi repetendum hoc loco ex superiori versu verbum illud: NE DICAS. Nam affirmant, Salomonem, qui justum in malis positum adhortabatur ad patientiam, quae contra ab hujusmodi dici soleant et possint, rejicere et refutare. Itaque, sicut superiori versu

rejecit quod qui adversa patiuntur, sua vituperando tempora, dicere solent; sic isto versu rejicere illud, quod iidem laudare solent vitam copiosam et opulentam, quod ea adversus pericula et mala muniti videantur; id refellit et rejicit, dicens: NE DICAS: UTILIOR EST SAPIENTIA CUM DIVITIIS, ET MAGIS PRODEST VIDENTIBUS SOLEM, id est: Ne existimes, divitiae si tibi ad virtutem additae essent, futurum, ut non occurrerent in te ista, quibus vexaris, mala. Et consentanee ad hunc sensum etiam exponunt quod sequitur:

13. — Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuit possessori suo.

Id est: Neque etiam dicas: SICUT PROTEGIT SAPIENTIA, SIC PROTEGIT PECUNIA. SICUT PROTEGIT. — Hebraice, ad verbum: QUONIAM IN UMBRA SAPIENTIAE, IN UMBRA PECUNIAE. Umbra, autem, proprietate sermonis hebraici pro protectione saepe ponitur, juxta illud psalmi (XVI): *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Itaque, recte et ad sensum vertit noster interpres. Subdit:

14. — Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere, quem ille despexerit.

Hunc locum quidam intelligunt de vitiis naturae; alii de morum vitiis. Itaque, alii dicunt Salomonem dicere, eum, qui cum aliquo naturae vitio natus sit, ut qui, v. g., caecus aut claudus editur in lucem, corrigi non posse. Alii, vero, dicunt vitia animi atque peccata, nulla nostra industria, nisi Deus sua gratia nos adjuverit, posse superari atque deleri. Et, quidem, priorem sententiam videtur sequutus Paraphrastes Chaldaicus, qui hunc locum ita vertit: CONSIDERA OPUS DEI ET FORTITUDINEM EJUS, QUI

FECIT CAECUM ET CLAUDUM, UT SINT MIRABILIA IN SAECULO; ETENIM QUIS EST, QUI POSSIT DIRIGERE UNUM EX ILLIS? Neque ab hac interpretatione videntur abhorrere Septuaginta, qui et hunc locum ita verterunt: QUONIAM QUIS POTERIT ORNARE, QUEM DEUS DEPRAVAVERIT, AUT PRAVUM FECERIT? Deus, enim, vitiis naturae pravos homines nonnumquam efficit, sed vitiis morum numquam. Et Olympiodorus hanc sententiam et expositionem sequitur. Posteriorem interpretationem ponit Vatablus, et D. Hieronymus utramque videtur sequi; et, certe, utraque et veram sententiam continet, et ad utramque verba hebraea sunt ambigua, quamquam vis nostrae versionis magis secundam insinuare videatur. Utraque, tamen, cum superioribus recte cohaeret. Nam si de vitiis naturae loquitur, his verbis adhortatur etiam Salomon sapientem ad patienter mala sustinenda consideratione ejus rei, quod multi maximis naturae vitiis atque defectibus natura subjecti nascantur, quibus tamen mederi nullo modo possint. Ex quo aequum esse, ut ipse sua mala levius ferat, quae et in melius verti possunt; et communi hominum more id solet in consolationem dici. Sin, autem, loquitur de vitiis animi atque peccatis, etiam efficacissime adhortatur ad patientiam et malorum tolerationem, quod his emendare et corrigere soleat Deus animi vitia, quorum ea diritas est, ut nisi a Deo delcantur, nulla humana ope corrigi possint. Quasi ita dicat: Ut levius mala et adversa perferas, etiam illud considera, quod quem Deus despexit, corrigi et ad sanitatem revocari non potest. Despicit autem eum, quem suae libidini obsecundare relinquit, neque fraenum timoris per malorum et adversorum illationem injicit illi. Nam, ut dicitur in Ecclesiastico (II), *omnem filium, quem diligit, castigat* (1). Subjicit porro:

(1) Ita in codice D; sed textus quoad verba invenietur in epistola *ad Hebraeos* (XII, 6).

15.—In die bona fruere bonis, et malam diem praecave. Sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias.

Adhuc insistit in adhortando ad patientiam eum, qui adversis premitur, adhibetque ad id aliam rationem e media hominum consuetudine sumptam, ut scilicet mala, quae tolerat, cum bonis, quibus aliquando affectus est, compenset; idque cogitet, utrumque, et DIEM MALAM, id est, tempus asperum, et DIEM BONAM a Deo nobis immitti nostrae salutis causa. Et si bona ab illo laetanter accepimus etiam, quae idem nobis infert, mala patienter ferre debere. Etenim, et hac ratione sanctus Job (c. II) se ad patientiam comparabat, dicens: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum* (1). IN DIE BONA, id est, quando tibi cuncta feliciter et ex animi sententia eveniunt, FRUERE BONO; hebraice: STO IN BONO, id est, gaude, et quae tibi a Deo afferuntur, grate et cum gratiarum actione accipe. ET DIEM MALAM PRAECAVE; hebraice: ET DIEM MALAM VIDE, id est, sic gaude, secunda fortuna cum arriserit, ut non dimoveas oculos et cogitationes ab adversa, id est, ut consideres cito mutari in deterius ea bona posse. Cui simile est illud praeceptum, quod habetur in Ecclesiastico: *In die bonorum, ne immemor sis malorum.* Nam haec praemeditatio atque praevisio, non solum valet ad modeste agendum et vitandam insolentiam in secunda fortuna; sed etiam ad patientiam retinendam, cum succedit adversa. *Minus, enim, jacula feriunt, quae praevidentur.* Itaque, et ille apud Terentium persapienter dicebat: «Quamobrem omnes, cum secundae res sunt maxime, tunc

(1) Postremum hoc: *Dominus dedit* etc. ad vers. 21 capitis I pertinet.

maxime—meditari secum oportet, quo pacto adversam aerumnam ferant.—Pericla, damna, exilia, peregre rediens, semper cogitet:—aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae (1).» Nam, ut inquit Cicero, «omnia quae mala putantur, improvisa sunt graviora.» Itaque, ad mala, cum advenerint, fortiter perferenda, praevidere illa ante et ad ea animum praeparare oportet. Qua de praecautione Salomon hic agit; de qua plura Cicero in III *Tusculana*. SICUT, ENIM, HANC, SIC ILLAM FECIT DEUS.—Multae in his verbis latent rationes, quae ad patienter agendum confirment. Nam, primo, si utraque fortuna est a Deo, omnino eveniet, quod a Deo fit, infestum fieri a nobis non posse. Ergo patienter feramus decet, quod omnino perferendum est. Secundo, ab honesto. Neque, enim, decens est, ut qui tot beneficia quotidie a Deo accepimus, si quid ab illo nobis inferatur molesti, ipsum ingrate incusemus. Tertio, ab utili. Nam si a Deo est adversa fortuna, perspicuum est, utilitatis et salutis nostrae causa esse, cujus ille semper est cupidissimus, nec sine judicio magno fieri. Itaque, in hebraeo pro Deo *Heloim* habetur, id est, Judices. UT NON INVENIAT HOMO CONTRA EUM JUSTAS QUERIMONIAS.—Hebraice: SUPER VERBUM, QUOD NON INVENIAT HOMO POST IPSUM QUIDQUAM, id est, idcirco utramque fortunam infert Deus, et secundis adversa commutat, et mala bonis temperat, ut ratio suae justitiae et providentiae a culpa et reprehensione vacet. Nam ex eo fit, ut nemo de Deo jure queri possit. Nec, enim, ab illo petendum est, ut nostrae libidini et cupiditati obsequatur, qui ipsi ejus rectissimae voluntati tam saepe et tam multis resistimus. Quidam haec ultima verba sic exponunt: Deus fecit, ut alterna mala bonis succederent, ut homo videat nihil esse stabile,

(1) Ita haec, in versus divisa, scribunt PP. Matritenses, uti in Terentio (*Phorm.*, act. II, scena 1). At in codice D soluta oratione, sine distinctione versorum, leguntur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et cui tuto niti possit. Chaldaicus, vero, Paraphrastes sic: DEUS MITTIT NON SOLUM BONA, SED MALA ET ADVERSA HOMINIBUS IN HAC VITA, UT HIC PURGATUS, NON INVENIAT HOMO POST SE QUIDQUAM MALI, SCILICET, IN FUTURA VITA. Potest, etiam, ex his verbis alius sensus elici, quoniam hebraea ad plures sensus sunt ambigua, is, scilicet: IN DIE BONA FRUERE BONIS; id est, dum adest facultas bene operandi, bene operare, aut esto in bono; ET IN DIE MALA, tempore adverso, VIDE, id est, videbis, hoc est, gaudebis atque laetaberis. Nam videre pro gaudere atque laetari poni solet in his Litteris, ut in illo psalmi (XXXVI): *Cum pericrint peccatores videbis*, id est, gaudebis ipse. Nam, certe, ita evenit, ut boni atque justi in tempore malo, in mediis malis, liberati a Deo, gaudeant, ut dicitur in psalmo (XL): *In die mala liberabit eum Dominus*, et in alio (Ps. CXI): *In memoria aeterna erit justus: ab auditione mala non timebit*, et in Job (cap. V) multa in eam sententiam dicuntur. Sequitur:

16. —*Haec quoque vidi in die vanitatis meae: Justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua.*

Occupat responsione, quod tacitis aliorum cogitationibus videbat ipsi posse objici, non videri aequum, ut justi et boni qui sunt, aut calumniis aliorum aut rebus adversis premantur; dicitque, justos et bonos, cum in malis sunt, quod se justos et innocentes esse videant, non ex eo graviter aut impatienter ferre mala debere. Nam neque bona hujus vitae praemia esse justitiae; saepe, enim, accidere, ut mali et injusti diutissime vita et fortuna utantur: neque, contra, mala hujus vitae semper in poenam dari; nam justos saepe cito extingui, neque solum extingui cito, sed ob id ipsum, quod justi sint, malis atque morbis subjici. Quae dicens, revellit opinionem eorum, qui putant mala et bona hujus vitae pro meritis cujusque dari deberi. In quo errore

amici Job versati sunt. Nam ex eo errore et persuasione impatientia sequi solet, et adversus Deum expostulatio, ut apparet in Davide (Ps. LXXII): *Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*, et similiter Habacuc (1) *Quare via impiorum prosperatur* (1)? HOC QUOQUE VIDI IN DIEBUS VANITATIS MEAE. —Hebraice: OMNIA VIDI IN DIEBUS VANITATIS MEAE, id est, ne speres, quod juste vivas, fore, ut in te non incurrant mala, aut quod justus sis atque innocens, graviter feras, quod vexere malis. Nam certe omnia, id est, hoc et illud, et ut noster vertit, HOC QUOQUE VIDI IN DIEBUS VANITATIS MEAE, id est, in hoc brevi curriculo vitae meae, et quod justus ob id, quod justus sit, pereat, et quod nequam longo vivat tempore; ex quo fit consequens, mala aut bona hujus vitae non dispertiri aut distribui hominibus pro ipsorum meritis. Et, certe, ita accidere saepe videmus, potestque id exemplis ex Scriptura confirmari. Sic Genesis IV, Abel justus cito extinctus est, et Cain parricida in longum vitam produxit. Similiter Enoch, vir justissimus, non attigit quadringentesimum annum, id est, pro sui saeculi spatio vivendi parum vixit; cum alii ejus saeculi homines ad nongentesimum pervenerint. Manasses, impiissimus, quinquaginta quinque regnavit annos (IV, *Reg.*, XXI); Ezechias, rex sanctus, ad triginta non pervenit. Quod si quis rogot, quare id fiat, dici debet justos saepe cito extingui ob id, quod dicitur in libro *Sapientiae* (IV): *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Contra, impios longius saepe producere vitam, quod Deus illos ad poenitentiam expectet, aut ut postea cum eis severius agat. Quam utramque causam exposuit D. Paulus, ad Romanos scribens (II): *An dicitias bonitatis ejus et patientiae et lon-*

(1) Sic in codice D; sed citata verba invpniuntur in Jeremia (XII, 1).

et cui tuto niti possit. Chaldaicus, vero, Paraphrastes sic: DEUS MITTIT NON SOLUM BONA, SED MALA ET ADVERSA HOMINIBUS IN HAC VITA, UT HIC PURGATUS, NON INVENIAT HOMO POST SE QUIDQUAM MALI, SCILICET, IN FUTURA VITA. Potest, etiam, ex his verbis alius sensus elici, quoniam hebraea ad plures sensus sunt ambigua, is, scilicet: IN DIE BONA FRUERE BONIS; id est, dum adest facultas bene operandi, bene operare, aut esto in bono; ET IN DIE MALA, tempore adverso, VIDE, id est, videbis, hoc est, gaudebis atque laetaberis. Nam videre pro gaudere atque laetari poni solet in his Litteris, ut in illo psalmi (XXXVI): *Cum pericrint peccatores videbis*, id est, gaudebis ipse. Nam, certe, ita evenit, ut boni atque justi in tempore malo, in mediis malis, liberati a Deo, gaudeant, ut dicitur in psalmo (XL): *In die mala liberabit eum Dominus*, et in alio (Ps. CXI): *In memoria aeterna erit justus: ab auditione mala non timebit*, et in Job (cap. V) multa in eam sententiam dicuntur. Sequitur:

16. —*Haec quoque vidi in die vanitatis meae: Justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua.*

Occupat responsione, quod tacitis aliorum cogitationibus videbat ipsi posse objici, non videri aequum, ut justi et boni qui sunt, aut calumniis aliorum aut rebus adversis premantur; dicitque, justos et bonos, cum in malis sunt, quod se justos et innocentes esse videant, non ex eo graviter aut impatienter ferre mala debere. Nam neque bona hujus vitae praemia esse justitiae; saepe, enim, accidere, ut mali et injusti diutissime vita et fortuna utantur: neque, contra, mala hujus vitae semper in poenam dari; nam justos saepe cito extingui, neque solum extingui cito, sed ob id ipsum, quod justi sint, malis atque morbis subjici. Quae dicens, revellit opinionem eorum, qui putant mala et bona hujus vitae pro meritis cujusque dari deberi. In quo errore

amici Job versati sunt. Nam ex eo errore et persuasione impatientia sequi solet, et adversus Deum expostulatio, ut apparet in Davide (Ps. LXXII): *Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*, et similiter Habacuc (1) *Quare via impiorum prosperatur* (1)? HOC QUOQUE VIDI IN DIEBUS VANITATIS MEAE. —Hebraice: OMNIA VIDI IN DIEBUS VANITATIS MEAE, id est, ne speres, quod juste vivas, fore, ut in te non incurrant mala, aut quod justus sis atque innocens, graviter feras, quod vexere malis. Nam certe omnia, id est, hoc et illud, et ut noster vertit, HOC QUOQUE VIDI IN DIEBUS VANITATIS MEAE, id est, in hoc brevi curriculo vitae meae, et quod justus ob id, quod justus sit, pereat, et quod nequam longo vivat tempore; ex quo fit consequens, mala aut bona hujus vitae non dispertiri aut distribui hominibus pro ipsorum meritis. Et, certe, ita accidere saepe videmus, potestque id exemplis ex Scriptura confirmari. Sic Genesis IV, Abel justus cito extinctus est, et Cain parricida in longum vitam produxit. Similiter Enoch, vir justissimus, non attigit quadringentesimum annum, id est, pro sui saeculi spatio vivendi parum vixit; cum alii ejus saeculi homines ad nongentesimum pervenerint. Manasses, impiissimus, quinquaginta quinque regnavit annos (IV, *Reg.*, XXI); Ezechias, rex sanctus, ad triginta non pervenit. Quod si quis rogot, quare id fiat, dici debet justos saepe cito extingui ob id, quod dicitur in libro *Sapientiae* (IV): *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Contra, impios longius saepe producere vitam, quod Deus illos ad poenitentiam expectet, aut ut postea cum eis severius agat. Quam utramque causam exposuit D. Paulus, ad Romanos scribens (II): *An dicitias bonitatis ejus et patientiae et lon-*

(1) Sic in codice D; sed citata verba invpniuntur in Jeremia (XII, 1).

ganimitatis contemnis? an ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei. Et in eadem epistola (IX): *Volens, autem, Deus ostendere iram, et notam facere potentiam, sustinuit in multa patientia vasa irae, apta in interitum.* Sed videamus, quod sequitur:

17. — Noli esse justus multum, neque sapiens plusquam opus est, ne obstupescas. — 18. — Ne impie agas multum: et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

Sunt qui superiorem versum, quod dictum est accidere saepe, ut justi in justitia sua moriantur, accipiunt et intelligunt, non de iis, qui vere justi sunt, sed de iis, qui errore decepti, pro justis dicuntur, et juste quaedam se credunt agere, quae minime justa sunt. Quales fuerunt filii Aaron, qui religionis studio ducti, et credentes se juste agere, alienum ignem obtulerunt, ob quod a Deo interfecti sunt; et qualis fuit sacerdos ille Oza, qui (II. *Reg.*, cap. VI) nutanti arcae, recte se agere putans, manum porrexit, qui et ipse ob eam causam a Deo extinctus fuit. Et qui hanc interpretationem inducunt (inducunt, autem, eam Hebraei quidam, ut docet hoc loco Hieronymus), ii satis apte hunc versum cum superiori conjungunt. Nam, quoniam superiori versu dixerat, justos, qui sibi tales videntur, et juste agere falso putant, interdum ob id ipsum perire, recte nunc et consentanee admonet nos, NE NIMIUM JUSTI simus, id est, ne ejusmodi justitiam, qualis istorum est, sequamur et zelo justitiae ducti, ea interdum faciamus, quae minime justa et Deo placentia sint. Sed quoniam nos aliter superiorem versum intelleximus, idcirco quo hunc cum illo conjungamus, dicimus: Quoniam Salomon superiori versu docuit, bona et mala hujus vitae non pro meritis justitiae decerni, et ob eam causam neminem sibi persuaderi debere, quod

se justum videat, liberum a malis futurum; quoniamque id doceus, hujusmodi fiduciam, quae ex persuasione propriae justitiae oriri solet, retudit et inanem esse docuit, idcirco nunc, ob mentionem justitiae factam occasione capta, aperit, quo id vitemus, aliud malum, quod ex ejusdem justitiae studio imprudentes nos solet invadere, dicens: NOLI ESSE JUSTUS MULTUM. Nam saepe accidit, ut medium non teneamus in justitia, et dum justi esse cupimus, severi ac truces ac superstitiosi efficiamur. Sunt, enim, quaedam vitia virtutibus similia, et valde illis in speciem vicina. D. Hieronymus, et Olympiodorus, atque etiam Augustinus in *Quaest. Novi et Veteris Testamenti*, quaest. XV (1), et Glossa interlinearis, et Lyranus justitiam hoc loco accipiunt pro vindicatrice justitia. Nam nimium justum hic dici volunt eum, qui in vindicando et poenas de innocentibus sumendo, et legum verba anxie sectando, nimius est. Quo de genere est illud Poetae: *Jus summum, summa injuria est.* At nonnulli alii, inter quos etiam est Augustinus, lib. *Sentent.*, sent. CCCLXV (2), generalius hoc de justitia morum intelligunt, et nimium justum vocari dicunt, qui justitiae suae et operibus, quae ipse suis viribus honeste egit, confidit. Et, certe, utroque modo recte exponi potest. Potest etiam hoc intelligi, non tam de ipsa justitia dictum, quam de ostentatione justitiae. Itaque, nimium justum vocari eum hoc loco, non qui studet nimium esse justus, sed qui affectat videri; nam huic severitas, et truculentia, et hypocrisis agnata sunt. Quod fit verosimilius ex eo, quod sequitur:

(1) Juxta communem sui temporis opinionem hoc opus Luysius Div. Augustino adjudicat. At recentioribus criticis jure adscriptitium videtur.

(2) Liber, quem hic Mag. Legionensis tribuit Div. Augustino, etsi ex sententiis divi Augustini confectus, auctorem habuit Div. Prosperum Aquitanum. Sententia a Luysio citata in quibusdam hujus operis editionibus numero 367, non 365, insignitur.

NEQUE PLUS SAPIAS, QUAM OPORTET, NE OBSTUPESCAS. Nam in eo, quod est: PLUS SAPIENS, si vim verbi hebraici sequamur, is intelligitur, qui se sapientem effĭcit, et jactatione et ostentatione suae sapientiae videri talis vult. Cui vanitati stupor agnatus est; stupor, inquam, is, qui ex admiratione oritur. Nam qui se suaque superbe jactant, et magna aliis videri volunt, se ipsi in primis mirantur, et ad se obstupescunt. Quamquam alii hoc, *nimium sapere*, aliter accipiunt. Nam Hieronymus, et Glossa interlinearis, et Lyranus, et plerique de curiosa rerum et consiliorum Dei investigatione hoc dictum intelligunt, esseque hoc praeceptum simile illi, quod Paulus *ad Romanos* scribit (XII): *Omnibus, qui sunt inter vos: Non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem.* Cui peccato, illud malum est adjunctum, quod sequitur: NE OBSTUPESCAS. Nam hebetatur acies ingenii, et stupore opprimitur, dum nimis intente figitur in rebus arduis et perobscuris, ut oculorum acies, cum adversum solem intuetur. Nam, ut dicitur in *Proverbiis* (XXV): *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Quale est, quod accidit primis parentibus, qui dum affectant esse *sicut dii, scientes bonum et malum (Genes.*, III), in densissimas ignorationis tenebras inciderunt. Qualesque haeretici sunt, qui plus sapere quam oportet sapere affectantes, non contenti doctrina Ecclesiae, in errores incidere vanissimos et ineptissimos. Sed et id, quod dicitur: NE OBSTUPESCAS, potest ex hebraeo etiam verti: NE DEVASTERIS. Nam verbum hebraeum utrumque significat; imo, significat vastitatem et desolationem ejusmodi, quae admirationem et stuporem efficiat, quae est propria poena superbarum mentium et earum, quae scrutari arcana Dei volunt. Sed ne ista audientes dici de justitiae et sapientiae nimio studio, in aliud extremum declinantes, id a se omnino repellerent, adjecit, quod huic periculo et malo mederetur: NE IMPIE AGAS MULTUM: ET NOLI ESSE STULTUS, NE MORIARIS IN TEMPORE NON TUO.— Quod non est ita intelligendum, quasi probet impie agere, sicut juste agere commendavit; vetet, autem, nimium injuste agere, sicut nimiam justitiam improbavit. Sed quod dicit: MULTUM, non ad excessum a mediocritate virtutis referendum, nam quidquid injustum est isto modo, nimium est; sed est referendum ad frequentiam et crebritatem peccandi. Itaque, non concedit, ut pecces aut impie agas, sed si quando id acciderit, ut in hac vita semper accidit hominibus; ut in aliquo offendas, ut in eo ne perseveremus et alia aliis peccata addamus, minora majoribus accumulantes, id nos admonet Salomon. Nam peccare, humanum est; perseverare in peccando, diabolicum. Itaque dicebat Joannes (I, 2): *Haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habet apud Patrem, Jesum Christum, qui est propitiatio pro peccatis nostris*; id est, tamen, si peccaverimus, non in eo perseveremus, sed scientes nos habere propitiatorem in coelis, nostrae naturae participem, nosque summo amore diligentem, Christum, ad ipsum recurramus poenitendo. Quod et ipsum Ecclesiasticus uberius praecepit: *Fili*, inquit Sapiens (*Ecclesiastici* XXI), *peccasti? non adjicias iterum: sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. Quasi a facie colubri fuge peccatum.* Cum quo recte conjungitur, quod sequitur: NE sis STULTUS; nam est hoc summae stultitiae, in peccato perseverare. Nam quod quis incidat in peccatum, id potest tribui ignorantiae, aut fragilitati interdum. Sed quod quis, se peccato inquinatum videns, et ad interitum animae et corporis tendere conspiciens, sibi medicinam adhibere nolit, sed morbum sibi majorem parere in dies, id stultissimum est. Cujus stultitiae poena est, quod sequitur: NE MORIARIS IN TEMPORE NON TUO. Saepe, enim, qui flagitiosi multum sunt, in violentam mortem incidunt, aut omnino immature vitam finiunt. Nam per peccatum non solum animus separatur a Deo, quae est mors animae, sed et ipsum corpus ab animi influentia et a rationis gubernatione subtrahitur, ex quo cor-

poris sequitur mors. Itaque mors, et spiritualis, scilicet, et corporalis, ex peccato oritur, ut *Genesi* (c. II): *In qua hora comederitis, morte moriemini;* et Paulus *ad Romanos: Per unum ingressum est peccatum in mundum, et per peccatum mors;* et alibi: *Stipendium peccati mors;* et rursum (*Jacob.*, I): *Peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem.*

Sed occurrit quaestio: quomodo IN TEMPORE NON SUO, qui nimium peccatores sunt, extinguantur, cum omnibus suus terminus moriendi a Deo statutus sit et praefinitus, ante quem nemo extinguitur, ut dicitur in libro Job (XIV): *Breves dies hominis sunt, et numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui praeteriri non poterunt?* Cui quaestioni, primo responderi potest, quod et Hieronymus sequitur, in tempore non suo extingui, quia ante tempus sibi a natura definitum extinguitur. Nam juxta cujusque constitutionem corporis, est cuique praefixus certus vitae terminus, ad quem quisque, temperate se gerens, neque si illi aliqua vis inferatur, possit pervenire. Ad quem tamen terminum multi non perveniunt, et maxime qui peccatores et flagitiosi multum sunt. Nam, quod violant leges, saepe incidunt in poenas legis et capite plectuntur, aut incurrunt in odia, ex quo sunt inimicitiae, et ex inimicitiis caedes violentae; aut, certe, intemperato vivendi genere contrahunt morbos gravissimos, seniumque sibi et mortem accelerant. Unde et in psalmo dicitur (LIV): *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos*, et Christus apud Matthaeum (XXVI): *Qui gladio interficit, gladio peribit;* et Job (V): *Virum stultum interficiet iracundia, et parvulum invidia.* Secundo, ad id potest responderi ex Olympiodoro, mori impios et stultos IN TEMPORE NON SUO, quia moriuntur antequam maturi sint ad mortem, id est, ut Olympiodorus inquit, antequam sint consummati virtutibus. Illud, enim, ad mortem opportunum est tempus, cum quis animum a vitiis expurgatum habet. Nam hoc vitae spatium nobis datum est, ut in hac vita eruamus vitia animi, et ornemus ipsum virtutibus, ut, cum fuerit satis ornatus, ab hac discedentes, in aliam meliorem vitam nascamur. Et quemadmodum quia foetus continetur in utero, quo inibi formetur et perficiatur corpus, tempus maturum in lucem prodeundi id est, cum is satis jam formatus est; sic, maturum tempus exeundi ex hac vita est, cum est satis virtutibus excultus animus, qui in hoc corpore tamquam in utero inclusus est, ut eas excoleret. Unde probo de homine dicitur in psalmo (1): *Et fructum suum dabit in tempore suo.* Qui, igitur, perseverant in peccatis, moriuntur IN TEMPORE NON SUO, quia semper imparatos illos et immaturos mors adgreditur. Tertio, dici potest, quod significare videtur Glossa interlinearis, mori peccatores IN TEMPORE NON SUO, id est, quo tempore minime ipsi vellent mori, quia mors illis, qui in peccatis morantur, acerba et invisa est; et quia semper sibi ipsis vitam longissimam fingunt, et eam spe percipiunt, quandocumque illis mors advenerit, nimium cito ac non suo tempore advenisse eam putant, ut apparet in illis qui in libro Sapientiae (V): *Et nos nati, continuo desivimus esse.* Subdit:

19.—Bonum est te sustentare justum. Sed et ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit.

Hoc loco hebraea videntur verbis differre a nostra editione, quamvis sensu non differant. Nam, ad verbum, sic: BONUM QUOD APPREHENDAS IN HOC ET ETIAM AB HOC, NE QUIESCERE FACIAS MANUM TUAM, QUIA TIMENS DEUM EGREDIETUR OMNIA HAEC. Titelmannus contendit vitiatum esse textum Vulgatae et pro JUSTUM esse legendum *istum*, ut respondeat hebraicis. Itaque, etiam, LXX transtulerunt. Et, certe, facilis erat lapsus aut transitus. Sed omnes codices Vulgatae editionis JUSTUM (1) legunt; neque variae

(1) In codice *D juste*. Sed ex contextu lectionis *justum* legendum videtur. Consonat codex *A*.

lectionis ullum apparet vestigium; et, praeterea, divum Hieronymum constat JUSTUM legisse in Commentariis, nam exponens hunc locum, dicit: «Bonum est, justis benefacere.» Nam quod hebraice dicitur IN HOC absolute, interpres recte intellexit id, quod justum esset, demonstrari, tum quia de eo sermo processerat, nam adhortabatur sapiens ad justitiam morum sectandam; tum quia dixit, bonum esse id apprehendere, id est, facere. Nihil, autem, bene fit, nisi quod justum est. Itaque, ad sensum, recte ista converiit. Sed, tamen, quae sit hujus loci vera inteligentia non satis liquet. Glossa interlinearis JUSTUM accipit substantive, et sustentare pro alere et eleemosynis fovere, quasi dicat Salomon bono et justo eleemosynam esse largiendam; sed tamen alios non esse dimittendos, ut *ad Galatas* Paulus (VI): *Bonum, autem, operemur ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*. Itaque, hoc versu praecipit, ut omnibus benefaciamus, vel etiam ut benefaciamus, quocumque modo possimus; ut si sustentare possimus, sustentemus; sin minus, pro nostra virili parte benefaciamus, juxta illud Tobiae (IV): *Noli faciem tuam avertere ab ullo paupere. Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum, etiam exiguum libenter impertire.* QUIA QUI TIMET DEUM neutrum NEGLIGIT, sed ipsum imitatur, qui solem suum oriri facit super justos et injustos. Quam eamdem intelligentiam sequitur D. Hieronymus. Sed hic sensus videtur alienus a proposito et instituto sermone. Non, enim, nunc agebatur de eleemosyna et beneficentia. Quare alii JUSTUM adjective accipiunt, quasi dicat Salomon, bonum esse justitiam tueri, sed et alias animi virtutes non esse negligendas, sed omnes potius excolendas. QUONIAM QUI TIMET DEUM NIHIL NEGLIGIT, et, ut hebraice dicitur, EGREDIETUR OMNIA HAEC; hispane: *Sale á todo; á todo arrostra*. Ex charitate, enim, omnis virtus pullulat atque germinat. Unde Ecclesiasticus (IV): *Quodcumque invenerit manus tua instanter operare* (1), et *ad Galatas* (c. VI) Paulus: *Bonum, autem, operemur, non deficientes*. Nam, ut dicit Jacobus: *Si quis legem servans, offendat in uno, factus est omnium reus*. Et haec satis cohaerent cum superioribus. Nam deterrebat ab impie agendo Salomon, et ad justitiam homines adhortabatur.

Alia expositio, superioribus magis consentanea, quam etiam ponit et sequitur Hieronymus, est, bonum esse, ut quis in utraque fortuna, et prospera et adversa, se moderate gerat, ita ut neque adversis dejiciatur, neque efferatur secundis. BONUM EST, inquit, TE SUSTENTARE JUSTUM, cum secundae res sunt, neque illis aut voluptate diffluere aut superbia efferri. Sed ab illo, quod scilicet huic fortunae et statui contrarium est, NE SUBTRAHAS MANUM TUAM, vel, ut hebraice, NE QUIESCERE FACIAS MANUM TUAM, id est, ne animum dejicias. Nam in Sacris Litteris manus quiescens ac remissa in adversa fortuna dicitur, et significat animi dejectionem in adversis, ex habitu scilicet. Nam qui animum despondent, et a se quidpiam superari posse desperant, simul cum animo brachia dimittunt. Sed apud Job (IV): *Manus lassas roborasti*, id est, animum addidisti in rebus afflictis; et apud Hieremiam (XLVII): *Non respexerunt patres ad filios propter debilitatem manuum, propter metum et dejectionem;* et in libro *Regum* (II, c. IV): *Audiens, quod mortuus esset Abner, debilitatae sunt manus ejus*, id est, coepit animo remisso esse, ac despondere animum. Unde et roborare manum alicujus, pro addere illi animum in periculo et adversis rebus ponitur, ut in libro *Regum* (II, c. II): *Nunc, autem, roborentur manus vestrae*, id est, sitis bono et forti animo; et in Zacharia (VIII): *Confortentur manus vestrae*, id est, estote forti et constanti animo. Cui expositioni consonat, quod sequitur: NAM QUI TIMET DEUM NIHIL

(1) Sic in codice *D;* at textus, quoad sensum, potius ad Ecclesiastem (IX, 10) pertinet.

NEGLIGIT, id est, in utraque fortuna se eumdem praebet; vel ut hebraice dicitur: QUI TIMET DEUM, EGREDIETUR OMNIA HAEC, id est, evadet ejusmodi mala et adversa. Unde sequitur:

20.—Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis.

Quasi ita dicat: Non debet pusillo esse animo justus, neque in adversis animum despondere, se quod existimat inermem aut praesidio destitutum. Nam nullum est praesidium majus sapientia. Itaque, ipse sibi adsit, et sapientiae suae copias advocet, eisque armet pectus suum; iis, enim, efficietur impenetrabilis ad omnia mala, munitiorque efficietur, quam urbes, cum praesidio sunt decem alae militum, id est, innumeri principes militares. Numerus certus pro incerto. Quidam, autem, de sapientia increata hoc accipiunt; itaque exponunt: SAPIENTIA, id est, Christus, CONFORTAT SAPIENTEM SUPER DECEM PRINCIPES CIVITATIS, id est, magis quam omnes Angeli. Nam hominem, quem illi redimere non potuerunt, ipse, factus homo, ab omni liberavit malo: ita Glossa interlinearis et Hieronymus. Sed haec ad mysticum sensum magis, quam ad litteralem pertinet. Pergit:

21.—Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.

Non negat esse aliquem hominem justum, quod Lutherani impie affirmant, sed cum sint plures justi, neminem eorum tam justum esse, tamque officii retinentem, qui non in aliquo offendat. Nam aliud est, omnia opera, etiam justorum, esse mala, quae est Lutheri insania; aliud aliqua eorum, quae est fides Catholica, sicut Jacobus dicit (III): *In multis offendimus omnes*, et Joannes (I, c. 1): *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Ducitur, autem, ista oratio ex superiori; quia dixerat, majus praesidium esse in sapientia, quam in copiis militum. Nam reddit ejus rei causam, quare hominum praesidia infirma sint; scilicet, quia illi, etiam perfecti et boni, tamen peccant et offendunt in aliquo. Vel, certe, hoc versu, sicuti et superioribus, adhortatur hominem justum ad mala adversa toleranda. Ad quam rem nunc ista ratione utitur, quod existimare quisque debeat, etiam si justus sit, se in multis peccasse; nam omnes peccant, et ob id merito illa pati. Vel, certe, haec oratio hicque versus non tam cum superioribus cohaeret, quam iis, quae sequuntur, viam praemunit. Sequitur:

22.—Sed et cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne forte audias servum maledicentem tibi.

Nam ponit aliud valde salutare praeceptum, ut, scilicet, ne simus curiosi inquisitores in aliorum vitas, facta aut dicta; ideoque praemiserat neminem esse tam justum, qui non peccet, id quod maxime efficax est ad dehortandum ab isto vitio. Nam qui ita persuasus est omnes et saepe peccare, suae infirmitatis conscius, in aliorum vitia curiose non inquiret. Et, certe, hac ratione Sacrae Litterae saepius utuntur, cum ab hoc vitio nos dehortantur, ut patet in illo (*Matthaei*, VII; et *Lucae*, VII): *Ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui*, et in illo Joannis (VIII): *Qui sine peccato est, primus vestrum in illam lapidem mittat.* Inquit, ergo: SED ET CUNCTIS SERMONIBUS, QUI DICUNTUR, NE ACCOMMODES COR TUUM, id est, ne audire velis atque cupias cuncta, quae alii, vel secum, vel cum aliis, agitant. Quod proprie pertinet ad eorum curiositatem, qui e latebris, quid alii inter se loquantur, aut agant, observare solent. Sed quamvis de hac proprie curiosa observatione mentio fit, tamen ad omnem

curiosam observationem vitae aliorum extendi debet id praeceptum, propter similem rationem. Cum, autem, prohibet ne aliorum facta atque dicta observemus curiose, id praecipit, ne ad judicandum de aliorum rebus simus proni atque praecipites. Nam fundamentum et quasi fomentum horum judiciorum, est ista curiosa observatio. Nam qui curiosi sunt indagatores rerum aliorum, iidem proni sunt et proclives ad judicandum et sententiam ferendam de eorum vita in utramque partem. Prudenter, autem, Salomon, quo vitii hujus malum extirparet, ipsam radicem, ex qua id pullulat, revulsit. Est, enim, id moris sanctarum Litterarum, cum aliquid prohibere volunt, id ponere, ex quo id oriri et proficisci solet; hoc est, ipsos fontes exscindere, unde id malum manat. Idque, duplici de causa, recte faciunt. Prima, quia exsciso fonte et vitata causa, facile quod inde sequitur vitari poterit. Altera, ut intelligamus, cum aliquid nobis interdicitur, etiam ea, quae id natura antecedunt, et ex quibus oriri solet, interdici. Sic Christus Dominus, apud Matthaeum (v) homicidium prohibiturus, quaecid antecedunt, et ex quibus caedes sequi solent, interdixit, dicens: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis.* Et infra: *Audistis quia dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.* Et similiter: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Igitur, Salomon similiter, quo nos a temere judicando liberos redderet, ea, ex quibus temeraria judicia sequuntur, prohibuit, observationes, scilicet, curiosas eorum, quae ab aliis vel dicuntur vel fiunt. Et praeter causam, quam praemisit quaeque nos a judicando de aliis continere debet, quod, scilicet, nemo sit, qui non peccet, omnes peccatores simus, addit aliam: NE FORTE AUDIAS SERVUM MALEDICENTEM TIBI. Nam id saepe accidit, ut qui ex latebris aliorum dicta observant, saepe audiant ea, quae ipsis audire ingrata et molesta sunt. Itaque, vel ut suam molestiam vitent, a tam curiosa observatione continere se debent. Sed ei potissimum ob id, quod sequitur:

23.—Scit enim conscientia tua, quia et tu crebro maledixisti aliis.

Nam qua mensura quisque mensus fuerit, eadem remetietur illi, ut dixit Christus (*Matth.*, VII; et *Lucae*, VI). Sequitur:

24.—Cuncta tentavi in sapientia. Dixi: Sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me.—25.—Multo magis quam erat: et alta profunditas, quis inveniet eam?

Adstruit auctoritatem his, quae dixerat, dicens, ea non temere se dixisse, aut levi ratione inductus, sed ut sapienter prius et diligenter examinata atque cognita. Nam se studiosissimum fuisse sapientiae. Itaque, dicit: OMNIA, nimirum, ista quae hactenus scripsi atque tradidi. Nam et in hebraeo, et in LXX editione additur pronomen demonstrativum superius dictis. Hebraei, enim, sic: הכל; Graeci, autem: Πάντα ταῦτα. Omnia, igitur, haec, quae dixi, tentavi in sapientia, id est, adhibito judicio et diligenti ac prudenti inquisitione examinavi, et inveni vera esse. Et quo majorem fidem adjungat suis dictis, probabilem causam (addit), qua inductus fuerit ad subeundum eum laborem, qui in tot rebus inquirendis et investigandis percipitur, dicens: DIXI: SAPIENS EFFICIAR. Nam, inquit, natura et propensione animi, tum etiam judicio sciendi omnia et ad summum gradum sapientiae perveniendi cupidissimus fui. DIXI.—Haec loquendi forma in sacris Litteris non tam

exterius aut interius verbum, quam certum judicium, et animi propositum, et vero animi erga aliquam rem vehementem propensionem et studium significare solet, ut apparet in illo *Canticorum* (VII): *Dixi: Ascendam in palmam;* hoc est, summo desiderio teneor; hoc a me meum flagitat cor, ut ascendam. Et, similiter, in psalmo (XXXVIII): *Dixi: Custodiam vias meas*; id est, decrevi firmiter apud me. Et in alio (XIII): *Dixit stultus in corde suo: Non est Deus*, id est, statuit apud se, neque tam judicium sequutus, quam cupiditatem suam, id definivit. Similiter et hoc loco Salomon, hoc verbo significat, quanto studio incensus esset sapientiae. DIXI: SAPIENS EFFICIAR, ET IPSA LONGIUS RECESSIT A ME.—Quidam hoc ita exponunt: Cum studuissem sapientiae, in eaque profecissem, ipsa longius recessit a me; id est, cognovi quo plura sciebam, eo mihi plura deesse. Quo modo significat, non solum sapientiae studio deditum se fuisse, sed etiam profecisse multum in eo studio. Nam haec est vera nota et signum profectus in studio sapientiae, cognoscere infinito plura esse, quae ignorantur a nobis, quam quae sciri possunt. Qui, enim, primoribus labris degustant studia doctrinae, se pro sapientibus gerunt: qui, autem, plus studii in his posuerunt, quo magis inquirunt, vident magis in profundo veritatem latere; itaque, modestiores sunt.

Mihi magis placet aliorum expositio, qui his verbis: DIXI: SAPIENS EFFICIAR, dicunt significasse Salomonem nimium studium et propensionem animi sui sciendi, non quascumque res, tritas et obvias, et quae humanis artibus et disciplinis continentur, sed res altissimas et abditissimas, et quae captum hominum superant, quarum multa pertinent ad consilia et facta Dei. Quasi ita dicat: Omnia ista, quae dixi, per sapientiam vera esse cognovi; nam fui ita studiosissimus sapientiae, ut non solum haec, sed multo his majora et sublimiora scire studuerim, atque adeo ad supremum sapientiae gradum ascendere. Et ita Paraph. Chald.

vertit: DIXI: SAPIENTIAM OMNEM SAPIAM. Unde quod sequitur: ET IPSA LONGIUS RECESSIT A ME, aperte significat ipsum loqui de rebus, quae humanum captum superant, et earum cognitione, quasi dicat: Cum ita studiosus sapientiae essem, ut quae ab homine sciri possunt, scire ipse caperem, sapientia obsequuta mihi non est, conatus non successit. MULTO, inquit, MAGIS QUAM ERAT: hebraice, ad verbum: REMOTUM AUT ELONGATUM ID, QUOD FUIT; quod potest accipi et eo sensu, quo conversum est ab interprete latino, ut referatur ad praecedens, et comparationem cum eo faciat, quasi dicat: REMOTUM ID, QUOD FUIT, id est, antequam in earum rerum abditam inquisitionem essem ingressus, remotum id ante erat; at postquam studium ad ea cognoscenda adhibui, longius recessit; quod, vel ex opinione ipsius, verum est. Nam prius, opinabatur se posse consequi; postea, re tentata, non posse cognovit. Vel ex ipsa re. Nam saepe accidit, ut qui ista pervestigare volunt, in graves errores incidant, et in mentis tenebras, magnitudine ipsa rei aciem mentis nostrae debilitante. Possunt, etiam, ea verba hebraea accipi et alio sensu, quasi eis reddat rationem, atque confirmet a minori quod statim dixerat, se ad earum rerum sublimium, quas optarat scire, cognitionem pervenire non potuisse, dicens: ID QUOD FUIT, id est, ea scilicet, quae praetercunt, et ab hominibus inter homines sunt gesta, remotum est, id est, a nobis ignotum et abditum, quanto magis quae in altissimo Dei consilio et voluntate sunt posita. Nam ad haec pertinet, quod sequitur: ALTA PROFUNDITAS, QUIS INVENIET EAM? ALTA PROFUNDITAS.—Illa admiratio de qua Paulus: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* Hebraice, ad verbum, sic: PROFUNDITAS, PROFUNDITAS, QUIS INVENIET EAM? Nam hac geminatione verborum summum in eo, de quo agitur, significant Hebraei ex suae linguae proprietate. Sequitur:

26.—Lustravi universa animo meo, ut scirem, et considerarem, et quaererem sapientiam et rationem: et ut cognoscerem impietatem stulti, et errorem et imprudentiam.

Id est, quia vidi illa arcana atque sublimia, quae posita sunt in consilio et voluntate Dei, ab humanis ingeniis cognosci plane et comprehendi non posse, verti me ad ea diligenter pervestiganda et cognoscenda, quae cum humanis sensibus magis congruunt, quorumque scientia proportionata nobis est et valde necessaria: quid sit honestum, quid turpe in humanis moribus, id est, moralem scientiam. In qua pervestigatione, quid viderit, statim subjicit, dicens:

27.—Et inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.

Olympiodorus haec dici affirmat de sophistica scientia, hoc est, de doctrinis falsis, quas mulieres hic metaphorice appellatas a Salomone dicit. Nam quia dixerat, se adhibuisse studium in inquirenda impietate et stultitia et imprudentia, id est, inquirendo quid verum aut falsum, quid honestum aut turpe, quid decorum, quid dedecens; ideo dicit nunc, veri et falsi, boni atque mali rationibus cognitis, nihil invenisse deterius doctrina falsa et erronea, qualis exempli gratia Epicuri doctrina erat de summo bono, utpote quae id in voluptate constituit. Quam jure MULIEREM appellat, quod virorum corda effeminata reddat; jurcque ejus manus vinculis assimilat, quod sua dulcedine capiat cunctos, captosque atque constrictos ita tenent, exuere vix ut possint ejus vincula. Alii, MULIEREM hic peccatum omne dici volunt, quia viri virtute atque constantia sit indignum. Alii, diabolum ipsum MULIEREM hic appellari existimant,

propter ejus effeminatas vires. Alii, idololatriam; alii, haereticorum dogmata. Sed ista omnia, ut docet Hieronymus hoc loco, potius pertinent ad intelligentiam spiritualem et ad mysticos sensus, quam ad litteralem sententiam; quae, sine dubio, continet feminarum vituperationem, vituperationem, inquam, non sensus ac naturae, sed ingenii atque morum, aut certe causae, quae in ipsis est ad decipiendos et infinitis malis homines implicandos. Quod malum mire exaggerat, idque explicat Salomon, et ut sapiens et ut expertus, significantissimis verbis, atque ita ut majori exaggeratione dici non potuerit. Nam, primo, hujus mali explicandi et exaggerandi causa, post illa verba: LUSTRAVI CUM ANIMO MEO, UT COGNOSCEREM IMPIETATEM, ET ERROREM, ET IMPRUDENTIAM, statim intulit: ET INVENI AMARIOREM MORTE MULIEREM, veluti docens, eam unam omnis impietatis, erroris, imprudentiae fontem et causam hominibus extitisse. Illa, enim, initium dedit peccato olim, et nunc similiter praebet causam. Deinde, illam comparat cum morte, et dicit eam esse pejorem et amariorem. Postremo, decipulas, sagenas, et vincula, et quidquid ad decipiendum valet et capiendum, et id, quod captum est, retinendum valet, in unum congerens, id feminae attribuit. Ex quo concluditur, nihil esse in vita, feminarum amoribus neque periculosius neque nocentius. Nam, primum, ad capiendos et irretiendos homines suis amoribus, sunt solertissimae; ad perdendos, quos captos tenent, efficacissimae. Primum, enim, captis pro voluptate amaritudinem acerbissimam propinant; deinde, deficiendi a Deo et aliorum peccatorum multorum causam illis exhibent. Sed, quo melius hoc intelligatur, age singula hujus versus verba diligenter excutiamus. ET INVENI, inquit; non statim id vidit, sed postquam, adhibito studio, diligenter multa pervestigavit, et plurimarum rerum periculum fecit, id tandem inventi. Nam hoc malum, quo magis noceat, non apparet malum, sed, blanda voluptatis et naturae communionis specie tectum,

suum virus occultat. Ex quo etiam antiqui, ad declarandum malum, quod in feminarum ingeniis et amoribus est, sirenas finxerunt vultu virgineo et specioso, animo autem truci et sanguinis, cruoris ac caedis avido; quaeque, ut ait Poeta:

Illectos nautas dulci modulamine vocis
Mergebant avidae fluctibus Joniis.

Itaque, Salomon experientia ipsa edoctus, seque insinuans ad hujus rei interiorem rationem, invenit longe alias esse ab eo, quod foris apparebant. Inveni, inquam, non dulcem, et suavem, et saporis plenam officinam, ut ille, sed morte ipsa amariorem esse mulierem. Mors in Sacris Litteris interdum appellatur *fortis*, ut in illo *(Cantic.*, VIII): *Fortis est ut mors dilectio.* Appellatur, autem, sic, quod omnia conficiat. Interdum, etiam, illi *amaritudo* tribuitur, ut in illo Sapientiae (1): *O mors, quam amara est memoria tua!* Et in illo: *Siccine separat amara mors?* Mortis, autem, amaritudo et acerbitas in eo consistit, quod separat animum a sensibus; hoc est, privat illum omnium earum rerum sensu, quae in vita dulcia sunt. Est, ergo, meretrix amara, propter eamdem causam; quia privat hominem omni eo, quod in vita pretio dignum est. Et est magis amara, quam mors; quia magis privat sensibus: mulierum, autem, impudicus amor debilitat corpus, exhaurit opes, morbos gignit, obtundit sensus, ingenii lumen extinguit, famam denigrat, animam a Deo separat, ac denique praecipitat totum hominem in interitum. Unde in *Proverbiis* (VII) dicitur: *Viae inferi domus ejus, penetrantes interiora mortis.* Sed quibus artibus, quove modo id efficit procax et impudica mulier? eo nimirum, qui sequitur: QUIA LAQUEUS VENATORUM EST. Nam sicut venatores atque aucupes escarum aliquid objiciunt atque ostentant avibus,

(1) Ita in codice *D*, pro: *Ecclesiastici*, XLI, 1.

cas ut inducant in laqueum atque in retia latentia, ita dolis, blanditiis, ac malis artibus mulieres illaqueant homines, ut illa, quam Salomon idem in *Proverbiis* (VII) graphice describit ad istum modum: *Irretivit illum multis sermonibus, et blanditiis labiorum suorum protraxit illum*, et caetera; et, statim, infra: *Et velut avis festinat ad laqueum.* Quod, autem, addit Salomon: ET SAGENA COR EJUS, valet ad eamdem vim illiciendi homines, quae in mulieribus est, declarandam. Nam quod dicit COR EJUS, causam pro effectu posuit, id est, pro verbis atque factis, quae a corde prodeunt, et quibus homines capiuntur. Ergo SAGENA est COR EJUS, quia non solum capiunt homines impudicae mulieres, sed quia cupidae sunt capiendi, et artibus capiendi plenum habent cor; id est, omne earum studium, omnis cura versatur in eo, praestantque ejus rei facultate atque scientia. Plautus in *Milite glorioso*, act. 3:

Domi habet animum falsiloquum, falsificum, falsijurium;
Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.
Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua est mala:
Domi habet hortum et condimenta ad omnes mores maleficos (1).

Sed pergit: VINCULA SUNT MANUS ILLIUS, quod dicit, vel ut ostendat quam cito et quanta facilitate homines constrictos teneant, quanta polleant vi et facultate capiendi homines, utpote quae ad id non egeant ferro, aut catenis, aut carcere, sed suis ipsae manibus pro vinculis utantur, vel ut a parte totum indicans significet, nihil in femina esse, quod non sit illicio plenum, quod non undique amores spiret: manibus, oculis, capillis, risu, motu corporis, atque adeo nutu atque tactu miseros amantes alliciant. Ex quo, non inepte ille, apud Plautum in *Milite glorioso*:

Videre tu illam oculis venaturam facere, atque aucupium auribus?

(1) Sic in codice *D*. In Plauto tamen (*Miles gloriosus*, act. 2, non 3, scena 2) legitur: *mellifica.*

Et Propertius (lib. II, el. 1) fomenta suae insaniae quacumque ex re capiebat:

Seu quidquid fecit, sive est quodcumque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.

Et in *Canticis* sponsus, quae in hoc amore corporeo accidunt ad meliores amores transferens, allici se atque vinci dicebat his omnibus: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.* Cum, igitur, tanta vis mulierum sit, tanta facultas, tot artes ad capiendos et captos retinendos viros, merito additur: QUI PLACET DEO, EFFUGIET ILLAM: QUI PECCATOR EST, CAPIETUR AB ILLA. Nec, enim, sine summo Dei auxilio evadere quis possit tot laqueos, tantamque nocendi vim; auxilium, autem, id Deus confert iis, quos merito justitiae ac bonorum operum amat. Sed hoc, dicat aliquis, ingenio una aut altera mulier sit; plurimae, enim, sunt pudicae, et sanctae, et malis artibus vacuae. Ad hoc, Salomon respondit; itaque, subjungens, dicit:

28—Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum et alterum, ut invenirem rationem.—29.—Quam adhuc quaerit anima mea, et non inveni. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.

Cujus versus prima verba: ECCE HOC INVENI, ad superiora referuntur, eaque demonstrant, quasi dicat Salomon: hoc, igitur, quod dixi, ita esse comperi, et longo experimento probavi; et ne quis paucarum culpam in universum genus conferre arbitretur, et ex paucis impudico ingenio praeditis omnes aestimare, hoc sciat, me unam et alteram, vel ut hebraice dicitur, UNAM AD UNAM explorasse, id est, plurimarum periculum exacte et attente fecisse, ut invenirem rationem, id est, ut invenirem, utrum mihi recta constaret ratio atque summa in hac re, et ut hispane dicere solemus: *para ver si habia echado bien la cuenta del discurso*. Nam verbum hebraicum, pro quo ratio ponitur in hoc loco, quodque Graeci interpretes λογισμὸν transtulerunt, ut docet Hieronymus, et summam rationem et cogitationem significat. Igitur, inquit: Exploravi singulas, aut sigillatim plurimas, num, scilicet, aliquam probam et pudicam, et quae officio suo satisfaceret, invenirem; quam adhuc quaero, inquit, ET NON INVENI. VIRUM DE MILLE UNUM INVENI, MULIEREM EX OMNIBUS NON INVENI.—EX OMNIBUS, scilicet quas vidi, et quarum periculum feci. Nam inquit: Quamvis et ipsi homines pravi maxima ex parte sint et ad malum proni, tamen unus et alter inveniuntur, qui officio suo probe respondeat, qui se virum exhibeat et digna viro virtute praestet. At in muliere, ad communem naturae fragilitatem adjungitur sexus et ingenii propria imbecillitas, ex quo fit, ut sit viro longe infirmior et ad malum promptior.

Sed quomodo haec vera sunt, dicet aliquis? Nam aut agitur de virtute et justitia divina, id est, infusa, et quae constat dono Dei peculiari, aut agitur de virtute et bonitate morali, (ad) quam quisque suis viribus aspirare potest. Si de priori, nullum discrimen est inter virum et feminam, sed omnes aeque carent illa, nisi a Deo ipsis donetur, suntque omnes peccatores origine, ut ait Paulus *ad Romanos*: *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur*, et: *Omnes in Adam peccaverunt, et egent gratia Dei*. Sin, autem, de posteriori, injurii sumus in feminas, si negamus nonnullas exstitisse in hoc virtutis genere valde praestantes, probas, pudicas, viris suis fidem servantes. Itaque, plures de illustribus feminis conscripti sunt a viris sapientissimis libri. Qua, ergo, ratione verum erit, ex omnibus nullam, quae probanda sit, inveniri? Ad hoc, respondetur, de morali virtute agi, nec tamen ab ea omnes feminas excludi. Sed quod dicit Salomon EX OMNIBUS, ea vox et universalis nota potest referri ad eas solum, quarum ipse periculum

fecerat, ut dictum est; vel, certe, non comprehenduntur omnes in universum. Nam is est mos sanctarum Litterarum, ut quod a plurimis fit, id dicatur ab omnibus fieri; et quod perraro invenitur, nunquam inveniri; et quod difficile fit, id fieri non posse dicatur; sicut et superius annotabamus (vide Hieronymum in cap. VII Michaeae). Cui sententiae consonat illud Poetae (Aen., IV):

.....Varium et mutabile semper
Femina.....

Sunt qui hos versus aliter exponunt, sic nimirum: ECCE HOC INVENI, DIXIT ECCESIASTES, UNUM ET ALTERUM, UT INVENIREM RATIONEM; id est, ad inveniendam veritatem in hoc negotio, inveni commodissimum esse, unum cum altero conferre, id est, conferre officium hominis cum ejus operibus, ut ex hac collatione perspicuum fieret, utrum homines probi essent, an secus. Nam qui sua officia opere exequitur, is probus est; contra, autem, improbus, qui id non praestat. Inveni, igitur, hac ratione inter mille homines vix unum qui vir esset, qui officio suo satis faceret; mulierem, autem, quae id efficiat, fere nullam. Unde, similiter, dupliciter exponi potest, quod sequitur:

30.—Solum hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quaestionibus.

Uno modo: Fecit DEUS HOMINEM RECTUM, id est, unicuique homini attribuit suum et proprium munus, quo defungeretur, ejusque rei functionem facilem effecit; sed quisque suo officio relicto, aliena curans, ipse se implicuit variis et difficilibus rebus, curis, laboribus. Nam, certe, hoc vitio laborant plerique, ut nihil minus esse curent, quam quod esse debent. Conjugatae, monachae esse volunt; monachae, conjugatae; privati, de republica consultant. Ex quo illud Lyrici:

Qui fit, Maecenas, ut nemo quam sibi sortem etc.

Unde magna sequitur vitae perturbatio. Neque solum singulis hominibus hoc accidit, sed in communi universis. Nam cum proprium hominis officium sit colere Deum, et secundum rationem vivere, id quod et rectum est et facile, ad idque Deus ita adjuvet, ut sit factu facillimum; tamen, quodvis potius, quam id, esse volunt, leones, feras agrestes, potius; quod et alienum a natura est, et ex consequenti factu difficile. Itaque, plurimum laboris in eo ponunt, seque curis cruciant atque conficiunt. Ex quo est illa conquestio apud Isaiam: *Quare appenditis argentum, et non in panibus, et laborem vestrum, et non in saturitate?* quod ii faciunt, qui, suo officio neglecto, quae rationi adversa sunt curant. Consumunt, enim, suos labores et non in panibus et saturitate, id est, inutiliter, non in eo, quod ipsos juvare potest. Alio modo id exponitur; quae verior et magis communis expositio est: fecit DEUS HOMINEM RECTUM a principio, talis enim constitutus a Deo est in statu innocentiae; sed ipse peccato se miscuit multis quaestionibus. Quod ideo dicit, ne cum quod dixit *vix unum* ex omnibus hominibus bonum esse, id vitio conditoris accidisse arbitretur: ipse, rectos eos condidit; ipsi, sibi curas et labores conciverunt. Unde concludens dicit: QUIS TALIS UT SAPIENS EST? ET QUIS COGNOVIT SOLUTIONEM VERBI? Ex quo colligitur, in eo, quod statim dixerat, quod fecit Deus hominem rectum, arcanum quiddam significare voluisse; quale est, quod pertinet ad primorum hominum et statum et casum: quae philosophi et ratio naturalis ignorant; sola doctrina revelata constant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT VIII

I.—Sapientia hominis lucet in vultu ejus, et potentissimus faciem illius commutabit.

Quod fecerat mentionem sapientis, qui posset solutionem verbi cognoscere, occasionem inde sumit laudandae sapientiae. Itaque ait: SAPIENTIA HOMINIS LUCET IN VULTU EJUS. Unde alii ultima verba illa capitis superioris cum hoc versu conjungunt; et, certe, editio, quam interpretatur Hieronymus, ab illo ultimo versu initium facit hujus capitis. Conjungunt, autem, illa verba cum his, quasi utrisque encomium sapientiae constet, isto modo: QUIS (inquit) TALIS UT SAPIENS? id est, quis est qui conferri possit cum sapiente? Et statim per repetitionem aut expolitionem: ET QUIS COGNOVIT SOLUTIONEM VERBI? Ubi a communi repetenda est superior particula TALIS, id est, et QUIS TALIS ut is qui COGNOVIT SOLUTIONEM VERBI, ut sit repetitio et expolitio ejusdem sententiae, verbis tantum commutatis. Et addit e vestigio causam, quare sapientem tantopere admiretur, dicens: SAPIENTIA HOMINIS LUCET IN VULTU EJUS, ET POTENTISSIMUS FACIEM EJUS COMMUTABIT.—Quod, videlicet, tantum sit sapientis bonum, tantusque splendor, ut exterius etiam se prodat, nec solum animiam illustret, et honestate afficiat, sed etiam in ipso vultu, hoc est, in omni externo et opere et habitu eluceat, Deo, qui potentissimus est, faciem sapientis commutante, id est, eum splendorem et elegantiam illi addente. Cui sententiae est simile illud, quod dicitur *Ecclesiastici* (XIX): *Ab occursu faciei cognoscitur sensatus;* amictus enim corporis, risus dentium, et incessus pedum annuntiant de homine: nam quia lucet in

vultu sapientia hominis, idcirco ex externo habitu atque vultu, quisque facile cognosci potest. Ex quo, etiam, isti duo versus, ultimus capitis superioris et primus hujus, conjungi inter sese alio modo possunt, ut qui tanquam de re difficili inventu dixerat: QUAE TALIS, UT SAPIENS, nunc inveniri, ejus rationem tradat dicens, quod SAPIENTIA HOMINIS LUCET IN VULTU EJUS, hoc est, ex externis notis eam posse cognosci.

SAPIENTIA HOMINIS LUCET IN VULTU EJUS.—Pro LUCET, in hebraeo est TAHIR, tertiae conjugationis verbum, quod proprie est illuminare aut lucere facere, quamquam interdum etiam intransitive ponatur; itaque, et Hieronymus, et Septuaginta, et Paraphrastes chaldaicus vertere: SAPIENTIA HOMINIS ILLUMINAT aut ILLUSTRAT vultum ejus, id est, honorem ac splendorem externum illi addit, et bonam apud omnes existimationem; quamquam si illustrat faciem, lucet profecto in facie, et ita utriusque versionis videtur esse idem sensus. Sed in eo, quod sequitur, est major varietas: ET POTENTISSIMUS FACIEM ILLIUS COMMUTABIT; nam pro POTENTISSIMUS, in hebraeo est HOZ, quod fortem aut fortitudinem significat; unde, ad verbum, hebraea sonant: ET FORTITUDO FACIERUM EJUS MUTABITUR, vel FORTIS FACIERUM EJUS MUTABITUR. Hocque ultimum Septuaginta secuuti et chaldaicus Paraphrastes, *fortis facie* pro inverecundo acceperunt; nam et hoc nomine, Hebraeis impudentes qui sunt appellari solent, ut Danielis VIII, quo loco dicitur: *Et rex inverecundus* aut *impudens*, in hebraeo est *fortis facie;* et *Proverb.* VIII, ubi *procaci vultu*, id est, *impudenti*, ibi in hebraeo est *fortis facie.* Unde Septuaginta hunc locum ita verterunt: *Et inverecundus facie sua, odio habebitur;* nam verbum hebraeum, pro quo mutare posuit latinus interpres, etiam pro odio habere accipi potest; et secundum hanc translationem, sensus est: Sicut sapientia, in hominis vultu elucens, illum reddit amabilem et gratiosum, ita impudentia oris reddit odiosum hominem.

Chaldaicus Paraphrastes primum verbum, *inverecundum* interpretatur; posterius, pro mutare accipit; et ita vertit: ET INVERECUNDUS FACIE MUTANTUR VIAE EJUS DE BONO AD MALUM. Alii, prius illud verbum accipientes pro fortitudine, sic vertunt: ET FORTITUDINEM FACIERUM EJUS MUTABITUR *(sic)*, ut sit sensus: Sapientia illustrat faciem sapientis, id est, reddit modestam, et pellit ab eo omnem fortitudinem faciei, id est, omnem invercundiam, impudentiam, temeritatem, crudelitatem; nam qui vere sapientes sunt, quique ea sapientia, de qua hic agitur, sunt praediti, scilicet divina, et non carnali, quae inflat, modestissimi sunt, et de sese submisse et humiliter sentiunt. Nam de hac sententia loqui ipsum, declarat quod sequitur:

2.—Ego os regis observo, et praecepta juramenti Dei.

Quia laudaverat sapientiam, nunc docet, quam sapientiam, aut cujus gratia sapientia laudatur, eam nimirum, quae observat praecepta juramenti Dei, id est, conjuncta cum mandatorum Dei observantia. EGO OS REGIS OBSERVO, id est, loquor de ea sapientia, quae observat os regis, et instituo sapientem legis Dei observantem; unde et Septuaginta per imperativum verterunt: OS REGIS OBSERVA. Regem hic pro Deo... (1) accipi deberi placet Hieronymo, Glossae interlineari, et Lyrano, et nonnullis aliis; nam is, rex absolute in divinis Litteris appellari solet, ut in psalmo XX: *Domine, in virtute tua laetabitur rex;* et psalmo II: *Ego constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus;* et psalmo LXXI: *Deus, judicium tuum regi da.* Os, autem, aut facere aliquid secundum os alicujus, pro obedire alteri, et mandata ejus exequi poni solet, ut patet *Josue*, XV; et III *Reg.*, XVII; et IV. *Reg.*, XXIV.

(1) Ita in codice *D* ac etiam in utroque exemplari PP. Matritensium; codex autem Biblioth. National. ita: « Rex in hoc loco accipitur pro Deo aut pro Christo, ut placet D. Hieronymo et Glossae et Lyrae et aliis nonnullis.» His similia leguntur in codice A.

ET PRAECEPTA JURAMENTI DEI; hebraice: VERBA JURAMENTI; vocat, autem, PRAECEPTA aut VERBA JURAMENTI, legem quam Deus tulit per Moysem, et quam populus, fide data, pollicitus est servare, et sanguine victimae aspersus est a Moyse *(Exodi*, XXIV), quod erat juramenti quoddam genus, ut recte docet Lyranus hoc loco. Sunt, qui hunc versum de obedientia praestanda et fide servanda regibus et magistratibus intelligant, quasi eos Salomon doceat, servandam esse fidem, quam quis regi dedit et juramento firmavit; neque ab hac sententia abhorret et Olympiodorus. Alii prius hemistichium de obedientia praestanda magistratui, posterius de fide servanda Deo exponunt. Ego, inquit Salomon, volo ut observes OS REGIS, id est, parcas magistratibus; et, similiter, VERBA JURAMENTI DEI, id est, praecepta illius custodiens, nimirum sapiens eris; quem laudat, esse docens, et divinas observare leges et humanas (1). Ita distinguit hujus versus sententiam chaldaicus Paraphrastes, et Vatablus, et nonnulli alii. Sequitur:

3.—Ne festines recedere a facie ejus, neque permaneas in opere malo: quia omne, quod voluerit, faciet.

Reddit causam, quare vel Deo, vel magistratibus, sit obtemperandum; nam utrovis modo superior versus intelligitur. Hic continet redditionem causae ejus, quod ibi dictum est, addito timore poenae. Nam si de obedientia praestanda regibus et magistratibus agitur, dicit id fieri oportere; nobis, enim, non impune futurum, si contra fe-

(1) Sic codex *D*. In exemplari, vero, *A*, haec significantius leguntur, ita scilicet: «Et similiter, volo ut observes praecepta juramenti Dei, id est, divina mandata; scilicet, docens proprium esse ejus sapientis, quem laudat, observare et divinas et humanas leges.»

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cerimus. Nam rex QUOD VOLUERIT, FACIET, id est, habet summam potestatem nocentes et legum suarum transgressores plectendi. Si, autem, agit de observatione legis et mandatorum Dei, quod magis probo, similiter adimit homini omnem spem effugiendi divinum supplicium, ea si violaverit. NE FESTINES (inquit) RECEDERE, aut abire, A FACIE EJUS, id est, ne putes te effugere posse Dei praesentiam, aut illum latere, eaque spe fretus, ne permaneas in opere malo, id est, perseveres in male operando; quia QUOD VOLUERIT, FACIET, id est, et peccantem te videt, et fugientem consequetur, et latentem eruet, et reluctantem poenis, suo arbitratu, subjiciet. Nam ista praesentiae, et cognitionis, et potentiae Dei magnitudine, sacrae Litterae etiam alibi solent dehortari homines a peccato. Ut in psalmo CXXXVIII: *Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades*, et quae sequuntur; et e contrario, quos peccare delectat, se effugere posse aut oculos aut iram Dei saepe arbitrantur, ut illi, de quibus in psalmo XCIII: *Et dixerunt: Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob.* Unde similiter, ad ejus summam potestatem puniendi malos declarandam, sequitur:

4.—Et sermo illius potestate plenus est, neque dicere ei quisquam potest: Quare sic facis?

Hebraice hoc, ad verbum, sic dicitur: IN QUO VERBUM REGIS, IMPERIUM AUT POTESTAS, ET QUIS DICET ILLI, QUARE FACIS? IN QUO VERBUM REGIS, id est, quidquid dixerit Rex, IMPERIUM, id est, statim fit et executioni mandatur. Quod de Rege Deo dictum, de quo ista omnia dici magis probamus, verissimum dictu est, sicut alibi dicitur (Ps. CXIII): *Quaecumque Dominus voluit, fecit, in coelo et in terra;* et psalmo CXLVIII: *Ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.*

Sed iis sic expositis de communi, et veterum et recentiorum interpretum, sententia; non celabo vos id intelligentiae, quod mihi in hoc loco succurrit: nam, certe, arbitror, ab illo versu capitis superioris: VIRUM DE MILLE UNUM INVENI ad hunc usque locum, praeter sensus morales istos, quos in lucem produximus, arcanum quiddam et propheticum contineri de Christo et de ejus regno futuro, et populi Judaici caecitate, et Gentium vocatione. Quod, ut existimem, adducor illis verbis: QUIS TALIS UT SAPIENS EST, ET QUIS COGNOVIT SOLUTIONEM VERBI? Nam iis verbis sacra Scriptura nusquam utitur, nisi ubi aliquid propheticum et arcanum, maxime ad Christi regnum et Gentium vocationem, et populi Judaici erga illum aut fidem aut perfidiam pertinet. Ut psalmo CVI, postquam nonnulla ad haec prophetica et arcana, quae dixi, pertinentia, figurate et metaphorice scripsit David, statim adjecit: *Quis sapiens et custodiet haec, et intelliget misericordias Domini?* ut et illo loco agnovit D. Augustinus. Et *Jeremiae*, IX, similiter: *Quis est vir sapiens, ut intelligat hoc, et ad quem verbum oris Domini fiet, ut commutet istud, quare pericrit terra?* Et similiter Oseae, XIV: *Quis sapiens et intelliget ista? Intelligens, (et sciet haec?) quia rectae viae Domini, et justi ambulabunt in eis: praevaricatores corruent in eis...* (1) docet Paulus (I *ad Corinth.*, c. I), dicens: *Verbum enim crucis, pereuntibus stultitia est: iis, autem, qui salvi facti sunt (id est, nobis), Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi inquisitor hujus saeculi?* Et, certe, hoc mysterium fuisse abditissimum, merito ut rogari possit, an ab aliquo

(1) Sequitur in codice *D* brevis lacuna. Codex, autem, *A* sic: «Ad quae verba allusisse et ea exposuisse Div. Paulus videtur de isto mysterio, de quo loquor, in priori *ad Corinthios...*» PP., vero, Matritenses ex propria, ut videtur, interpretatione ita haec legunt: «(Quae verba ad mysterium crucis Christi pertinere ipsumque in eis ob oculos habuisse Prophetam) docet Paulus...»

sapientum id possit intelligi, testatur ipse Paulus *(ad Ephes.*, c. III): *Quoniam secundum revelationem, notum mihi factum est sacramentum* etc., *quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis, in spiritu gentes esse cohaeredes et concorporales, et comparticipes promissionis in Christo Jesu per Evangelium*. Ergo prophetat de Christo Salomon his verbis, quae dixi; eaque sic exponi possunt: VIRUM UNUM DE MILLE INVENI, MULIEREM EX OMNIBUS NON INVENI; id est, Christum unum ex omnibus hominibus ab omni peccati labe atque contagione prorsus liberum, futurum cognovi, eoque futurum, ut nos a peccato liberaret. Nam, quamvis Deus fecerit hominem rectum, tamen peccando ita se addixit peccato, et quaestionibus miscuit, ut tanto Liberatore indigeret. Et, quoniam ex his quaestio oriebatur, quomodo qui homo esset, ex eodem hominum genere, aliis hominibus salutis et justitiae causa esse posset; cujus rei solutio ex mysterii occultissimi ratione, unione, scilicet, Verbi Dei cum humana natura pendebat; idcirco rei hujus arcanum intuens, adjecit: QUIS TALIS SAPIENS EST? ET QUIS COGNOVIT SOLUTIONEM VERBI? Et, statim, capite sequenti, ejus rei et unionis mysterium insinuans, addidit: SAPIENTIA HOMINIS LUCET IN FACIE EJUS, id est, sapientia increata faciem hominis illustrabit, ipsa, scilicet, quam... (1) adjungens: ET POTENTISSIMUS FACIEM EJUS, id est, suam, nempe, Verbi (quod imago et facies Dei appellatur) COMMUTABIT, cum, indutum humanis membris, et carnem factum, hominem inter homines versari faciet. Et, quo magis, qua de sapientia loqueretur, explicaret, intulit: EGO OS

(1) Desunt aliqua in originali, quae ita supplentur a PP. Matritensibus: «quam (intimo amore et unione homini esse copulandam, declarat) adjungens...» Codex *A*: «Id est, sapientia increata hominis faciem illustrabit, id est, so illi adjungot intima unione, et, quod statim sequitur: ET POTENTISSIMUS FACIEM EJUS...» Quae, paululum immutata, etiam leguntur in codice Bibliothecae Nation.

REGIS OBSERVO, ET VERBA JURAMENTI DEI, id est, loquor de ore Regis, id est, ore Dei, hoc est, Christo, qui et verbum et sermo Dei dicitur, et ago de promissione hujus, quam jurejurando Deus firmavit *(Genes.*, XXVI et XXVIII), eique Verbo obtemperandum et audiendum censeo. Quod idcirco dicit, quia praevidebat Judaeos erga Christum fidem non esse habituros. Quare illos a tanto malo dehortari conatur, adjungens: NE FESTINES RECEDERE A FACIE EJUS, NEQUE PERMANEAS IN OPERE MALO: QUIA OMNE QUOD VOLUERIT, FACIET, id est, non effugies poenas, et te abjiciet, et ex aliis gentibus sibi alium populum quaeret. Nam SERMO ILLIUS, id est, Verbum ipsum, POTESTATE PLENUS EST, NEC POTEST DICERE EI QUISQUAM: QUARE SIC FACIS? id est, quare, te repudiato, gentes ad coelestia bona elegerit, et ex his fecerit filios Abrahae. Et ad eamdem sententiam atque vaticinium pertinet, quod sequitur:

5.—Qui custodit praeceptum, non patietur quidquam mali.

Id est, qui in ipsum credet ejusque mandata servabit, liber erit ab iis malis, quae caeteris Judaeis eventura sunt; nam, pereuntibus caeteris Judaeis in excidio Hierosolymitano, Christi fideles servati sunt, ut et praedictum erat fore ab Isaia (cap. IV): *In illa die erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis, et exultatio iis, qui salvati fuerunt de Israel*. Idque illis accidit, quia tempus visitationis suae agnoverunt; increduli, autem, peribunt, quia cognoscere noluerunt tempus visitationis suae, ut Christus lamentatur apud Matthaeum (cap. XXIV). Unde recte additur: TEMPUS ET RESPONSIONEM COR SAPIENTIS INTELLIGET.—Id, autem, est: qui sapientes ex populo Judaico erant, et tempus adventus ejus agnoscent, et vocanti illi per doctrinam et praedicationem suam ipsi per fidem et obedientiam respondebunt. Nam et statim sequitur:

6.—Omni negotio tempus est et opportunitas, et multa hominis afflictio.

In generali propositione particularem et propriam, ei de quo agit conformem, inclusit. Nam si omni negotio suum tempus et opportunitas est, quae semel elapsa difficile revocari potest, et huic etiam negotio credendi suum est tempus; quod qui neglexerint, vel certe quia id neglexerunt et praeterire passi sunt Judaei, multa fuit eorum afflictio, id est, in gravissimas inciderunt miserias; nam et D. Paulus in epistola *ad Hebraeos*, cap. III, ex hac opportunitate ad credendum ducto argumento, eos ad fidem vocat, eosque hortatur, eam ne praeterire, aut e manibus elabi sinant, dicens: *Quapropter, sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*; et infra: *Videte, fratres, ne sit in aliquo vestri cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo; sed adhortamini vos ipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur*, et (II *ad Corinth.*, VI): *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait, enim: Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Hunc, igitur, quia neglexerunt Judaei, ut dicit, in magnam afflictionem et miseriam inciderunt; quae illos semper sequitur, addita gravi animi cura et anxietate, dum secum ipsi statuere non possint, utrum jam venerit a se tantopere expectatus Messias, vel quandonam venturus sit. Unde addidit:

7.—Quia ignorat praeterita, et futura nullo potest scire nuntio.

Quamquam hic versus et superior intelligi possunt etiam in genere, de omnibus hominum operibus, quod singula habeant suum tempus, in quo et fieri debeant, et ad judicium vocanda sint. Unde et in hebraeo sic, ad verbum, dicitur: QUONIAM OMNI VOLUNTATI ET BENEPLACITO, EST TEMPUS ET JUDICIUM. QUONIAM MALUM MULTUM HOMINI SUPER EUM, QUIA IPSE NON SCIT QUID ERIT, NEQUE QUOMODO ERIT QUISQUAM, ILLI NOTUM FUERIT. Id est, ex eo, quod opera hominis vocanda sint in judicium, sequitur, ut magna ipse anxietate et molestia crucietur, quia ignorat quomodo illi in eo judicio futurum sit, aut quando id omnino futurum. Unde sequitur:

8.—Non est in hominis potestate prohibere spiritum, neque habet potestatem in die mortis, neque permittitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium.

Hoc est, non est in hominis potestate vivere quandiu velit, aut quando velit; ex quo efficitur, ut homo in perpetua anxietate sit, ob ignorationem hujus rei. Quae eo spectant, ut magis nos moveat ad obedientiam legis Dei, de qua agebat. NON EST IN HOMINIS POTESTATE PROHIBERE SPIRITUM SUUM, id est, continere in sese, quandiu velit, animam suam. Nam animam hoc loco spiritum vocat; quod declarat id, quod sequitur; NEQUE HABET POTESTATEM IN DIE MORTIS, eum ut diem in aliud tempus differre possit. NEQUE PERMITTITUR QUIESCERE, INGRUENTE BELLO, nam invadente morte, certamen detrectare non possumus; velimus, nolimus, in campum progrediendum nobis est. ET NON SALVABIT IMPIETAS IMPIUM; SALVABIT, scilicet, ab hoc certamine et conflictu, ita ut mortem effugiat. Posuit, autem, IMPIUM pro potente et felici; nam impii in Sacris Litteris tales inducuntur opibus et potestate circumfluentes, et quibus omnia feliciter eveniunt, ut in psalmo CXLIII. Dicit, ergo, iis, qui hujusmodi sunt, licet omnia ex voto succedant; tamen, hoc numquam eventurum, ut effugere aut superare malum mortis possint. Et sequitur:

9. — Omnia haec consideravi, et dedi cor meum in cunctis operibus quae fiunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum.

Demonstrat ac redigit in unam summam, brevique sententia comprehendit superiora omnia, ut transitum ad alia, quae ei restant dicenda, faciat. Quod, autem, dicit: INTERDUM, id pro *interea* accipi deberi videtur, ut sit sensus: Consideravi omnia, quae fiunt sub sole, dum homines alii in alios dominantur, id est, dum haec vita mutationi et corruptioni obnoxia traducitur. Vel, certe, omnia quae fiunt sub sole, dum homines alii in alios dominantur, id est, quae fiunt sub sole, pertinentia ad humanam et civilem vitam et ad statum, cum publicum tum privatum, cujusque hominis, illa consideravi. Nam INTERDUM hoc loco sic accipi deberi, hebraea demonstrant; quae, ad verbum, sic: ET DEDI COR MEUM AD OMNIA, QUAE FIUNT SUB SOLE, TEMPORE QUO DOMINATUR HOMO HOMINI IN MALUM EJUS. Unde et Septuaginta verterunt: IN OMNE OPUS QUOD FACTUM EST SUB SOLE, IN QUIBUSCUMQUE POTESTATEM HABUIT HOMO IN HOMINEM AD MALEFACIENDUM EI. Et Chaldaicus Paraphrastes similiter: AD COGNOSCENDUM OMNE OPUS, QUOD FIT IN MUNDO SUB SOLE IN TEMPORE, QUO HOMO IMPERAT HOMINI, AD MALEFACIENDUM EI. Quod, autem, dicit IN MALUM EJUS, id varie potest accipi. Primo, ut IN sit positum pro *propter*, quomodo particula hebraea, quae illi respondet, accipi potest. Et sic erit sensus: Peccato hominum factum esse, ut in hac vita alii in alios dominentur; nam si innocentiae status perseverasset integer, omnes essent liberi, vel certe nisi homines essent mali et peccatores, magistratibus et eorum dominatione puniente non egerent. Secundo, id EJUS dupliciter potest accipi, et ut referat eum qui dominatur, vel eum qui subest. Nam utrumque vere dici potest: homines dominari in alios, in malum

eorum ipsorum, qui dominantur. Id, enim, munus praesidendi aliis conjunctum est cum maximo labore. Imperia, namque, neque parari, neque conservari possunt, sine difficultate maxima. Et, similiter, dominantur in malum eorum, quibus praesunt. Nam, quamvis salutis hominum causa imperia constituta sint; tamen, imperantium vitia, dum suam rem privatam quaerunt, et omnia ad se ipsos referunt, perniciosa privatim sunt. Nam Sacrae Litterae in explicandis hominum operibus aut officiis, saepe ponunt, non quidem ea, quae homines facere debent, sed ea, quae ab illis fiunt; ut apparet in illo (1 *Reg.*, cap. VIII), ubi Samuel populo Judaico, Regem petenti, ex mandato Dei exposuit, quod esset jus Regni. Ea, enim, posuit, non quae Reges facere debent, sed quae a Regibus tyrannis et omnia ad suas utilitates convertentibus, cum malo et pernicie hominum sibi subditorum, saepe fiunt. Sic Salomon, cum dicit: HOMO HOMINI DOMINATUR IN MALUM EJUS, non id dicit, cujus causa dominatus est constitutus, sed quod a prave dominantibus fieri solet. Sequitur:

10. — Vidi impios sepultos: qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum. Sed et hoc vanitas.

Expositis multis rebus, quae sunt vanitate et deceptione plenae apud homines, ad alia quaedam a se considerata, etiam vanitate et errore plenissima, commemoranda procedit. Ac, in primis, proponit nobis id, quod saepe accidere solet, hypocritam, id est, simulatae virtutis hominem, opinione hominum et in morte et in vita felicem. Quod et ipsum vanum est, et arguit vanitatis hominum vitam atque judicia. Nam, profecto, vanissima est ea vivendi ratio, in qua per mendacium et simulationem ad magnos honores et ad excellentis virtutis existimationem pervenire quis potest. Et, certe, hominum judicia vana sunt et erroris

plena, quando decipi ita facile possunt, ut impios et sceleratos homines pro sanctis atque justis habeant. ET VIDI (inquit) IMPIOS SEPULTOS, id est, etiam post mortem in honore et pretio ab hominibus habitos. Nam insepultum jacere in sacris Literis, atque etiam omnium gentium opinione, in infelicitatis et miseriae parte ponitur. Ex quo, est illud Jeremiae (XXII) contra regem sceleratum: *Sepultura asini sepelietur*, id est, inhumatus jacebit. Et Poeta: *inhumata infletaque turba* de iis dixit, quorum miseram conditionem atque sortem significari voluit. Contra maximus honos, qui a vivis potest mortuis exhiberi, monumentis atque sepulchris continetur, ut significant illa Christi, quibus apud Matthaeum, cap. XXIII, et apud Lucam, cap. XI, reprehendit Pharisaeos, quod prophetas occidissent, et postea, quod id honoris illis extinctis deferrent, eorum monumenta et sepulchra aedificarent. Et Esaiae (XI) de Christo dicitur: *Erit sepulchrum ejus in gloria*. QUI, ETIAM CUM ADHUC VIVERENT, ERANT IN LOCO SANCTO; id est, qui viventes simulatione, scilicet, et mendaciis id assequuti sunt, ut pro sanctis haberentur, vel certe ut illis demandarentur sacerdotia et functiones sacrae, quae nisi optimis quibusque mandari non debent. Mandabantur, autem, quia laudabantur in civitate, QUASI JUSTORUM OPERUM, id est, quia, decepti homines simulata ipsorum virtute, eos excellenti virtute praeditos esse judicabant et praedicabant. Itaque, illis omnia ex voto et animi sententia apud homines, et in vita et in morte, eveniebant.

Sed videatur alicui hebraea hoc loco a latinis multum discrepare; nam hebraice, ad verbum, sic legitur: ET TUNC VIDI IMPIOS SEPULTOS, ET VENERUNT, ET A LOCO SANCTO AMBULABUNT, ET OBLIVIONI TRADENTUR IN CIVITATE, QUOD SIC FECERUNT. Et, certe, textus iste hebraicus ad plures sensus ambiguus est, et sic varie exponitur. Sed doceamus primum, quemadmodum ex eo vere et recte possit elici is sensus, quem expressit latine vulgatus interpres; deinde

alios etiam, qui continentur, sensus eruamus et explicemus. Ac primum, quod hebraice dicitur: VIDI IMPIOS SEPULTOS idem est cum eo, quod dicitur in latino; sed addit: ET VENERUNT, id est, et ipsi venerunt, scilicet, in hanc vitam, id est, quando venerunt in hanc vitam, vel ut noster vertit, CUM ADHUC VIVERENT; A LOCO SANCTO AMBULAVERUNT, id est, ut noster vertit, versati sunt IN LOCO SANCTO; ET OBLIVIONI TRADENTUR IN CIVITATE, noster autem: LAUDABANTUR IN CIVITATE. Quae varietas orta est ex similitudine, quae est inter *he* et *chet*, hebraica elementa. Nam verbum *Sacaz* cum *chet*, significat oblivisci; cum *he*, autem, significat pingere et imaginem exprimere, quod ad laudem et cultum eorum, qui exprimuntur, pertinet. Et nunc, quidem, in hebraeo legitur cum *chet*, et eodem videtur legisse modo chaldaica Paraphrasis, quae sic vertit: ET OBLIVIONI TRADITI SUNT INTER HABITATORES URBIS. Sed noster interpres legit cum *he*, quemodo etiam legerunt Septuaginta interpretes, qui et verterunt: ET LAUDATI SUNT; quae, ut antiquior, ita habenda est verior lectio et incorruptior. Itaque, hebraica verti debent, ut a nostro conversa sunt: *Et laude celebrabuntur, et statuis et picturis decorabuntur in civitate, eo quod sic fecerint*, id est, quasi sic fecerint, qualiter de eis homines opinati sunt, juste et sancte, et, ut noster recte vertit, QUASI JUSTORUM OPERUM. Constat, ergo, quod primo loco polliciti sumus explanare: quod ad sensum attinet, rectissime nostra latina cum hebraeis convenire.

Sed nonne ex eis alii etiam sensus elici possunt? Possunt, quidem; eosque nunc eliciamus, et explicemus. ET VIDI IMPIOS SEPULTOS, id est, ut dixi, feliciter usque ad mortem et in morte progressos. ET VENERUNT; hoc potest intelligi, non solum eo modo, quo intellexit et expressit noster interpres, ita ut pertineat ad tempus ante mortem, quo in mundo versati sunt, sed etiam ut significet tempus post mortem, hoc sensu: Et impii qui ad mortem usque feliciter

vixerunt, honorificeque sepulti sunt, VENERUNT, post mortem, scilicet, fama et opinione, id est, non cum ipsis sepulta est et extincta eorum memoria, sed post mortem in opinione hominum cum gloria vixerunt; ET A LOCO SANCTO AMBULAVERUNT, id est, in loco sancto repositi sunt, id est, sanctis annumerati et catalogo sanctorum adscripti, vulgi scilicet judicio, et picti sunt in civitate; QUOD SIC FECERUNT, id est, imaginibus et statuis decorati virtutis ac meritorum ergo. Vel aliter: ET VENERUNT, scilicet, in filiis suis, hoc est, revixerunt in filiis suis, qui pari felicitate, gradum honoris paternum in loco sancto tenuerunt, et tum ipsi, tum parentes eorum, a suis civibus, laudibus et honoribus, propter virtutem, decorati sunt. Quidam alii hoc posterius hemistichium: A LOCO SANCTO AMBULAVERUNT, ET OBLIVIONI TRADITI SUNT, QUIA SIC FECERUNT, non de impiis, sed de justis intelligunt, qui saepe ab hominibus contemnantur; et dicunt, Salomonem utrosque componere et inter se conferre, quo sic magis hujus rei indignitas declaretur. Quasi ita dicat: VIDI IMPIOS honoratos et SEPULTOS, et post mortem gloria viventes apud homines; contra, autem, A LOCO SANCTO AMBULAVERUNT, id est, qui a loco sancto, in quo semper versati sunt, cum pietate et virtute ambulaverunt, id est, excesserunt e vita, TRADITOS OBLIVIONI a suis civibus. Id est: VIDI IMPIOS, postquam sepulti sunt, venisse ad famam et gloriam hominum; sanctos, vero, a loco sancto et operibus sanctis, in quibus versati sunt, non venisse ad famam, sed potius ambulasse et abiisse ad ignominiam et contemptum. Quod, autem, superius dixi, ex similitudine quorumdam elementorum, *he* et *chet*, ortam esse varietatem illam, potest etiam dici eam ortam fuisse ex similitudine *chaph* et *bheth*. Nam verbum illud hebraicum, si per *chaph* scribatur, significat oblivisci; si per *bheth*, laudare significat. Sequitur:

II. — Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

Amplificat id malum, quod statim superius exposuerat, docens quanta alia mala ex eo malo sequantur. Nam inquit: Si impii statim poena plecterentur, et dignam vita sua fortunam haberent, neque virtutis simulatione deceptos homines tenerent, et nemo esset, qui non abstineret a flagellis. Nunc, autem, QUIA NON PROFERTUR CITO CONTRA *illos* SENTENTIA, id est, non statim peccatum poena sequitur, sed saepius in honore et gloria sunt, praemia debita virtuti, honores, dignitates, apud homines ipsi reportant; hinc fit, ut ad scelera perpetranda efficiantur promptiores et audaciores, quod est gravissimum malum. Nam, timore poenae sublato tanquam freno, necesse est, ut praecipites ruant in omne dedecus. Sed adverti debet hoc loco hebraica proprietas, quam recte noster expresserit. Nam pro eo, quod noster recte vertit: ABSQUE TIMORE PERPETRANT MALUM, in hebraeo est ad verbum: IDEO PLENUM EST COR FILIORUM HOMINUM AD FACIENDUM MALUM. Nam, quamdiu in corde alicujus versatur mali faciendi cupiditas cum timore poenae commixta, id est, quando fluctuat inter cupiditatem et metum, tamdiu id cor non est PLENUM AD FACIENDUM MALUM. Est, autem, plenum, cum omni timore et pudore a se abiegato, sola cupiditas dominatur. Porro, non negat Salomon, defuturos qui peccarent, si peccatores statim poena plecterentur; sed negat defuturos, qui pleno corde, id est, sine timore, raptis omnis timoris vinculis, cupiditatibus suis habenis laxatis, peccarent. Est, autem, id malum gravissimum: nam sicut summa perfectionis est, Deum ex toto corde diligere; ita summa vitiorum, pleno corde mala perpetrare. Nam dum animus variat inter cupiditatem et metum, aliquis boni sensus in ipso est: ubi autem nihil timet, sed cupide cuncta agit, corruptus est totus. Sequitur:

12.—Attamen, peccator ex eo, quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi, quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus.

Repetit idem aliis verbis, et praeterea addit quiddam, quod peccandi licentiam frenat. Dixerat: quia non statim punitur peccator, ideo sine timore effrenate peccat. Dicit nunc: idem peccator, ex eo, quod centies peccat et per patientiam sustentatur, id est, non statim punitur, supplendum est: fit audax ad peccandum. At, inquit, quamvis hoc ita sit, quod peccatores ex longanimitate Dei, qui non statim de illis poenas sumit, sed eos ad poenitentiam expectat, sumunt sibi inde occasionem magis in peccato perseverandi; tamen, ego scio, quod tandem timentibus Deum bene erit. Cum, autem, dicit: TIMENTIBUS DEUM bene tandem futurum in ultimo, per locum a contrario affirmat, perseverantibus in peccato male tandem futurum. Potest, etiam, totus iste versus per adversativam legi et exponi, ita ut ejus sententia superioris sententiam elidat et corrigat, isto modo: Sed ATTAMEN, id est, sed quamvis PECCATOR EX EO, QUOD CENTIES FACIAT MALUM, nullam poenam subeat, sed PER PATIENTIAM SUSTENTETUR, tamen non ob id timore vacare debet; nam ego scio, QUOD TIMENTIBUS DEUM BONUM ERIT, et malum malis. Quale est illud, quod dicit Paulus *(ad Roman.*, II): *An divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis ejus contemnis, ignorans quod benignitas Dei te ad poenitentiam adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei.* Ego scio, QUOD BONUM ERIT TIMENTIBUS DEUM ET QUI VERENTUR FACIEM EJUS. Facies hic pro praesentia Dei, cuncta videntis, ponitur. Justi, autem, dicuntur vereri Dei praesentiam, quia semper, dum cogitant se coram Deo versari, illius praesentiam venerantes, non audent quidquam turpe facere,

quod illius oculos offendat. Nam haec res, diligenter considerata, vehementer retrahit a peccato, ut docet Cicero (lib. II *de legibus*). Quae eadem res, a peccatoribus non considerata, ut liberius peccent, et neglecta, ut gravius peccent efficit. Unde sequitur:

13.—Non sit bonum impio, neque prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transient, qui non timent faciem Domini.

Id est, quemadmodum scio, bonis bene tandem futurum, ita exploratum habeo, male futurum malis, quamvis interim videantur feliciter agere et ob ea, quae peccaverunt, nulla poena plecti. Quod, autem, dicit: ET NON PROLONGENTUR DIES EJUS, ideo dicit, non quod impii atque peccatores cito extinguantur, aut ad senectutem non perveniant, nam saepe diutissime vivunt; sed quod tota eorum vita, quamvis longa et diuturna, perbrevis sit, imo pro nihilo habenda sit. Primo, quia quod ab homine non vivitur secundum rationem, pro vita hominis habendum non est. Nam qui rationis ductum non sequitur, sed cupiditate ferri se sinit, non vivit ut homo, sed ut brutum, quorum est cupiditatibus servire atque duci. Ex quo *Genesis* cap. XXV Abraham mortuus dicitur plenus dierum, cum tamen aliorum diuturnior vita fuerit; sed quia omne tempus vitae in virtute et officio consumpsit, idcirco permultum vixisse et plenum dierum obiisse dictum est. Et *Sapientiae* IV de homine justo dicitur, quod *consummatus in brevi, explevit tempora multa*; contra, autem, impii in eodem libro (cap. V) de se ipsi dicunt: *Et nati, continuo desivimus esse.* Secundo, vita et dies peccatorum dicuntur pauci et non prolongari, pro voto et spe et cogitatione sua, quia semper sibi fingunt longissimam vitam, et spes ingentes concipiunt. Unde, ob istam causam (in psal. LIV) de eis dicitur: *Impii non dimidiabunt dies suos*, id est, quos sibi fingunt atque vane pol-

licentur. Contra, justi et prudentes mortem et finem semper cogitant, seque morituros, illudque Lyrici:

Immortalia ne speres, monet annus, et (almum)
quae rapit hora diem.

Tertio, dies justorum prolongari dicuntur, impiorum cito finiri, quia institutum vitae justorum et genus illud vivendi in cultu et amore Dei, vita ista temporali finita, non cessat aut extinguitur, sed est ejusmodi, ut excoli illud possit ab anima, et cum a corpore separatur, et cum ipsum corpus resumet in resurrectione. Nam, ut Paulus scribit *ad Corinth.*: *Charitas nunquam excidit*, semper erit locus, semperque tempus aptum vacandi contemplationi et amori Dei. Qua in re studium atque vita justorum ponitur atque consummatur. Ex quo fit, ut eorum vita prolongetur; id est, dum finiri creditur, propagetur magis, et tandem nunquam finiatur. At, vero, institutum vitae impiorum et ipsorum genus vivendi, quod sensibus et cupiditatibus obsequantur, morte ita extinguitur, ut nunquam postea, neque ante resurrectionem, neque postea, eo genere vitae usuri unquam sint. Et, cum ex electione sua et habitu, inveterato in ipsis et indito longa consuetudine, et animi obstinatione et impoenitentia, in qua vitam finierunt, non sint apti ad aliud genus vitae, vivunt postquam decesserunt a corpore et a sensibus, in quibus omne suum bonum collocaverant, vitam omni morte pejorem; imo, non tam vivere dicendi sunt, quam vivendo mori. Unde et Chaldaica Paraphrasis hoc loco: BENE NON ERIT IMPROBO, NEQUE ERIT EI LONGITUDO IN SAECULO VENTURO. Ex quo fit, ut vere impiorum dies atque vita sit brevissima, quia tam diu durat, quamdiu haec vita temporalis perseverat, quae summa velocitate transit atque volat, nunquam postea reversura. Unde et jure umbrae comparatur, itaque dicitur: SED QUASI UMBRA TRANSIET, quae inconstans est; nullo,

enim, momento sui similis perseverat, et tam velociter transit, quam velociter movetur coelum, cujus motus est velocissimus. Nec solum, propter fugacitatem, comparatur umbrae peccatorum vita; sed etiam, propter inutilitatem: nihil, enim, umbra iufructuosius. At in eo, quod additur: QUI NON TIMENT FACIEM DEI, adverti debet id, quod versu proxime praecedenti notavimus, faciem hic pro praesentia Dei cuncta videntis poni. Sequitur:

14.—Est et alia vanitas, quae fit super terram. Sunt justi, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum: et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. Sed et hoc vanissimum judico.

Ad superius expositam vanitatem et malum, quod in vita hominum contemplatus est, addit aliam vanitatem et malum majus. Etenim vanitatis et miseriae arguit hanc vitam, quod saepe eveniat, ut in ea qui impii sunt, pro bonis habiti, in loco sancto versentur; et in pretio et honore, et viventes et mortui, ab hominibus habeantur. At multo magis id ex eo arguatur, quod item saepe contingit, ut non solum impii pro bonis, sed etiam sanctissimi pro impiis et scelcratis habiti ab hominibus sint; et pro eo quales habiti sunt, ita praemio illi, isti poena et supplicio sint affecti. Id, ergo, nunc dicit, et exponit: SUNT JUSTI, QUIBUS MALA PROVENIUNT, QUASI OPERA EGERINT IMPIORUM.—Hebraice, ad verbum: SUNT JUSTI, AD QUOS ACCEDIT QUASI OPUS IMPIORUM. Opus impiorum vocat supplicium, quod operibus impiorum debitur. Nam, quamvis a Deo ejusmodi supplicia inferantur, tamen opus eorum, qui peccaverunt, dicuntur, quia non est divinae voluntatis; id est, ex se non vult Deus malum aliquod inferre nobis, sed a nobis provocatus, et quodammodo coactus, illa facit, juxta illud *(Sapien.*, 1): *Deus mortem non fecit, neque delectatur in perditione viventium.* Et Paulus *(ad Roman.*, c. V)

Per unum hominem intravit peccatum in mundum, et per peccatum mors. Ergo accidit justis QUASI OPUS IMPIORUM, et impiis quasi opus justorum; quia non solum pro malis habentur boni in hac vita, sed saepe, quasi mali essent, ita poenis et suppliciis subjiciuntur. Itaque, nostra editio hebraicum textum paraphrasi interpretata est. At quaerat aliquis, cur hoc ita fiat, idque Deus fieri permittat? Chaldaica Paraphrasis, ejus rei causam explicans, dicit: ET VIDI IN SPIRITU SANCTO, QUIA MALUM, QUOD ACCIDIT JUSTIS in saeculo hoc, est ad removendum ex eis culpam levem, ut sit merces eorum integra in saeculo futuro: et bonum quod obtingit peccatoribus, est ad retribuendum eis mercedem meriti levis, quod fecerunt. Nam, ut nemo est tam justus, quin levia aliqua peccata habeat; ita, neque tam malus quisquam, cui non interdum insit aliquid boni operis. Ergo, ut neque illi culpae levis poena, neque isti bonorum operum levium praemio carent, saepe Deus in hac vita bonis mala, malis bona confert. Quod et in illa parabola divitis epulonis (*Lucae*, XVI) satis aperte videtur, quemadmodum ibi adnotat Theophylactus, cum epuloni dicitur: *Fili, recepisti bona in vita tua; Lazarus, autem, similiter mala; recepisti bona*, id est, recepisti praemium in vita tua pro bonis, quae fecisti, Lazarus recepit mala, id est, poenas in illa vita pependit pro malis, quae operatus est. Nunc, contra, et illi redditur requies pro bonis, quae fecit; et tibi cruciatus pro sceleribus, quae admisisti. Sed si hoc ita est, quare id vanum et vanissimam vanitatem appellavit Salomon; quod, tam justo Dei judicio, et tanta cum ratione fit? Respondetur, aliud esse, quod de hujusmodi rebus judicat ratio illustrata divino lumine; aliud, quod humana ratio judicat. Istae res humanae rationi, quae ea, quae apparent, intuetur, videntur vanissimae et absurdissimae; at mens divino lumine illustrata, quae causas reconditiores contemplatur, videt cuncta rectissime fieri. Salomon, autem, hic exponit judicium hominum, et quod ipsi, secundum humanam rationem judicanti, fuerit visum. Nam, etiam sanctissimis hominibus, haec ipsa, primo aspectu, videntur perabsurda, ut apparet ex illo Davidis (Ps. LXXII): *Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Ex quo eodem sensu et humanae rationis judicio dici intelligenda sunt, quae sequuntur:

15. — Laudavi igitur laetitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, et biberet, atque gauderet: et hoc solum secum auferret de labore suo, omnibus diebus vitae suae, quos dedit illi Deus sub sole.

Nam quemadmodum David, secundum humanum sensum loquens, dicit se permotum et pene de gradu fidei et constantiae dejectum, cum contemplatur peccatorum pacem, id est, quam omnia feliciter peccatoribus eveniant; ita Salomon, hic juxta humanae rationis sensa loquens, quod viderit bonis male, malis bene pleraque evenire, rei indignitate commotum, dicit se fere inductum in eam sententiam, aut plane juxta rationem, quae e sensibus ducitur, judicasse vana esse omnia hominum studia, nihilque praestabilius esse, quam comedere et bibere et laetari. Sed quoniam mens ipsa, altius erudita, refragabatur isti sententiae atque judicio, a sensibus ducto, ex ista rationis atque judiciorum in ipso contentione atque lite, orta est et exarsit in ipso cupiditas et desiderium pervestigandi et cognoscendi penitus veram causam, quare Deus ista fieri permitteret, et quomodo haec, ut apparet, tam absurda et injusta, cum Dei providentia, quae ordinatissime omnia disponit, convenirent. Unde ait:

UNIVERSIDAD DE SALAMANCA
DIGITAL DE BIBLIOTECAS

16.—Et apposui cor meum, ut scirem sapientiam et intelligerem distensionem, quae versatur in terra.

ET APPOSUI. Hebraice: QUAMOBREM DEDI COR MEUM. Id est, quia me commovit rerum, quas dixi, indignitas et pene in eam sententiam induxit, ut vitam voluptatum asotorum cunctis praeferrem, meusque animus ob id variis cogitationibus agitaretur; idcirco DEDI COR MEUM, id est, exarsi desiderio penitus cognoscendi SAPIENTIAM, id est, altissimam et interiorem harum rerum causam, UT INTELLIGEREM DISSENSIONEM, QUAE VERSATUR IN TERRA. Dissensionem vocat istam rerum inaequalitatem et, ut apparet, injustitiam; consonant, enim, bona bonis, mala malis; ex quo dissensio est et dissonantia, cum bonis mala, malis bona contingunt. Itaque, adhibuit curam, ut intelligeret dissensionem istam; nam sic habet textus Vulgatae in Bibliis Complutensi et Regia et nonnullis aliis. Caeterum, auctor Glossae interlinearis et Lyranus legit, ut ex ipsorum interpretatione apparet, non DISSENSIONEM, sed distinctionem: nam Glossa addit: *distinctionem, scilicet, boni et mali*; et Lyranus similiter: *distinctionem, quae scilicet, versatur circa tribulationem justorum et prosperitatem malorum*. Et, certe, in duobus exemplaribus manuscriptis perantiquis, quae apud me sunt, distinctio est non dissensio. Porro, alia duo exemplaria manuscripta perantiqua, alterum quod Neapoli ante centum annos est impressum, neutro modo legunt, sed distentionem; quam lectionem Biblia Lovanii excusa, ut veriorem, sequuta sunt. Et, certe, videtur haec vera, germana et ab interprete posita. Nam verbum hebraeum, cui respondet עִנְיָן proprie afflictionem aut occupationem et sollicitudinem significat. Unde et Septuaginta περίσπασμὸν verterunt, id est, occupationem; distentio autem occupatio est. Unde distineri negotiis, et animus distentus dicitur is, qui varia et ancipiti cura distrahitur. Ergo dicit Salomon, se desiderasse exacte cognoscere causam rerum, quae homini accidunt. Et ne quis putaret, leviter id desiderasse, aut non multum studii posuisse in ea inquisitione, dicit dies ac noctes in eo consumpsisse. Itaque, ait: EST HOMO, QUI DIEBUS ET NOCTIBUS SOMNUM NON CAPIT OCULIS.—Loquitur de se, quasi de alio; quasi diceret: Usque adeo in eam curam incubui, cognoscendi ista desiderio incensus, ut homo, id est, ut ego ipse, diu atque noctu in eo totus fuerim. Unde et in hebraeo non legitur: EST HOMO, sed ita, ad verbum: QUONIAM ETIAM IN DIE ET IN NOCTE SOMNUM IN OCULIS SUIS NON IPSE VIDENS, ipse inquam animus meus; eaque particula etiam deest in versione Septuaginta. Quid, autem, assequutus fuerit isto suo studio et cognoscendi cupiditate, significant quae sequuntur:

17.—Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quae fiunt sub sole: et quanto plus laboraverit ad quaerendum, tanto minus inveniet.

Huic simile est illud Socratis: «Hoc unum scio, me nihil scire.» Nam rationes, quas Deus sequitur in providendo rebus humanis, et causas veras eorum, quae erga homines ipse vel facit, vel ab aliis fieri permittit, ratio humana pervestigare nullo modo potest, aut homo, ratione naturali duce, eas nunquam assequetur. Imo, quo magis quis, suo ingenio fretus, ista inquirit, eo minus assequitur, usque eo, ut saepe tenebris..... (1), in turpissimos errores incidat. Ex quo probatur, quam necessaria hominum vitae fuerit doctrina revelata. Nam Salomon, cum negat ista cognosci ab homine posse, negat posse cognosci viribus propriis in-

(1) Deest verbum unum in codice; quod ita supplent PP. Matritenses: «tenebris (obvolutus)». Codex Biblioth. Nationalis: *ut saepe tenebris obcaecatus*, ut et codex *A*.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIGITAL DE BIBLIOTECAS

genii, et ratione sola duce; non negat, autem, illustratione divina posse revelari. Quod, autem, additur: ETIAM SI DIXERIT SAPIENS SE NOSSE, NON POTERIT REPERIRE, hunc sensum habet: Etiam qui sapientes habeantur, quique plurimum studii in rerum naturae pervestigatione posuerunt, id nunquam assequentur. Quod si quis eorum, quamvis sapiens sit, id se tenere et aliis posse tradere profiteatur, ei fides habenda non est. Idque confirmat sui ipsius auctoritate, dicens:

13.—Quoniam omnia haec tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem (1).

Id est, quoniam ego ipse, qui et ingenio, et studio, et cognitione rerum maximarum, atque omnium disciplinarum scientia excello, re bene explorata et penitus pertractata, ita decerno et statuo. Maximam, enim, ipse, ut id cognoscerem, diligentiam adhibui, qui nulli secundus sum, neque ingenio, neque scientia; et tamen id unum assequutus sum, a nemine mortalium id exacte et vere posse cognosci. D. Hieronymus ab hoc versu initium facit capitis sequentis, et hebraici codices plurimi ita habent. Quod si initium est, ita exponi potest: Dicere Salomonem, praeter ea, de quibus egerat supra, etiam haec quae sequuntur pertractasse ipsum diligenter, ut eorum causas et rationes intelligeret. Sequitur, autem:

(1) In Vulgatae editionibus hic versus ad primum sequentis capitis adjungi solet.

CAPUT IX

1.—Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Domini: et tamen, nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.

Potest videri his verbis amplius confirmare voluisse id, quod superius adstruxerat: OPERA DEI erga homines, hoc est, rationes providentiae ejus adversus genus humanum a nemine, quamvis sapiente, quamvisque curioso et ingenioso, posse cognosci. Nam, inquit, adeo abstrusa est ista operum et consiliorum Dei (ratio), ut non solum ignoremus quomodo se gerat Deus erga alios, quo animo sit affectus erga alios, et quid consilii capiat quidve sequatur in aliorum rebus moderandis et gubernandis, non solum ignotum nobis sit, sed etiam unusquisque nostrum, quamvis sapiens et justus, qui erga ipsummet ejus affectus sit, ignoremus. OMNIA HAEC, inquit, TRACTAVI IN CORDE MEO, UT CURIOSE INTELLIGEREM vel UT DECLARAREM OMNIA, ut dicitur in hebraeo, id est, etiam ista, quae subjiciam, perspicue intelligere volui; ex quibus, tamen, id ipsum, quod affirmare coepi de obscuritate consiliorum et operum Dei, declaratur magis. Nam SUNT JUSTI ET SAPIENTES, qui tamen ipsi, utrum amore aut odio digni sint, nesciunt. SUNT JUSTI ATQUE SAPIENTES.—Utrumque conjunxit, quo magis ostenderet, quam hujus rei esset difficilis cognitio. Nam sapienti et eidem justo nihil videtur deesse, quod ad cognoscendum id, utrum amore an odio sit dignus, conducat. Nam quod justus est, amore dignus est; quod sapiens, praestat acumine, ut quod verum est, in quocumque, ad quod aciem ipse mentis intenderit, facile possit aspicere. ET OPERA EORUM IN MANU DEI.—Jam hoc varie exponi potest. Primo,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

genii, et ratione sola duce; non negat, autem, illustratione divina posse revelari. Quod, autem, additur: ETIAM SI DIXERIT SAPIENS SE NOSSE, NON POTERIT REPERIRE, hunc sensum habet: Etiam qui sapientes habeantur, quique plurimum studii in rerum naturae pervestigatione posuerunt, id nunquam assequentur. Quod si quis eorum, quamvis sapiens sit, id se tenere et aliis posse tradere profiteatur, ei fides habenda non est. Idque confirmat sui ipsius auctoritate, dicens:

13.—Quoniam omnia haec tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem (1).

Id est, quoniam ego ipse, qui et ingenio, et studio, et cognitione rerum maximarum, atque omnium disciplinarum scientia excello, re bene explorata et penitus pertractata, ita decerno et statuo. Maximam, enim, ipse, ut id cognoscerem, diligentiam adhibui, qui nulli secundus sum, neque ingenio, neque scientia; et tamen id unum assequutus sum, a nemine mortalium id exacte et vere posse cognosci. D. Hieronymus ab hoc versu initium facit capitis sequentis, et hebraici codices plurimi ita habent. Quod si initium est, ita exponi potest: Dicere Salomonem, praeter ea, de quibus egerat supra, etiam haec quae sequuntur pertractasse ipsum diligenter, ut eorum causas et rationes intelligeret. Sequitur, autem:

(1) In Vulgatae editionibus hic versus ad primum sequentis capitis adjungi solet.

CAPUT IX

1.—Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Domini: et tamen, nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.

Potest videri his verbis amplius confirmare voluisse id, quod superius adstruxerat: OPERA DEI erga homines, hoc est, rationes providentiae ejus adversus genus humanum a nemine, quamvis sapiente, quamvisque curioso et ingenioso, posse cognosci. Nam, inquit, adeo abstrusa est ista operum et consiliorum Dei (ratio), ut non solum ignoremus quomodo se gerat Deus erga alios, quo animo sit affectus erga alios, et quid consilii capiat quidve sequatur in aliorum rebus moderandis et gubernandis, non solum ignotum nobis sit, sed etiam unusquisque nostrum, quamvis sapiens et justus, qui erga ipsummet ejus affectus sit, ignoremus. OMNIA HAEC, inquit, TRACTAVI IN CORDE MEO, UT CURIOSE INTELLIGEREM vel UT DECLARAREM OMNIA, ut dicitur in hebraeo, id est, etiam ista, quae subjiciam, perspicue intelligere volui; ex quibus, tamen, id ipsum, quod affirmare coepi de obscuritate consiliorum et operum Dei, declaratur magis. Nam SUNT JUSTI ET SAPIENTES, qui tamen ipsi, utrum amore aut odio digni sint, nesciunt. SUNT JUSTI ATQUE SAPIENTES.—Utrumque conjunxit, quo magis ostenderet, quam hujus rei esset difficilis cognitio. Nam sapienti et eidem justo nihil videtur deesse, quod ad cognoscendum id, utrum amore an odio sit dignus, conducat. Nam quod justus est, amore dignus est; quod sapiens, praestat acumine, ut quod verum est, in quocumque, ad quod aciem ipse mentis intenderit, facile possit aspicere. ET OPERA EORUM IN MANU DEI.—Jam hoc varie exponi potest. Primo,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ut significet opera eorum esse juxta Deum aut proxima Deo, hoc est, illi accepta atque grata. Nam *manus* pro *proxime* et *juxta* in his Litteris ponitur, ut in illo (Job., c. I): *Boves arabant, et asinae pascebantur juxta eos;* ubi in hebraeo pro *juxta*, est *ad manum earum*. Secundo, ut significet in arbitrio et potestate Dei; quo declaratur quaedam eventus incertitudo, comparatione nostri. Nam quod in alterius potestate est, ejus rei eventum praestare ipsi non possumus. Quasi ita dicat: Et si quis justus ac sapiens sit, tamen spondere de se aliquid certi in futurum non potest, quoniam opera sua, operumque suorum fructus omnis in alterius potestate atque manu positus est.

Idque explanans magis atque confirmans, adjecit: NESCIT HOMO, UTRUM AMORE AN ODIO DIGNUS SIT. Quae verba nonnulli exponunt de amore an odio, quo unus homo alium prosequitur. Quasi dicat Salomon, non solum illa arcana providentiae Dei ignota esse homini, sed etiam in suismet rebus adeo ignorantem esse, ut etiam SAPIENS ET JUSTUS, non solum nesciat, quis ipse vitae exitus futurus sit, sed etiam ignoret, utrum homines ipsum amore aut odio prosequantur, aut certe ignoret, qui ipsi amici sint, qui inimici. Alii, quorum est magis vera et omnino sequenda sententia, id exponunt de amore aut odio Dei erga homines; ut sit sensus, etiam justos nescire, utrum digni sint, quos Deus aut odio aut amore prosequatur. Sed cum id dupliciter possit intelligi, aut secundum aeternam praedestinationem, aut secundum praesentem justitiam, D. Bernardus, et Hugo Cardinalis, et Gerson, et Dionysius Carthusianus, ut refert Vega (lib. IX *in Concilium Trident.*, cap. X) ita accipiunt, quasi dictum sit, neminem scire utrum a Deo praedestinatus sit, aut reprobatus. Alii, vero, inter quos est D. Thomas (I. II, q. CXII, a. V), et Bonaventura ac maxima ex parte Scholastici Doctores (in I, dist. XVII), secundum praesentem justitiam dictum interpretantur, quod nemo justus constituere possit in hac vita, utrum ametur, an odio habeatur. Sed huic expositioni objiciunt Bucerus et alii Lutherani, peccatoribus notum atque manifestum esse odio a Deo haberi secundum praesentem justitiam; ex quo falsum esse, nemini notum esse posse, utrum secundum istam justitiam, odio aut amore dignus sit: quod si hoc falsum est, verba haec Salomonis exponi isto modo non deberi. His respondetur: Si haec Salomonis sententia ad omnes in universum, tam pios quam impios, diceretur pertinere, recte ista objici. Falsum, enim, sic esset, impios nescire utrum odio digni sint. Sed Salomon non id dicit, nemini in universum notum esse, utrum sit odio aut amore dignus, sed nemini justo atque sapienti in eo ipso, quod bene et studiose operatur, esse notum, utrum placeat aut displiceat Deo. Nam praecesserat: SUNT JUSTI ATQUE SAPIENTES; igitur, ad eos solum pertinet, quod sequitur: ET NESCIT HOMO, ex his, scilicet, quos dixi, UTRUM ODIO AUT AMORE DIGNUS SIT. Sequitur:

2.—Sed omnia in futurum reservantur incerta.

Id in hebraeo הַכֹּל לִפְנֵיהֶם, quod ad verbum: OMNIA IN FACIEBUS EORUM; idem chaldaicus Paraphrastes, quoniam לִפְנִים pro latino *antea* aut *olim*, temporis adverbio, poni solet, ad tempus anteactum retulit, vertitque ita: OMNE IN PROVIDENTIA DECRETUM EST, UT SIT ANTE EOS. Id, autem, est: Omnia quae eventura illis, jam olim decreta a Deo sunt atque firmata. Quasi Salomon ita dicat et sentiat: Quamvis homo ipse nesciat, UTRUM ODIO AUT AMORE DIGNUS SIT, tamen quid de ipso futurum sit, ratum manet; decretum, enim, jam olim a Deo et definitum est. At Septuaginta illud לִפְנִים pro *coram* aut *ante*, quae loci, non temporis, adverbia sunt, acceperunt (nam et isto modo poni solet aliis in locis, ut in illo Hieremiae, VII, 24: *Facti sunt retrorsum et non ante* (וַיִּהְיוּ לְאָחוֹר וְלֹא לִפְנִים); verterunt ergo: τὰ πάντα πρὸ προσώπου αὐτῶν, id est: ANTE FACIEM EORUM, hoc

est, subjecta ipsorum oculis et in promptu, eo intelligentes a Salomone significari, quanta ignorationis humanae vis esset, quando qui sapientes apud eos et justi habentur, quae res maxime perspicuae et in promptu esse videntur, amor et odium, eas res ipsi ignorent. Noster interpres et ipse pro *coram* aut *ante* hebraicum לִפְנֵיהֶם accepisse videtur. Coram, autem, aut ante nos esse, ea dici arbitratus est, quae futura sunt; idque pro proprietate sermonis harum Litterarum, arbitratus est satis recte. Nam, certe, quae praeterierunt, retro esse dici solent, et quae futura sunt priora appellantur, ut in illo *(ad Philipenses* III): *Quae retro sunt obliviscens, ad ea quae sunt priora extendens me ipsum.* Judicarunt, ergo Salomonem dicere esse futura, et in eventu posita, ac proinde incerta, omnia ea, ex quibus de eo, utrum amore an odio simus digni, certo est judicandum. Exitus, enim, ut dici solet, acta probat: ea certe res nullo modo certius, quam vitae extremo actu probentur. Itaque, recte atque scienter sic vertit: SED OMNIA IN FUTURUM RESERVANTUR INCERTA. Aut fortasse in illo hebraico הַכֹּל, id est, OMNIA, illud *he* pro *numquid* accipitur, ut dixerit Salomon: NUMQUID OMNIA CORAM EIS? et a contrario sit inferendum; minime OMNIA CORAM EIS, id est, pleraque illos latent; idque secutus, et sententiam potius tenens quam verba, convertit: OMNIA IN FUTURUM RESERVANTUR INCERTA. Quod ipsum sequuti, novi quidam interpretes ita etiam verterunt: CUNCTA ILLOS LATENT. Videntur, praeterea, mihi hebraica ista verti etiam alio modo posse, non parum commode. הַכֹּל לִפְנֵיהֶם.—Deest per ellipsim relativum אֲשֶׁר, aut aliud *he*, quod saepe ipsi accedit et relativi vim habet; plene enim et integre diceretur: הַכֹּל אֲשֶׁר לִפְנֵיהֶם, id est: OMNIA QUAE CORAM IPSIS SUNT, id est, omnia quae vident, et illis conspicienda occurrunt, et ex quibus rerum occultarum cognitio ducitur. Et evidentiae aut assertionis majoris gratia repetit iterum הַכֹּל; id est, omnia ista, inquam, כַּאֲשֶׁר, ac si esset לַכֹּל omnibus מִקְרֶה אֶחָד eventus unus; id

est, ut omnia, quae coram eis sunt et vident, omnia, inquam, omnibus similiter eveniunt, ac si esset eventus unus. Ut, quoniam dixerat, neminem scire UTRUM ODIO AN AMORE SIT DIGNUS, ejus rei nunc hanc rationem subjiciat, quod omnia ea, quae coram ipso sunt, quae videt et nota habet, e quibus scilicet cognosci occulta et interiora et solent et possunt, ea, inquam, ita communia sint bonis atque malis, nullum ut ex eis argumentum, quod certum sit, duci possit. Itaque, dicit: SED OMNIA IN FUTURUM RESERVANTUR INCERTA. Ergo probat Salomon quod dixerat, nescire hominem, utrum odio sit aut amore dignus. Primo, hac ratione: quia ejus rei probatio pendet ex futuro eventu, qui nobis occultus et ignotus est. Nam OMNIA, quod attinet ad id, de quo agimus, IN FUTURUM RESERVANTUR INCERTA. Voluit, enim, Deus nobis ut vitae nostrae exitus et ea (1), quae post exitum sequuntura sunt, quod vigilantiores in studio virtutis versaremur. Nam ex hac incertitudine ducit ipse Christus argumentum ad excitandum et commovendum nos ad istam vigilantiam, dicens (Matth. XXIV): *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit*, et rursus: *Ideo vos estote parati, quia nescitis, qua hora filius hominis venturus sit;* et apud Lucam (c. XII): *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Sequitur:

EO QUOD UNIVERSA AEQUE EVENIUNT JUSTO ET IMPIO, BONO ET MALO, MUNDO ET IMMUNDO, IMMOLANTI VICTIMAS ET SACRIFICIA CONTEMNENTI. SICUT BONUS, SIC ET PECCATOR: UT PERJURUS, ITA QUI VERUM DEJERAT (2). In quo continetur altera probatio ejusdem rei praepositae propo-

(1) Sic in codice *D*. PP. Matritenses addunt: *esset incertus et incognitus*. Codex *A* ut etiam exemplar Bibliothecae Nation.: «Nam voluit Deus ut nobis esset incognitus nostrae vitae eventus et ea quae post exitum sequutura sunt.»

(2) Hactenus codex *D*. Quae sequuntur, deficiente codice *D*, ex codice *A* transcribimus.

sitionis, quia ea, quae accidunt hominibus in hac vita, et ex quibus, tanquam ex signis antecedentibus, possint duci argumenta ad cognoscendum utrum amore an odio digni sint, ea, inquam, nullo discrimine, similiter eveniunt justis et peccatoribus, ita ut ex illis nullum certum argumentum possit deduci, quod attinet ad istam rem. Nam res adversae aut secundae, ex quibus potest maxime quis argumentari et colligere, quos diligat Deus et quos odio prosequatur, similiter eveniunt justis et injustis. Sequitur:

3. — Hoc est pessimum inter omnia, quae sub sole fiunt, quia eadem omnibus eveniunt. Unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post haec ad inferos deducuntur.

Quaeri potest hoc loco, quare dicat hoc pessimum esse, ut eadem cunctis eveniant in hac vita, cum constet ex his, quae supra dicta sunt, a Deo id rectissima ratione dispositum et constitutum esse. Olympiodorus affirmat, haec dici a Salomone ex persona eorum, qui prave judicant de istis rebus, scilicet, qui judicant secundum humanam rationem, quos D. Paulus appellat animales, dicens (*1 ad Corinthios*, cap. II): *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei*. Alii PESSIMUM hoc loco accipiunt pro gravi et molesto, nam sine dubio est res molestissima, praesertim justis atque bonis viris, quod omnia in hac vita similiter omnibus eveniant, ut colligi potest ex illa querela Davidis et Habacuc. Vel potest, aliter, dici, quod hoc habuit ortum ex peccato primi parentis, et proinde est malum; quamvis Dei sapientia, quae ex malis elicit bona, sit ordinatum in bonum: quemadmodum et mors malum ipsa est et per peccatum introducta, ut inquit D. Paulus: *Per unum hominem intravit peccatum in mundum, et per peccatum mors*; tamen, secundum Dei ordinationem, ex isto malo proveniunt multa bona. Ultimo, possumus dicere hoc vocari PESSIMUM, non

quidem in ordine ad Deum, a quo sapientissima ratione constitutum est, sed in ordine ad plerosque homines, qui ex eo quod a Deo sapienter est constitutum, sumunt ipsi occasionem prave agendi atque judicandi; quasi Deus non curet res humanas, nec sit aliquod discrimen recti atque pravi, nec praemii nec supplicii. Et huic expositioni consonat id, quod statim sequitur: UNDE ET CORDA FILIORUM HOMINUM IMPLENTUR MALITIA, id est, propterea quod omnia aequaliter eveniunt justis et injustis, hinc, occasione accepta, homines pravi fiunt, dum arbitrantur atque judicant, nihil interesse, utrum quis sit justus aut injustus. UNDE CORDA IMPLENTUR MALITIA. Non solum, inquit, pravi fiunt, sed fiunt consummate et perfecte pravi: nam, qui, occasione hujus falsi judicii atque erroris, sumunt sibi causam peccandi, peccant sine ullo timore et laxant omnes habenas cupiditatibus suis; nam quid timeat aut vereatur, qui judicat nihil interesse inter justum et injustum? Et ideo dixit: IMPLENTUR MALITIA, ET CONTEMPTU. Verbum hebraicum hoc loco proprie significat INSANIAM; id quod Septuaginta interpretes verterunt CIRCULATIONEM, quod et ipsum est genus insaniae; nam insani rotant caput, et ex capitis rotatione oriri solet vertigo et insania: caeterum, contemptus Dei maximum insaniae genus est, nam nemo potest Deum contemnere, nisi insano errore mentis caecus sit; et idcirco, noster interpres pro insania recte contemptum vertit. Merito, autem, post illa verba: IMPLENTUR MALITIA, additur: ET CONTEMPTU, quia, ut dicitur *Proverbiis* (XVIII): *Peccator cum in profundum malorum venerit, contemnit*. Caeterum, iste contemptus atque ista insania in hoc consistit, quod est obsequi cupiditatibus et ab illis ferri atque agi, tanquam mancipia, sine ullo timore aut boni respectu. Sed additur in textu: IN VITA SUA, id est, in hac vita mortali, quae jure dicitur esse vita ipsorummet peccatorum et impiorum hominum, quia ipsi soli percipiunt fructus hujus vitae, atque etiam quia nullum sensum habent nec habi-

turi sunt alterius vitae melioris atque verioris, sed sunt aeterna morte morituri. Unde additur: ET POST HAEC AD INFEROS DEDUCUNTUR; quamquam illud POST HAEC, dupliciter potest accipi. Uno modo, ut referat atque demonstret id, quod dixerat IN VITA SUA, sitque idem, quod *postea* aut *tandem* eo sensu, quem diximus: IMPLENTUR, inquit, CONTEMPTU IN VITA SUA, ET POST HAEC, id est, post eam vitam finitam, postea tandem ad inferos deducuntur. Alio modo, potest accipi, ita ut referat atque demonstret aliud verbum, quod statim praecessit, et non est expressum in latina editione, sed in textu hebraico continetur; id autem est: IN CORDE EORUM. Nam id nomen COR bis ponitur in hebraico; in quo ad verbum sic: COR FILIORUM HOMINUM IMPLETUR MALITIA, ET INSANIAE IN CORDE EORUM IN VITA SUA, ET POST IPSUM AD IPSOS MORTUOS; INSANIAE, inquit, id est: cupiditates et judicia insana sunt IN CORDE EORUM, ET POST IPSUM, scilicet, cor (supplendum est: qui habent aut sequuntur) AD IPSOS MORTUOS, id est, perveniunt atque descendunt ad eos, qui mortui dicuntur, antonomastice, id est, ad insigniter mortuos, quales sunt, qui morte aeterna mortui sunt. Quasi dicat: COR FILIORUM HOMINUM abundat et fervet cupiditatibus; qui, autem, sequuntur hanc cordis sui propensionem et inclinationem malam, tandem pervenient ad ipsos mortuos. Nam in hebraeo, ad illud nomen MORTUOS additur articulus, quo significantur mortui aeterna morte, id est, insigniter mortui; quorum omnium malorum, nimirum, et quod vitam consumpserunt in summa nequitia, et quod, moriendo, pervenerint ad aeternam mortem, illi sumpserunt sibi occasionem ex eo, quod viderunt omnia similiter evenire justis et injustis, ac proinde judicaverunt non esse providentiam nec discrimen bonorum et malorum, sed omnia morte extingui. Ex quo, etiam, errore et falso judicio dici intelligenda sunt, quae sequuntur, scilicet:

4.—Nemo est qui semper vivat, et qui ejus rei habeat fiduciam: melior est canis vivus leone mortuo *(et quae sequuntur, usque ad decimum versum inclusive.)*

Nam, ut mihi videtur, in his versibus omnibus est imitatio sermonis alieni aut prosopopoeia; ut D. Hieronymus loquitur, imitatur Salomon in his versibus sermones eorum, qui occasione, quam superius exposuit, implentur malitia atque contemptu: quamquam D. Hieronymus paulo inferius instituit atque inchoat hanc imitationem; sed mihi probabilius atque verius videtur, ab isto versu instituendam et inchoandam esse. Ergo Salomon exponit ex persona eorum, quos dixit, eas rationes, quibus illi sibi persuadent et sua prava judicia confirmant, eorum verba (1) et sermones imitando; inquit: NEMO EST QUI SEMPER VIVAT. Quasi ita dicat: Filii hominum, occasione hausta ex eo, quod cuncta similiter eveniunt bonis atque malis, effundunt omnes suas cupiditates et, errore inducti, judicant nullum discrimen esse boni atque mali, sed omnia morte extingui arbitrantur, et ratiocinantur ita: NEMO EST, QUI SEMPER VIVAT, id est, omnia morte extinguuntur, nec semper vivit animus; NEC QUIS EST, QUI EJUS REI HABEAT FIDUCIAM, id est, nemo ejus immortalitatem ita compertam habet, ut ejus rei plenam fidem apud alios facere posset. Quod, inquit, adeo verum est, quod mortuo nihil sit vilius aut inutilius, usque adeo, ut leo mortuus postponendus sit cani vivo, id est, praestantissimum animal vilissimo animali. Sed, antequam ulterius progrediatur, videndum est, quomodo ista latina cum hebraeis consentiant; nam, certe, nonnihil dissidere videntur. Nam hebraica, ad verbum, sic habet: NAM QUISQUIS ELIGATUR, AD OMNES VIVENTES EST SPES; e quibus noster interpres elicuit senten-

(1) In margine: «habla como ellos hablan.»

tiam, quam expressit isto modo: NAM QUISQUIS ELIGATUR, intellexit supplendum et addendum esse: TANDEM MORIETUR; et ita, ad sensum, convertit: NEMO EST, QUI SEMPER VIVAT.

Quod, autem, sequitur: AD OMNES VIVENTES EST SPES, videtur accepisse interrogative dictum, pro eo quod est: an in aliquo viventium est spes? videlicet, semper vivendi; et ita convertit: ET NEMO EST, QUI EJUS REI HABEAT FIDUCIAM, scilicet, semper vivendi. Id quod potuit facere rectissime; quoniam hebraica propter suam breviloquentiam, recte isto modo suppleri et interpretari potuerunt. Unde etiam alii ea supplent et interpretantur alio modo, nimirum sic: QUISQUIS ELIGATUR, supplent: E MORTUIS, inutilis, certe, est; AD OMNES VIVENTES EST SPES, id est, qui vero vivit, quisquis ille sit, quantumvis infimus atque vilis, potest esse utilis in aliquo, atque adeo est hujusmodi, de quo aliquid speraro possis. Et confirmat id exemplo ducto a leone et cane, dicens: MELIOR EST CANIS VIVUS LEONE MORTUO. Sed pergit in instituta sermonis imitatione, dicens: VIVENTES ENIM SCIUNT SE ESSE MORITUROS, MORTUI VERO NIHIL NOVERUNT; quibus verbis in persona eorum, quorum sermones imitatur, confirmat ulterius id, quod ante dixerat, omnia morte extingui et in mortuo nihil remanere nec boni nec sensus. Nam, inquit, VIVENTES saltem hoc sciunt, se esse morituros; at mortui nihil penitus noverunt: nec solum, inquit, nullus sensus remanet in mortuis; sed nec eorum memoria apud homines durat, nec aliquid praemii illis post mortem manet. Unde additur in textu: NEC HABENT ULTRA MERCEDEM: QUIA OBLIVIONI TRADITA EST MEMORIA EORUM. Et explicat adhuc magis id ipsum, quod dixerat, enumeratione omnium sensuum, dicens: AMOR QUOQUE ET ODIUM ET INVIDIA SIMUL, id est, simul cum ipsorum vita perierunt, id est, in mortuis nec amor nec odium nec omnino ullus sensus remanet; NEC HABENT PARTEM IN HOC SAECULO, NEC IN OPERE QUOD SUB SOLE GERITUR.

His, igitur, rationibus atque verbis confirmant sua falsa judicia isti, quorum sermones Salomon imitatur; a quibus judiciis atque rationibus progrediuntur atque procedunt ad ea dicenda, quae sequuntur; scilicet: VADE ERGO, ET COMEDE IN LAETITIA PANEM TUUM, ET BIBE CUM GAUDIO VINUM TUUM, id est, quandoquidem omnia morte extinguuntur, nec in mortuis remanet ullus sensus aut ulla spes, hoc vitae, quod suppetit, laete atque jucunde vivamus: VADE, IGITUR, id est, eamus, ergo, et vivamus et comedamus. Sequitur: QUIA DEO PLACENT OPERA TUA, id est, quia in id conditus es a Deo, ut fruaris hujus vitae bonis, ac proinde id placet Deo. Et pergit ulterius eamdem rem magis explanare a conjunctis et accidentibus, dicens: OMNI TEMPORE SINT VESTIMENTA TUA CANDIDA; id est, omni tempore laetare, nam candidis vestiebantur laeti, sicut atris vestiebantur vestibus tristes et lugentes; ET OLEUM NON DEFICIAT CAPITI TUO, quod et ipsum laetorum est oleo perfundi, ut patet ex illo Christi: *Tu autem cum jejunas, oleo unge caput tuum, et faciem tuam lava; oleum*, autem, Hebraei vocant id, quod latine unguentum; id, autem, est odoratus aliquis licor, quo se homines perfundere solent. Et ad eamdem sententiam pertinet, quod sequitur, scilicet: PERFRUERE VITA CUM UXORE TUA, QUAM DILIGIS, CUNCTIS DIEBUS INSTABILITATIS TUAE, QUI DATI SUNT TIBI SUB SOLE OMNI TEMPORE VANITATIS TUAE: HAEC EST, ENIM, PARS IN VITA ET IN LABORE TUO, QUO LABORAS SUB SOLE. Et, certe, omnis ista oratio et similis est et prope eadem cum oratione illorum, qui (*Sapientiae*, cap. II) inducuntur primo, sibi persuadentes, omnia morte extingui; deinde, ex eo excitantes se ipsos ad fruendum bonis hujus vitae; postremo, tandem haec ipsa verba dicentes: *Quoniam haec est pars nostra, et haec est sors nostra.*

Quod, autem, additur in textu: QUODCUMQUE POTEST FACERE MANUS TUA, INSTANTER OPERARE: QUIA NEC OPUS, NEC RATIO, NEC SAPIENTIA, NEC SCIENTIA, ERUNT APUD

INFEROS, QUO TU PROPERAS, haec, inquam, verba dicuntur ex eorumdem persona. Quibus verbis sese incitant, non solum ad fruendum bonis hujus vitae, sed etiam ad instanter et celeriter fruendum, propterea quod spatium hujus vitae breve sit, et eo finito, nec scientia, nec ratio, nec opus, hoc est, nihil omnino sensus atque rationis post mortem remanet, quemadmodum sibi illi falso persuadent. Cui, etiam, simile est, quod *(Sapientiae*, capite II) dicebant impii, scilicet: *Fruamur creatura tanquam in juventute celeriter, et non praetereat nos flos temporis.* Atque haec universa dicta sunt a Salomone per imitationem sermonis impiorum, ut doceret atque explanaret, quae et qualis esset illa malitia atque contemptus, quibus dixit repleta esse istorum corda, occasione ejus, quod videant pleraque similiter evenire bonis atque malis. Quibus expositis, pergit ad alias hujus vitae vanitates enumerandas, nam inquit:

II. — Verti me ad aliud, et vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam: sed tempus casumque in omnibus.

Exponit Salomon aliud, quod in hac vita maxime dolendum videtur, estque vanitate id plenum, quod, scilicet, pleraque hujus vitae magis fortuna regi videantur, quam sapientia, juxta illud cujusdam poetae: «vitam fortuna regi, non sapientia.» VIDI, inquit, NEC VELOCIUM ESSE CURSUM, id est, non semper res hominibus succedere pro eorum merito, sed casum atque tempus in omnibus dominari. NEC VELOCIUM ESSE CURSUM. — Id duobus modis potest intelligi: velocium non esse cursum, vel quia non semper velocibus succedat, ut in cursu vincant; vel quia non semper ad currendum veloces qui sunt, eligantur ad currendum: itaque, potest intelligi, cursum non semper conjungi cum velocitate, vel ratione eventus, vel ratione electionis. Et, similiter, dupliciter possunt intelligi reliqua, quae sequuntur: NEC FORTIUM BELLUM, NEC SAPIENTIUM etc., propterea quod, non ut quisque praestat in aliqua re, ita illius ratio habetur; sed saepe saepius ignavi fortibus, imperiti peritis praeferuntur. NEC SAPIENTIUM PANEM; id est, usque adeo res hominibus non eveniunt pro suis meritis, ut cum sapientes dignissimi sint ut abundent omnibus rebus, tamen saepe pane indigent, id est, victu necessario; nam panis in S. Scriptura saepe ponitur, non tam ad significandam copiam et abundantiam, quam ad significandum id, sine quo vita vivi non potest, ut patet ex illo *(Genes.*, XXVIII): *Si dederit mihi Dominus in hac via, qua ambulo, panem ad manducandum et vestimentum ad induendum*, id est, victum atque cultum necessarium. NEC DOCTORUM DIVITIAS. — Vox hebraea significat proprie intelligentes; intelligentes, autem, dicuntur qui industrii sunt: quod maxime videtur conducere ad comparandas opes, et tamen id illis non semper succedit. NEC ARTIFICUM GRATIAM. — Pro artificibus in hebraeo est: scientes et eruditi, nam hujusmodi hominibus maxime videtur deberi gratia popularis; et tamen (ut inquit Hieronymus, in hoc loco) saepe accidit, ut quis imperitus et indoctus, linguae in volubilitate et oris impudentia, in gratia sit apud homines, quam doctus et eruditus. Ex quo concludit: SED TEMPUS ATQUE CASUM IN OMNIBUS, scilicet, versari atque dominari vidi; quod dicens, Salomon non inducit et probat fortunam, neque arbitratur humanas res regi casu; sed, sicut nos theologi admittimus casum in ordine ad causas secundas, et non in ordine ad Deum, praeter cujus ordinem atque scientiam nihil accidit, sic Salomon in hoc loco intelligendus est loqui juxta id, quod videtur accidere in rebus humanis, habita ratione solum causarum secundarum, et non respiciendo ad supremam et primam causam. Sequitur in textu:

12.—Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.

Valet hoc multum ad vitae hujus vanitatem ostendendam et ad abstrahendum homines ab ejus amore atque cupiditatibus: quod, scilicet, non solum morti subjecta sit, sed etiam mortis tempus atque genus ita sit incertum, ut sciri atque praecaveri nullo modo possit; sed saepe superveniat, quo tempore quis arbitratur se longissime ab eo abesse, et quo tempore putat se victurum diu atque jucundissime: SICUT PISCES CAPIUNTUR HAMO ET AVES LAQUEO, hoc est, pereunt in eo ipso, in quo se victuros sperabant (1).....
.....

(1) Post haec, in ipso textu legitur: «aquí dexó El pº fray Luis de león a 17 de agosto y sigió El pº Tapia»; et huic respondens, ad marginem: *Nota*.

APPENDIX

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

12.—Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.

Valet hoc multum ad vitae hujus vanitatem ostendendam et ad abstrahendum homines ab ejus amore atque cupiditatibus: quod, scilicet, non solum morti subjecta sit, sed etiam mortis tempus atque genus ita sit incertum, ut sciri atque praecaveri nullo modo possit; sed saepe superveniat, quo tempore quis arbitratur se longissime ab eo abesse, et quo tempore putat se victurum diu atque jucundissime: SICUT PISCES CAPIUNTUR HAMO ET AVES LAQUEO, hoc est, pereunt in eo ipso, in quo se victuros sperabant (1).....
.....

(1) Post haec, in ipso textu legitur: «aquí dexó El pº fray Luis de león a 17 de agosto y sigió El pº Tapia»; et huic respondens, ad marginem: *Nota*.

APPENDIX

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

APPENDIX

I

IN PSALMOS

Superius brevi in proemio, explanationi Luysii in Psalmos praefixo, adnotavimus, alias inter ejus scripta Psalmorum expositiones inveniri, quas doctissimo Magistro adscribere minime vel dubie tantum liceret. Legionensi abjudicanda et inter spuria rejicienda nobis absdubio videntur commentaria psalmorum XV et XVI, sine ulla auctoris nota in codice *D* contenta. Unius ejusdemque auctoris fortasse opus sunt, cum eisdem doctrinae atque formae characteribus utraque insigniatur expositio, a Mag. Legionensis more omnino abhorrentibus. Illorum, praeterea, auctor in explanatione psalmi XV (vers. VI), ipsum Luysium, ut alium a se, meminit, eumque magnopere commendat. Itaque, utrumque commentarium ut certe adscriptitium rejici debere censuimus.

Una cum his Psalmorum commentariis exstant et in eodem codice *D* explanationum in psalmos XVIII et CXLV brevissima fragmenta, quae Luysio tribui neque probabili ratione, nostro quidem judicio, poterunt: anonima, enim, existunt, neque ex adjunctis aequam auctoris conjecturam facere licet. Si, vero, ex styli ac sententiarum characteribus essent judicanda, potius a Legionensi aliena, quam ab eo exarata, esse arbitraremur. Illa tamen, sicuti psalmo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ram XV et XVI commentaria in appendicem operum Luysii conjicimus, non tantum quia inter doctissimi Magistri scripta exstant, sed etiam quod auctorem Luysio amicitia vel affectu conjunctum habere videantur, ac denique genuina Legionensis opera horum scriptorum collatione illustrentur.

In Psalmum XV (1)

Hunc psalmum nonnulli dicunt Davidem de se cecinisse; sed illum D. Petrus (*Act.* II) de Christo ita interpretatur, ut ejus pleraque Christo soli convenire affirmet. Et, certe, totus psalmus in litterali sensu ad Christum proprie pertinet: id quod non solum veteres nostri, sed etiam multi ex Hebraeorum Doctoribus fatentur; et ipsa inscriptio psalmi idem non obscure significat, quae talis est: *Mictam Davidis. Mictam*, autem, si duae dictiones sunt, ut eas Hieronymus videtur accepisse ex sententia veterum Hebraeorum, significant humilem et simplicem, sicut idem Hieronymus vertit; quibus verbis docetur hunc psalmum de eo Davide dici, qui, ut ipse de se testatur, praeditus fuit supra communem modum corde miti atque humili, hoc est, dici de Christo Domino. Si, autem, *mictam* est unica vox, ea significat aureum quiddam et egregii atque celati operis: itaque, alii id esse arbitrantur coronam auream; alii, citharam celatam auro; alii, vero, columellam celaturis egregie ornatam; alii, vero, in universum aliquam celaturam egregie atque scientissime factam. Quae omnia Christo recte conveniunt. Vel, certe, iste psalmus inscribitur: *Davidis egregia celatura*, ut quemadmodum celaturis superinductis vas solet tegi, sic iste psalmus ea continet, quae pertinent ad Christi humanam naturam; quae Divinitatem superinducta, eam quodammodo effinxit ad nostrum modum atque rationem; nam (quod fuit proprium humanae Christi naturae) in hoc psalmo Christus orat Patrem suum, ut se conservet et tueatur ab inimicis suis, et simul suam mortem et ad vitam reditum et piorum salutem, quam illa morte atque reditu Christus operatus est, manifeste praedicit. Itaque ait:

(1) Codex: *Ps. 15.*

1.—Conserva me, Domine, quoniam speravi in te.—2.—Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Orat, quemadmodum dixi, Christus Deum Patrem: O Pater, conserva, custodi et defende Filium tuum, qui tecum alloquitur, ab inimicis suis; cum, enim, me videam in tantis periculis constitutum, non possum non clamare ad te, Pater sancte, tuumque divinum implorare auxilium, anxie te postulare, ut me protegas sub umbra alarum tuarum; si, enim, infirmi spes habita in medico ei solet optatam adquirere sanitatem, cur, bone Deus, spes, quam in te collocavi, id quod summis precibus postulo non impetrabit? Eadem ratione utitur regius vates in psalmo XXX, petens a Deo liberari ab inimicis suis: *In te, Domine, speravi*, inquit, *non confundar in aeternum: in justitia tua libera me;* quasi diceret: In te omnem meam spem et fiduciam constitui; ne, ergo, patiaris ut unquam confundar et pudefiam, spe et expectatione mea frustratus. Sed pro bonitate tua libera me a malis, quae me premunt, et ab inimicis me persequentibus, eripe me, obsecro, e tantis periculis, siquidem intuens me omnem spem in te collocasse, et teneris hercle meis optatis respondere, non solum quia in te speravi, sed quia jam tuas decantavi laudes sonoro carmine, et lingua mea cecini te Deum meum esse. Si, enim, dicere non dubitasti in tribulationibus posito: *Invoca me, exaudiam te; eruam te, et honorificabis me* (*et* pro *quia;* saepe enim in S. Scriptura *et* pro *quia* sumitur. Esa. LXIV: *Iratus es, et nos peccavimus*, id est, quia nos peccavimus); si, ergo, istum exaudiret Deus, cumque a tribulationibus liberaret, quanto magis me exaudire debes, qui jam in tuas prorupi laudes, teque Deum meum esse confessus sum? Quod, certe, mihi persuasi, quoniam tu NON EGES BONORUM MEORUM, nihilque tibi commodi mea opera afferunt. Quod invenietis dictum a Job cap. XXII; inquit enim: *Quid ei prodest, si justus fueris?* et cap. XXXV: *Si peccaveris, quid ei nocebis?*

3.—Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Mirificavit hebraice est nomen, et sic ponitur pro *mirificis*. Dicit, ergo, Christus: Pater MIRIFICAVIT OMNES VOLUNTATES MEAS IN EIS, id est, mirabiliter perfecit quae-

cumque ego ab illo, pro salute generis humani, postulavi; perfecit, inquam, haec omnia in eis SANCTIS, QUI SUNT IN TERRA EJUS, id est, in illis, qui, licet in his terris versentur, in terra viventium et in coelis suam spem posuerunt. Terra, enim, viventium optime coelum a Doctoribus appellatur. Alium sensum, et non contemnendum, dicta verba admittunt: dixerat, enim, Deum suis operibus non indigere; modo inquit: non sic sanctis et illustribus viris accidit, in quibus omnis mea voluntas est; his, enim, utilia sunt mea bona, his opus fuit, ut, cum essem in gloria tua, o Pater, memetipsum *exinanirem, formam servi accipiens (Philipp.* II). Ab hac interpretatione non est alienus D. Augustinus, cujus verba sunt: «Sanctis, qui in terra viventium suam spem posuerunt, mirificavi omnes voluntates meas in illis. His, ergo, Sanctis miras feci voluntates meas in profectu et utilitate eorum.»

4.—Multiplicatae sunt infirmitates eorum: postea (1) acceleraverunt. Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Hi duo versiculi, si intelligantur de impiis, ut nonnullis doctoribus placet, faciunt istum sensum: impiorum autem hominum, qui nec nomine quidem digni sunt, qui, Deo vero derelicto, multiplicaverunt sibi infirmitates, id est, falsos deos et idola; sicut, enim, Propheta saepe Deum verum suam fortitudinem vocat, sic in hoc loco impiorum idola et falsos deos infirmitates vocat, quod cum in illis confidant, per illa sunt infirmi. Unde Hieronymus et Hebraei omnes, ubi nos legimus infirmitates legunt ipsi idola. Multiplicaverunt ergo sibi idola infirma, in quibus suam spem collocaverunt, et deinde ad ea colenda vehementissimo desiderio properarunt; horum, inquam, iniquas congregationes, quae fiunt ad offerendum sanguinem pecudum, ego non congregabo, cum illis partem habere nolo, nec de illis unquam mirifice loquar, nec memor ero nominum eorum, et, ut habet littera hebraea, nec nomina eorum sumam in labiis meis; quod hispanice dicitur: *no los tomaré en la boca*. Nec mirum, quod horum hominum conversationem ita contemnam, cum Dominus sit haereditas mea.

Si, autem, de justis dicta Davidis verba velimus interpretari, ecce legitimum sensum. Horum, igitur, postquam peccato ad benc operandum infirmitates et imbecillitates multiplicatae sunt, agnoscentes se Dei gratia meisque meritis non parum indigere, ad me celerrime reversi sunt. Quos, certe, non congregabo ad offerendum sanguinem pecudum, ad quem offerendum hactenus congregari solebant; imo, NEC MEMOR ERO NOMINUM EORUM, quasi diceret: non solum scelerum, quae in me commiserunt, non ero memor, sed nec nominum quibus, dum peccatores erant, vocabantur. Hinc intelligere possumus, Deum pro sua bonitate et misericordia ita recipere conversos ad se, ut una cum peccatis pristinis pristina et antiqua nomina deleat; *Apoc.* III: *Et scribam super eum nomen novum;* et qui prius dicebatur Saulus, Paulus nominatus est. Ecclesia etiam, Christi Domini Sponsa, nova imponit nomina, qui novum hominem induunt; et nos, qui prius dicebamur filii irae, filii Adam, filii mortis, nunc dicimur filii vitae, filii adoptionis, filii Dei, ita ut quisque nostrum cum ipso Jesu ingenti cum laetitia dicere possit id, quod in psalmo sequitur:

5.—Dominus pars haereditatis meae et calicis mei.

Id est, Dominus cui soli gratificare studeo, est mea haereditas, mea possessio, meus cibus, meus potus. Quasi diceret: eligant sibi alii alia, quibus fruantur, nimisque in comparandis divitiis studeant; mihi, enim, pro divitiis et bonis omnibus solus est Deus; caetera omnia repudio. Vocent illum beatum et felicem, cui sunt filii *sicut novellae plantationes* in juventute sua, et filiae compositae et ornatae sicut similitudo templi; ego, enim, solum illum felicem vocabo, cujus *Dominus Deus ejus* est (Psalm. CXLIII). Ostendit, enim, Propheta in nostro psalmo sibi unum Deum sufficere, seque praeter eum nihil quaerere; idem ostendit in psalmo LXXII, dum inquit: *Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?* ac si diceret: nihil. *Dominus cordis mei et pars mea Deus in aeternum.* Sine te omnia sunt mihi injucunda, sive in coelis, sive in terris; et praeter te, quaesivi nihil. Sed te solum amo, et si tua adimpleo divina praecepta, id solum propter te efficio. Sed quomodo stat cum hoc illud, quod habetur in psalmo CXVII: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem,* id est, applicui animum meum ad exequenda divina mandata propter retributionem et mercedem? Di-

(1) In codice: EORUM etc. *usque* PER LABIA MEA.

cimus, in hoc psalmo tantum Davidem possuisse retributionem et mercedem pro causa secunda et minus praecipua, cum quo stat, quod sit causa finalis prima et per se, propter quam suum applicuit animum ad exequenda divina mandata. Vel dicite, si placet, sensum Davidis esse: *propuse de guardar tus leyes, por pagarte lo que te debo, por no me mostrar ingrato á tantos beneficios como de tu mano e recebido.* Sequitur: TU ES QUI RESTITUES..... Compositum pro simplici, ut *retribuere* pro *tribuere;* unde RESTITUES, id est, *statues,* sustentabis et fulcies. Et sic, ubi nos legimus RESTITUES, legunt Hebraei sustentabis. Quasi diceret: Tu, qui te mihi possidendum et fruendum dedisti, et qui mea haereditas et possessio est, non patieris, ut quis unquam me a possessione deturbet, sed tuo praesidio erit tuta, et firma immobilisque permanebit.

6.—Funes ceciderunt mihi in praeclaris.

FUNES vocat haereditatem et portionem, metaphora sumpta ab agris, quos Josue funibus metitus est, ut patet ex ejus historia, cap. XVII. FUNES ergo, id est, haereditas mea accidit mihi in praeclaris et amenis, in jucundis, dulcibus et suavibus; accidit, enim, mihi in partem haereditariam quod est omnium praestantissimum, quod nolim cum nulla alia re commutare, nimirum: Deus. Et hoc est, quod statim additur: ETENIM HAEREDITAS MEA PRAECLARA EST MIHI. — Cognoscitur, enim, Deus a justis, et sic coram eo omnia ut stercora arbitrantur, desiderantque unquam ab eo separari; sed semper in prospectu ejus esse, eoque incessanter frui. Unde D. Petrus desiderabat in monte Thabor, in quo Dominum transfiguratum vidit, semper permanere, ne unquam discederet ab eo, quem tanto prosequebatur amore. Eodem incensa amore sponsa, dicit Cant. VIII: *Quis te mihi det fratrem meum, sugentem ubera matris meae! Para jamás apartarse dél, y traerle siempre entre sus braços y colgado de su boca.* Videte Mag. fratrem Luysium Legionensem, qui miro ingenio et accurate illud exponit. Sequitur:

7.—Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum, insuper...

Ubi nos legimus INTELLECTUM Hebraei legunt CONSILIUM. Benedicam, ergo, id est, gratias agam Deo illumque laudabo, qui dedit mihi consilium super consilium; quod

hispanice dicitur: *un consejo y otro,* ut hanc haereditatem eligerem. ET USQUE AD NOCTEM INCREPUERUNT ME RENES MEI.—Ubi nos legimus INCREPUERUNT Hebraei legunt ERUDIERUNT. Secundo, notandum, quod *ly* USQUE non sumitur exclusive, ita ut excludat et tollat noctem, sed inclusive; includit enim noctem, ac si diceret: *etiam noctu,* seu per noctem. Unde Hebraei, ubi nos legimus USQUE AD NOCTEM, legunt PER NOCTES. Et notandum est hoc, quoniam maxime conducit ad intelligenda nonnulla loca S. Scripturae, ut: *Donec ponam inimicos tuos* etc. et: *Donec peperit filium suum; ly* enim *donec* inclusive, et non exclusive, sumitur, ac si diceret: *Sede a dextris meis* etiam postquam *posuero inimicos tuos* etc. et: *Non cognovit eam* postquam *peperit,* et: USQUE AD NOCTEM, id est, RENES MEI intimique affectus me noctu ERUDIERUNT. Hinc intelligitur, quomodo Deus in omni tempore suis subveniat; ipse certe non cessat clamare et dicere: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos;* neque arbitremini inter me et inter vos maximum itineris spatium interesse; ecce enim sto ad ostium, et pulso. Sequitur:

8.—Providebam Domino in conspectu meo semper.

Id est, eum habebam ob oculos tamquam scopum; quasi diceret: in omnibus, quae dixi, vel feci, semper ad illum respexi; quod merito feci, quoniam se mihi ducem et defensorem exhibet. Esse enim a dextris usu S. Scripturae opitulari, succurrere, et protegere significat. Sic, enim, in psal. CVIII: *Qui adstitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam;* quasi diceret: laudabo Deum, eo quod mihi pauperi praesens et defensor adfuerit, quasi á dextris adstans, ut defenderet et salvaret vitam meam ab his, qui eam perdere studiose conabantur. Sic in psalmo CIX: *Dominus a dextris tuis,* id est, est auxiliator et defensor tuus. Felix et beatus sit talis homo, qui talem ac tantum protectorem habet, *y no tiene que temer á alguno, pues tiene á Dios á su lado.* Hoc dicit mirifice Regius Vates (psalm. XXVI): *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, á quo trepidabo? Si consistant ad versum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.* Quasi diceret: Dominus est mea tutela et defensio, meumque praesidium, quem timebo? ac si diceret: neminem metuam. Estque qui vitam meam quasi scuto quodam

protegit, quis ergo erit tam potens, a quo trepidem, nullus equidem. *Exurgant* ergo, *adversum me castra*, et dimicent contra me, *non timebit cor meum;* immo in hoc praelio et bello sperabo me consequuturum victoriam, palmamque et triumphum reportaturum. Sequitur:

9.—Propter hoc laetatum est cor meum, etc.

Quasi diceret: Quia habeo Deum meum in conspectu meo semper, et quin ipse est a dextris meis, innenarrabili laetitia laetatum est cor meum, linguaque mea jubilavit; immo et caput meum ob mortem non gravabitur moerore et tristitia, sed exultabit placideque requiescet in sepulcro cum certa spe resurrectionis, glorificationis et sessionis ad dexteram Patris mei. Sequitur:

10.—Quoniam non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Quasi diceret. LAETATUM EST COR MEUM, ET EXULTAVIT LINGUA MEA, QUONIAM NON DERELINQUES ANIMAM MEAM IN INFERNO, id est, in limbo sanctorum Patrum; et non patieris ut ego, quem tu, o pater, sanctificasti, sentiam corruptionem, id est, ut meum corpus in sepulchro corrumpatur et putrescat in pulveremque redigatur; sicut aliis corporibus accidere solet. Sequitur:

11.—Notas mihi fecisti vias vitae.

Praeteritum pro futuro, scilicet, pro FACIES: saepe, enim, in S. Scriptura praeteritum et praesens sumitur pro futuro, ut denotetur certitudo et infallibilitas illius, quod dicitur. Sic sumitur apud Job: *Scio quod Redemptor meus vivit*, id est, *vivet*. Sic in nostro psalmo FECISTI pro FACIES: NOTAS, ergo, id est: NOTAM FACIES MIHI VIAM VITAE, id est, me mortuum et sepultum ad vitam revocabis, meque demum ad vitam revocatum contemplatione et visione tui vultus, in quo voluptatuum et gaudiorum genus omne est, omni laetitia satiabis et hoc est illud psalmi: ADIMPLEBIS ME LAETITIA CUM VULTU TUO, et ut habet litera hebraea, SATIETAS LAETITIARUM EST CUM VULTU TUO, id est, cum tuo aspectu et jucundissima praesentia; quasi diceret: Tunc

animus expletur omnibus laetitiis et voluptatibus, cum te praesens praesentem intuetur; nec mirum, cum DELECTATIONES SINT IN DEXTERA TUA, quasi diceret: *está tu mano derecha vertiendo gozo y contento*. Quadrat cum hoc illud Salomonis: *Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra ejus divitiae et gloriae*, unde: *Quien quisiere larga vida, riquezas y gloria, póngase en las manos de Dios*. Aliter possumus interpretari hunc locum: DELECTATIONES IN DEXTERA EJUS, usque in finem, quasi diceret: istae delectationes et laetitiae, quibus me satiabis, sunt IN DEXTERA TUA, id est, his potiar et fruar, sedendo ad dexteram tuam, juxta illud, psalmi CIX: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis* id est, *Dominus* Pater *dixit Domino meo* Christo: *sede a dextris meis*, id est, mecum regna, meisque potioribus bonis potire meaque gloria. Ad quam nos perducat Jesus, unicus Dei filius ac Redemptor noster.

In Psalmum XVI [1]

Hunc psalmum cecinisse Davidem acerbissimo vexatum maximisque angustiis a Saule pressum quamplurimi, tunc ex neothericis, tunc etiam ex judaeorum rabbinis arbitrantur. In quibus angustiis cum se videret regius vates, coepit divinum implorare auxilium, vitae suae innocentiam et inimicorum crudelitatem et superbiam commemorans, tandem suam esse felicitatem in contemplatione et fruitione gloriae Dei confitetur. Ecce argumentum psalmi. Qui utrum sit cantatus a Davide in persona propria, an in persona Christi, cujus typum et figuram gerebat, non est usquequaque certum. Neque id ex titulo psalmi sufficienter colligitur; titulus, enim, psalmi est: *oratio David*; ex quo nulla pars ex dictis colligitur, sive David sit genitivi vel dativi casus. Quoniam si est genitivi, tum facit istum sensum: haec oratio est ipsius Davidis, scilicet, auctoris, id est, David composuit et fecit hanc orationem. Si autem fuerit dativi, tunc est sensus: haec oratio est ipsi Davidi attributa, ex quo non sufficienter colligitur hic loqui, non in persona Christi, sed propria; quoniam optime potest dici, quod est attributa haec oratio ipsi Davidi, non ut David erat, sed ut gerebat personam Christi. Hoc sit certum: quod

(1) In codice: *Ps. 16*.

hacc oratio optime potest explicari de Christo Jesu, per Davidem in suis persequtionibus praefigurato, ut explicatur ab auctore commentariorum, quae D. Hieronymo adscribuntur, et de Davide etiam, non parum a suis inimicis afflicto. Sequitur:

1.—Exaudi, Domine, justitiam meam: intende deprecationem meam.

Id est, causae quae, te judice, contra meos inimicos finienda est, advocatum et defensorem constitui neminem, praeter justitiam meam; quae, me tacente, pro me clamat ad te. Exaudi, ergo, illam; et teneris illam exaudire, cum tu sis justitiae Dominus. Attende, obsecro, clamori meo. AURIBUS PERCIPE ORATIONEM MEAM, NON IN LABIIS DOLOSIS. Quasi diceret: ne, quaeso, te quasi surdum praebeas, sed ad orationem meam, non dolosam et fictam, attende: ac si diceret: debes certe me exaudire, quoniam ad te ex intimo pectore clamo. Labia, enim, dolosa non dignum est ut audjas; sed meas voces teneris propitius exaudiri, quoniam illas puris labiis pronuncio, non aliter sentiens atque loquens.

2.—De vultu tuo judicium meum prodeat: oculi tui videant aequitates.

Id est: esto tu judex meus a facie tua, quae omnia contemplatur, et a tribunali tuo judicium debitum meis meritis egrediatur; et, ut alii legunt, a vultu tuo judicium meum prodiisse videatur, quod hispanice uno verbo dicere possumus: *Sentencia de suerte, que se entienda ser vuestra la sentencia.* Sequitur: OCULI TUI VIDEANT AEQUITATES, id est, benignus aspectus tuus aspiciat veritatem et justitiam, id est: *Señor, hacedme justicia, y ved la verdad.*

3.—Probasti cor meum, et visitasti nocte...

Quasi diceret: non constituo judicem meae causae hominem, qui solum videt ea, quae patent; sed te, qui interris cor meum probatum et examinatum a te angustia et tribulatione. Usu, enim, S. Scripturae nox pro tribulatione sumitur, sicut dies pro felicitate et prosperitate. Sic

sumitur in psalmo primo, dum dicitur: *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus* etc., quasi diceret: illum esse beatum, id est, amicum Dei habitum arbitror, *qui non abiit in consilio impiorum*, et omnem voluptatem et affectum praeceptis divinis apponit, estque sollicitus de illis cognoscendis et perficiendis, non solum in prospera, sed in adversa fortuna; quod hispanice optime dici potest: *Aquél es amigo de Dios, que es gran estudiante de su ley, y se ocupa en conocerla y ponerla por obra, aora esté en prosperidad, aora en trabajos.* Sic etiam sumitur nox apud Hieremiam threno primo: *Plorans ploravit in nocte;* id est, in adversitate et tribulatione captivitatis, propter idololatriam aliaque scelera aliaque peccata, non parum plebs judaica ploravit et doluit. Sequitur: IGNE ME EXAMINASTI, ET NON EST INVENTA IN ME INIQUITAS. Id est: quia cruce variisque tribulationibus exprobato, non aliter quam aurum igne probari solet, nullam in me invenisti iniquitatem, quam essem molitus in hostes meos, propter quam ita me persequantur, ideo, te constituo judicem meae causae.

4.—Ut non loquatur os meum opera hominum...

Quasi diceret: ideo me conflasti, tribulationibusque explorasti, ne loquerer HOMINUM OPERA, id est, vitia et peccata, quibus vacant carnales. Interdum, enim, in S. Scriptura nomine hominis simpliciter intelligitur carnalis: sic I *ad Corinth.*, III: *Nonne homines estis*, id est, carnales. Hinc intelligite multum interesse, non solum non opere implere; sed nec nominare nec loqui quae prava et inhonesta sint, quod inteligens Paulus dixit (*Ephes.* V): *Fornicatio, et omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: Santo y consagrado á Dios, y que tome en la boca cosa torpe y deshonesta no dice bien*; *sacerdote de Dios, y deshonesto en sus pláticas, gran mal.* id etiam intelligens Paulus, dixit I. *Corint.*, XV: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Nec necesse est aliam in medium adducere rationem in hujus rei confirmationem, praeter eam, quae desumitur ex eo, quod David confitetur se variis tribulationibus probatum fuisse a Deo, ne prava et inhonesta in labiis sumeret. Interest, ergo, prava et inhonesta non loqui; alias, enim, sine causa David esset tot tribulationibus exploratus. Sequitur: PROPTER VERBA LABIORUM TUORUM EGO CUSTODIVI VIAS DURAS. Quasi diceret: propter sermones tuos tuaque aequissima praecepta, quae observavi et custodivi diligenter, vias

duras, arduas, difficiles et laboriosas, quales sunt justitiae et virtutis, perambulavi, id est, per angustum et asperum virtutis callem ingressus sum. Esse, enim, asperum virtutis callem a plurimis dictum est; hinc illud litterae Pythagorae apud Virgilium: *nam via virtutis dextrum petit ardua callem, difficilemque aditum primum expectantibus offert;* et Hesiodus dixit: *Ante virtutem dii sudorem posuerunt; longa et ardua via ad ipsam et aspera primum.* Hinc antiqui ad depingendam virtutem, asperum et arduum montem possuerunt, et in ejus cacumine palmam, in cujus sublimitate virtutem possuere. Ad hoc facit illud *Matth.*, II: *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*; *violenti*, id est, *los que se hacen fuerza y resistencia;* et illud *Lucae*, XIII: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt.* Tan angosta, que al pasar por ella, ubo de dejar el pellejo S. Bartolomé, tan baja, que al entrar por ella, ubo de dejar la cabeza el gran Baptista y el predicador de las gentes S. Pablo. Sequitur:

5.—Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

Quasi diceret: Da mihi, quem ingredi fecisti has justitiae semitas tuorumque mandatorum vias, quorum observantia consequar vitam aeternam, ut ita gradiar, actionesque vitae meae ita instituam, ut in illis perseverem usque ad extremum vitae, id est, ne me unquam labi sinas. Sequitur:

6.—Ego clamavi quoniam exaudisti me (1), Deus: inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Quasi diceret: ideo invoco te, quia tu, o Deus, soles me invocantem exaudire, nunc ergo, quaeso, solita pietate exaudi vocem clamantis ad te de profundis tenebrarum, calamitatis et miseriae. Sciebat, enim, David Deum locum inhabitare inaccessibilem, et se nimis prostratum et humiliatum, afflictum pondere videbat, et sic dixit: INCLINA AUREM TUAM MIHI, ET EXAUDI VERBA MEA. Sequitur:

(1) In codice: ME &. USQUE VERBA MEA.

7.—Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.

Quasi diceret: Deus qui salvos facis eos, qui sperant in te, eripe servum tuum in media jam morte versantem, ab hisque afflictionibus libera, ut omnes videant et admirentur magnitudinem misericordiae et benignitatis tuae; et hoc est: MIRIFICA MISERICORDIAS TUAS. Vel aliter: miris utere miserationibus tuis ad me erucndum ab inimicis meis; hic enim opus est, quia periculum est maximum, eximia misericordia tua; utere, obsecro, ea. Sequitur:

8.—A resistentibus dexterae tuae custodi me, ut pupillam oculi.

Quasi diceret: CUSTODI ME, quem tua dextera protegit et defendit, ab illis, qui me persequuntur; CUSTODI, inquam, ME ea diligentia, qua ab hominibus pupilla oculi solet custodiri, id est, CUSTODI ME, ut rem carissimam. Hinc intelligitur, primo. Deum esse protectorem et ducem justi hominis, dexteraque sua et potentia illum defendere ab inimicis; de quo jam nonnulla diximus in psalmo XV: intelligitur secundo, quod qui persequitur justum et amicum Dei, Deum ipsum persequitur; et quantum est de se, dexterae ejus divinaeque potentiae, cui nemo resistere potest, resistit. Quod intelligens regius vates, petens a Deo, ut eum liberaret ab inimicis, qui eum persequebantur, dixit: A RESISTENTIBUS DEXTERAE TUAE CUSTODI ME, id est, libera me ab his, qui me persequuntur, qui eo, quod me persequuntur, dexteraeque tuae et potentiae resistunt. *Teman, pues, los que persiguen al justo,* et intelligant, quod Deum ipsum, a quo bona cuncta procedunt, persequuntur. Quod si id sibi persuadere nolunt, audiant Deum ipsum dicentem: *Qui eos tangit, pupillam oculi mei tangit;* audiant etiam illud, quod a Christo Domino dictum est Saulo, qui studiose deditaque opera Ecclesiam suam suosque filios persequebatur: *Saule, Saule, cur me persequeris? Y cómo, Saulo, tenéis manos para mí?* et infra: *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris;* et sedebat jam ad dexteram Patris, ubi nullam poenam sibi Paulus inferre poterat. Dixit, autem, se a Saulo persequi, quia filios suos, quos unice diligebat, persequebatur. Congruit huic sententiae illud Davidis, psalm. L: *Tibi soli peccavi*; et peccaverat graviter in Uriam, fortissimum et fidelissimum militem, cujus sibi uxorem contra justitiam usurpavit, cujus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vitam iniqua perdidit traditione; peccaverat etiam in pulchram nimis et formosam Bethsabee, eam ad rem pessimam inducendo, ejusque virum morti et occisioni tradendo. Cogitans tamen et videns, quam protector hominis sit Deus, *y quan de veras toma por propia la injuria, que se le hace al hombre*, dixit: *Tibi soli peccavi*. Idem prospiciens in nostro psalmo, non dixit: Libera me ab his, qui me persequuntur, sed ab his, qui te persequuntur, dexteraeque tuae et potentiae resistunt. SUB UMBRA ALARUM TUARUM PROTEGE ME etc.—Quasi diceret: Protege me, Domine, et defende ab inimicis meis, qui me vastant et perdere molinntur; protege, inquam, sub firmissimo tegumento et praesidio misericordiae et potestatis tuae, non aliter quam sollicita avis sub allis suis solet protegere et defendere pullos ab invasoribus rapacibusque avibus. Sequitur:

9.—Inimici mei animam circumdederunt.

Quasi diceret: Ne mireris, Domine, quod ita tuum implorem auxilium, cum tanta sit inimicorum meorum crudelitas, qui ex omni parte me circumdatum et vallatum tencant, non aliter quam civitates obsideri solent, ita ut quocumque me vertam, mortis periculum mihi immineat.

10.—Adipem suum concluserunt...

Id est, adversus animam meam crudelissime agunt, absque ulla misericordia et compassione, quasi adipe, in quo compassionis et misericordiae sedes est, omnino obdurato et concluso. Ita Euthymius, qui per adipem cor intelligit et viscera, quoniam circum ea multa solet esse pinguedo. Caeterum, cum adipe et pinguedine saepe utatur S. Scriptura pro opulentia et rerum omnium abundantia, ut sumitur in psalmo XXI: *Tauri pingues obsederunt me*, id est, inimici fortes et crudelissimi, potentesque divitiis, me crudelissime persequuti sunt. Possunt secundo interpretari dicta verba, id est: Opes et facultates copiosas suis commodis repossuere, unde ita insolenter ferociunt, ut non soleni superbi, etiam si superbissime loquantur; *y así querrá decir David: no es mucho, que tema tanto á más enemigos, pues me siguen de tal suerte, y son tan ricos y poderosos, que aun no temen al mesmo Dios, qui in eum et in ejus coelum posuerunt os suum*. Possunt et tertio interpretari: Se pingues fecerunt, seque ita moliter curarunt, ut magna pinguedo in ipsorum corpore inclusa sit: *que no caben en el pellejo de gordos y bien curados; y de verse tales, dicen mil blasfemias*. Favet, autem, huic interpretationi D. Hieronymus, qui ubi nos legimus «ADIPE, legit ipse ADIPE ET DIVITIIS, deliciis et voluptatibus ita obdurati sunt, ut nihil boni cogitent, nec loquantur»: *que jamás se les caiga blasfemia de la boca; porque se vea, qué bien suelen atraher al hombre las riquezas*, etc. Quod intelligens Salomon, dixit: *Divitias ne dederis mihi; y si no, véase el estrago que hicieron las riquezas y deleites en Salomon, que fué tan grande que* non dubitabo dicere: *mi ánima con la del padre, y no con la del hijo*. Congruit huic sententiae illud Evangelii: *Impossibile est divitem intrare in regnum coelorum*, quod ille dicit: *nemo felix et dives;* illi, enim, beatitudo coelestis tribuenda est, qui Deum unice amat, eique praebet cor, *el qual no se cómo el rico le dará, pues le tiene ya dado á sus riquezas*, juxta illud: *Ubi est thesaurus tuus*, etc... Legite cap. XXI *Deuteronomii*, ibi, enim, nostra sententia manifeste probatur: *Incrassatus*, dicitur ibi, *dilectus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo*. Sequitur:

11.—Projicientes me, nunc circumdederunt me, etc.

Quasi diceret: Expulerunt et ejecerunt me ex omnibus bonis meis; et nunc circumdant, ut perdere me possint, id est, studiose conantur, ut me morti tradant: *propio del malo de seguir al justo hasta la muerte*, juxta illud *Hieremiae* II: *Venite, mittamus lignum*, etc.: *echémosle çaraças en el pan, como á perro*. Facit etiam ad hoc illud *Sapientiae*, II: *Circumveniamus justum, quia inutilis est nobis, et contrarius operibus nostris;* id est, *daña y afea nuestras obras, porque en las suyas, como en claro y cristalino espejo, se vee la fealdad de las nuestras. Sucédeles lo que á la mujer, que se está mirando al espejo; y viéndose tan fea, de rabia le da un golpe, y le hace pedaços, como si él tubiese la culpa*. Sic iniqui et impii homines, cum suam turpitudinem in operibus justi velut in speculo intuecantur, eum confringere et occidere conantur. Cum, enim, justus sit velut lucerna ardens et lucens, qua manifeste iniquorum scelera apparent, *procura apagar tal luz; y de todo su coraçón le aborrece*, juxta illud: *Qui male agit, odit lucem*. Et sic, ut fallor, est ratio, propter quam aliqui dilexerunt magis tenebras quam lucem; quam tradit D. Augustinus, dum inquit: «Oculis ejus odio-

sa est lux.» OCULOS SUOS STATUERUNT DECLINARE IN TERRAM (1).—Quasi diceret: decreverunt a te, qui in coelis habitas, et a mandatis tuis, quibus praecepisti, ut innocentem nemo laederet, decreverunt, inquam, oculos suos avertere a te, eosque in terram conjicere: *resueltos están de no hacer jamás cosa buena.* Ingens dementia et insania: *apartar los ojos del cielo, y ponerlos en la tierra.* Facit ad hoc illud: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt, fontem aquae vivae*, etc.. Vel, aliter: decreverunt semper aspicere, terram, nunquamque me, quem gratis persequuntur, aspicere ne commoveantur ad misericordiam; sunt, enim, aliqui ita inhumani et feroces, qui dedita opera nolunt ad miseros oculos convertere, ne forte commoveantur. Sic accidit inimicis Davidis, in cujus rei comprobatione placet adducere id, quod supra diximus: ADIPEM SUUM CONCLUSERUNT, id est, intra se ipsos clauserunt, ne transmitterent misericordiam. De his loquitur Joannes (epist. I, cap. III), cum ait: *Et clauserit viscera sua ab eo.* Sequitur:

12.—Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam: et sicut catulus leonis habitans in abditis.

Quasi diceret: Truculenti inimici mei avidissime me morti tradere conantur, tum manifeste, tum etiam fraude et insidiis, non aliter quam leo ferocissimus, qui, propria vi et robora fretus, manifeste insequitur praedam, et ejus catulus, qui tanta carens confidentia, occulte se accingit ad praedam. Sequitur:

13.—Exurge, Domine, praevені eum et supplanta eum.

Id est, ne amplius tuum auxilium differas, sed eum in meam tutelam et defensionem manifesta, meosque adversarios, qui adversum me festinant, praeocupa. SUPLANTA EOS, id est, incurba, seu sub proprio pede in terram prosterne eos, id est: *ármales una çancadilla*, prius quam ea, quae meditati sunt contra me, effectum sortiantur. Sequitur.

(1) In codice: OCULOS suos, etc.

14.—Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuae.

Id est, evagina gladium, quo tuos protegere soles, ut animam meam liberes ab inimicis tuae potentiae (qui, enim, me oppugnant, tecum etiam oppugnare videntur). Favet huic interpretationi Euthymius, et Hebraei, qui ubi nos legimus FRAMEAM, legunt FRAMEA; id est, telo et gladio tuo libera animam meam. Vel aliter: libera animam meam ab impio, qui est tua framea et gladius, et ab inimicis, qui circa manus tibi sunt, quibusque uteris ad castigandos alios. Facit ad hoc illud *Esaiae*, X: *Vae Assur, virga furoris mei.* Job etiam dixit: *Manus Domini tetigit me*, cum diabolus tetigisset eum, Domino permittente. Sequitur: DOMINE, A PAUCIS, etc. Id est, divide et segrega hos pessimos homines adhuc viventes a justis hominibus, ne cum eis conversentur. Solet, enim, S. Scriptura per *paucos* justos intelligere; quoniam iniqui plures sunt, et pejora numero semper vincunt; boni, vero, pauci. Sequitur: ET DE ABSCONDITIS TUIS. Id est, hujus mundi bonis, ut auro et argento, quae omnia in visceribus terrae a te sunt abscondita, saturati sunt; et, pro suo voto et desiderio, multi filiorum effecti sunt patres, adepteque sunt tantam divitiarum copiam, *que, con gastar como gastaron, tubieron qué dejar á sus nietos.* Favet huic interpretationi Euthymius, qui ubi nos legimus PARVULIS SUIS, legit ipse PARVULIS EORUM.

15.—Ego autem, in te sperabo, etc.

Id est, ego vero, qui nunc esurio et sitio, per justitiam et veritatem justaque opera tuam faciem videbo, et satiabor plene, cum contemplatus fuero gloriam majestatis tuae. Hoc, ni fallor, voluit dicere Christus *Matth.* V: *Beati qui nunc esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur* contemplatione scilicet et visione Dei, et fruitione suae beatitudinis et gloriae. Ad quam nos, etc.

UNIVERSIDAD DE NAVARRA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In Psalmum XVIII (1)

Iste psalmus ostendit nos, in Dei cognitionem devenire posse ex duobus: primum, ex rerum naturalium consideratione; secundo, ex studio legis divinae. Utrumque hic conjungit: primum, usque ad versum VIII; secundum, usque ad finem. Solet hic connectere David psalmum XCII et psalmum CXLVII. Quod, vero, ex coelorum et naturae totius contemplatione venari possimus Deum esse, et esse bonum, potentemque et gloriosum, patet ex toto illo psalmo mirabili CIII, ubi coepit ex coelorum contemplatione ab illo: Extendens coelum. Et inter omnia pulcherrimum est caput XLIII *Ecclesiastici* per totum et etiam Job. XXXVIII usque ad finem libri. Sed longe melius hic:

2.—Coeli enarrant...—3.—Dies diei eructat...

Id est, dies, succedens diei, docet et indicat Deum esse. Singuli dies eructant potentiam Dei. Vel sic: dies unus docet alterum, qualis sit futurus; et una nox exemplar alterius. Hac ratione, coeli dici possunt liber naturae, et sidera litterae, in quibus, scilicet, omnes studere et legere valeant, et docti evadere et theologi, id est, Dei cognitores. Hoc dixit D. Antonius philosophis: «ego, inquit, pro libris haec, coelos et sidera.» Huc alludit Esaias, XXXIV: *complicabuntur coeli*; complicari, proprium est librorum; unde additur ibi: *sicut liber*. Et ps. CIII. *Extendens coelum, sicut pellem*; libri, enim, ex pellibus fiunt. Quod, vero, sequitur. *Qui tegis*, etc., dicitur propter coelum cristalinum, quod caeteros tegit et stellis omnino vacat; alii aquas putant ibi ad refrigerandum calorem, qui ex motu velocissimi primi mobilis, id est, X (?) coeli causatur. Sequitur:

4.—Non sunt loquelae, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum (2).

Neque, vero, coeli sunt liber mutus, sed vivus et potens loqui. Sapientiae I, dicitur de orbe toto, quod habet scien-

(1) In codice: *Ps. 18.*
(2) Codex: NON SUNT LOQUELAE, etc., *usque ad verba eorum.*

tiam vocis. Ecce librum vociferantem magnopere: NON ENIM SUNT LOQUELAE voces coelorum, id est, voces tenues et submissae, sed pergrandes et sonorae. Aliter sic: Nullae sunt loquelae seu nationes, tam distantes et reconditae, in quibus non audiantur voces coelorum; nam:

5.—In omnem terram sonus eorum.

Vel, ut legunt alii, REGULA EORUM, id est, amussis eorum, id est, structura eorum, adamussim facta. Div. Bernardus comparat librum istum libro communi catenae appenso, et Chrysostomus? sic dicit: «Mundus iste, non solum in usum, sed in doctrinam et magisterium datus est.» Alius locus Sap. XIII: *A magnitudine creaturae*, et *Rom.* I: *Invisibilia* etc. Vide Div. Augustinum, psalm. XXVI, ibi *circuivi et immolavi* etc. Sequitur:

6.—In sole posuit, etc.

Div. Hieronymus et Hebraei sic: SOLI POSUIT DEUS TENTORIUM. In primis, solem antiqui homines ut Deum adorabant. Div. Augustinus, lib. XX *contra Faustum* dicit, quod Manichaei adorabant solem, quia ex hoc psalmo colligebant, quod Christus, ascendens in coelum, posuit in sole tabernaculum suum, id est, corpus suum; animam, vero supra coelos. Item solem et lunam esse rationales non solum Philo, *De somnis* et libr. *De opificio*, sed multi ex catholicis putant. Cajetanus (ps. CXXXV): *Facit coelos in intellectum*, id est, intellectuales, et illud psalmi CIII: *Sol cognovit occasum suum*, et poeta: *Lucentemque globum lunae titantiaque astra intus opus alit*; Baruch. III: *Stellae letatae sunt et vocatae sunt, et dixerunt: Adsumus; et luxerunt cum jucunditate ei, qui fecit eas*. Corrigunt stellae protervitem nostram, qua sumus Deo rebelles; stellae, enim, vocatae dixerunt: *Adsumus* Deo. Sapientiae XVI: *Creatura, enim, tibi Creatori deserviens, exardescit* etc., et illud: *Pugnavit pro Deo orbis terrarum* etc. Rursus de sole quaesitus Anaxagoras, ad quid natus esset, inquit: «ut solem considerem.» Div. Ambrosius vocat solem oculum mundi et fenestras coeli. Item, post Deum sol est prima causa rerum naturalium: residet in medio coelorum, in quarto; ut judex aequus, distinguit tempora; omnis lux est ab illo; excitat vapores, condensat, vertit in nubes, solvit in pluviam; omnia gignit, fovet,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

alit. Unde II *Physicorum* dicitur pater mundi, scilicet, mater. Tullius refert de Rege Masinissa, quod quotidie summo mane, cum primum videbat solem oriri, ipsum salutabat, dicens: «Adoro te, anima mundi.» (Vide eundem: *De natura Deorum*, lib. II). Hinc doctissimus ille idiota, sacer Franciscus, a splendidissimo hoc jubare exorsus, Dei gloriam celebrabat. Verba sunt Titelmani (lib. VII phiae. cap. XXIV). Unde Tullius (ibi) solem principem et regem mundi appellat. Unde Div. Hieronymus, VII et XLIV (?) lunam reginam mundi appellat.....

In Psalmum CXLV [1]

.....

6.—Qui fecit coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt.

Dubitatur, primo, circa istum versiculum, utrum omnia alia a Deo sint producta, ita ut Deus sit unum principium productivum omnium; de quo S. Thomas, p. I, q. XLIV, art. I. Notandum, primo, dupliciter contingere, aliquam rem ab aliquo fieri et produci: uno modo, mediate, id est, mediante alio, qua modo dicimus regem facere, quae praetor Salmantinus facit; alio modo, immediate, id est, per se, non vero per alium, quomodo dicitur rex facere, non quae per ministros exercet, sed illa quae per semetipsum operatur. Hinc patet duplicem sensum facere quaestionem propositam: alter sensus est, utrum Deus produxerit mediate omnia, id est, media alia creatura; alter est, utrum Deus produxerit omnia immediate, id est, non mediante aliqua creatura, sed per semetipsum omnia operatus sit? De quaestione, autem, in isto sensu inferius disputabimus: modo vero solum inquirimus, utrum Deus produxerit omnia alia a se, mediate vel immediate? Sit in hoc conclusio affirmativa. Et probatur auctoritate psalmi adducta: QUI FECIT COELUM ET TERRAM, MARE, etc. Ne, autem, quis diceret, Deum tantum produxisse coelum, terram et mare; seu quod egregius vates coeli nomine intelligit coelestes spiritus, et per terram et mare habitatores

(1) Codex: *Ps. 145.*

terrae et maris, quomodo intellexit Div. Hieronymus illud Esaiae, I: *Audite, coeli; et auribus percipe, terra;* et sic, quod ex isto loco tantum convincitur Deum produxisse coeli, terrae et maris habitatores, non autem coelum, terram et mare, adjecit egregius vates: ET OMNIA QUAE IN EIS SUNT. Item probatur ex illo *(Col., I): in ipso condita sunt universa, quae in coelis, et quae in terra sunt: visibilia et invisibilia, omnia per ipsum et in ipso creata sunt:* Joannes, I: *omnia per ipsum facta sunt.* Ne, autem, aliquis de hoc dubitaret, secundo, adjecit: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Item probatur haec veritas ex definitione Conc. Lateran. sub Innocentio III, et refertur in capite FIRMITER: *De summa Trinitate et fide catholica.* Tandem, haec veritas expresse habetur in utroque symbolo, Nicaeno, scilicet, et Apostolorum. Hinc infero, primo, non solum esse de fide, quod Deus produxit omnia; sed esse articulum fidei, quoniam talis veritas expresse habetur in S. Scriptura, et proponitur omnibus fidelibus, ut explicite eam credant. Infero, secundo, esse manifestam haeresim, quod olim Simon magus et alii, quos refert Augustinus (*De haeresibus*, haeres. I.ª) ausi sunt asserere, scilicet, Deum nullius rei fuisse principium productionum, sed omnia producta fuisse a quibusdam angelis inferioribus hujus.....

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

II

IN ECCLESIASTEM

(Auctore P. Fr. Didaco de Tapia Ord. S. Augustini.)

Dum caput IX Ecclesiastes commentaretur Mag. Legionensis, improvisa ratione impeditus, expositionem inceptam relinquere, ejusque prosequutionem P. Didaco a Tapia Augustiniano, percelebri theologo, committere debuit, qui eam ad finem usque capitis X protraxit, fortasse non ultra progressus, quod studiorum cursu labente Luysium successerit. Versus, igitur, capitum IX et X a P. Tapia enucleatos, etsi ea dicendi negligentia videantur expositi, qua Magistri, onere quotidiano compulsi, loqui solebant, colligi debere censuimus, eosque in hanc appendicem comprehendere, tum quod uti integralis commentarii Luysii in Ecclesiastem pars haberi possint, tum etiam quod P. Didacus a Tapia, cujus doctrinae perpauca documenta exstant, intimis fuerit amicitiae, discipulatus, religiosaeque fraternitatis cum Mag. Legionensi vinculis copulatus. Fragmentum, igitur, hujus lecturae edimus, exemplar tomi A in illo transcribendo sequuti, ex quo commentarium Luysii etiam desumpsimus.

CAPUT IX

..... quod (1) unum vel maxime homines suae ignorantiae admonere debuisset: saepe, enim, quae miseranda ipsorum coecitas est, dum honores sectantur, infamiam;

(1) Intra ipsum textum legitur: «aqui dexó el p.e fray Luis de león a 17 de agosto, y sigió el p.e tapia.» Et ad marginem: *Nota.*

dum laeta, tristitiam; dum dulcissimam et jucundissimam vitam, acerbissimam mortem invenerunt. Quod, tamen, praecipue prudentibus hujus saeculi solet accidere; idque justo judicio Dei. Unde, cum apud Jeremiam quidam ex his conquererentur, quod pacis loco atque bonorum temporalium affluentiae, dirae calamitates ipsis evenissent, acerbissimoque mortis genere delerentur, illorum stultam prudentiam exprobrans Dominus, in haec verba respondit: *viae tuae et cogitationes tuae fecerunt haec tibi*; quodcumque igitur malum supervenerit, tibi imputa ipsi, qui dum cibos et ea quae dulcia sunt, quaerebas, aut laqueo aut hamo captus est. Idque jure optime; nam cum tam sis et hebes et stolidus, ratione consentaneum est, ut parem et aequalem bestiis finem habeas, siquidem quia homo non intellexit, comparatus est *jumentis insipientibus et similis factus est illis* (ps. XLVIII). Sequitur in textu:

13.—Hanc quoque sub sole vidi sapientiam et probavi maximam.
14.—Civitas parva et pauci in ea viri (1): venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio.—15.—Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.

Cum multa Salomon in hoc capite mala enumerasset, quae sub sole fiunt: multa injusta, vana et inutilia multa; aliquid modo dicit se interea considerasse, quod sit vera laude dignum, quodque in solum sapientem cadere possit. Illud est, accidere solere non nunquam parva ut sit civitas, et habitatores pauci in ea, ac propterea tunc facile obsideri possit, tunc etiam viribus sit ad se defendendum destituta; veniat, autem, rex adversus eam potentissimus, atque innumerabilium hostium cingat exercitu: in hac, vero, summa temporis angustia, atque extremae necessitatis conflictu repente apparere solet et inveniri humilis aliquis pauper et abjectus, qui praeter omnium civium (non jam opinionem dicam, sed suspicionem) sapientia sua prudentique consilio ingruentia mala avertat, hostes fuget, liberet civitatem, efficiatque ut qui paulo ante metu crudelissimorum exitiorum carere non poterant, laetissima pace et tranquillitate fruantur, vix ipsis sibi persuadentibus tam

(1) In codice: VIRI etc. Et ad marginem: *usque ad illa verba:* ILLIUS PAUPERIS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

insperatam securitatem. Sed, nec bonum aliqua integrum atque perfectum apud mortale genus locum habeat, non modo summus ille vir et excellens, apud suos cives ante vixit inglorius, sed etiam (o ingrata hominum corda et oblita!) postquam soluta captivitas est, postquam reddita patriae libertas, nemo fuit apud quem tanti beneficii maneret memoria, nullum benefactori grati animi officium sui cives praestiterunt; pauper et sine honore tum vixit apud illos, tum etiam mortuus est: tam timuerunt videri grati aut sapientiae et honestatis cultores! Quamvis, autem, inter homines sapientiae nullus locus, nullum praemium sit; sed omnes opes atque divitias sequantur et admirentur, merito ut ille exclamaverit; *Latet, obscuris condita virtus clara tenebris;* quamvis, inquam, hoc ita sit, hoc tamen ego, inquit Salomon, ex his quae vidi, verisime

16.—Affirmo; quod melior sapientia fortitudine.

Quod, enim, militum virtus longo tempore efficere non potuit, id totum unius hominis sapientia brevi temporis momento perfecit, nulloque labore; ut jam non inmerito fortitudo propria sapientiae supellex videri possit, quod ei assignat Sapiens, *Sapientiae* VIII, cum ait: *Per hanc*, scilicet, sapientiam, *videbor in bello fortis*, etc., et eodem capite: *Attingit*, inquit, *a fine usque ad finem fortiter;* nullumque fortitudinis munus est, quod sapientiae non tribuatur capite decimo, ubi sapientiae dicitur suum possessorem et custodisse ab inimicis, et a seductoribus fuisse tutata, et certamen forte illi dedisse, *ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia*, et tandem alio in loco *(Sapient.*, VII), sapientia omnipotens esse consetur. QUOMODO ERGO SAPIENTIA CONTEMPTA EST?, id est, nihilominus, tamen, quod merito unusquisque mirabitur, SAPIENTIA PAUPERIS CONTEMPTA EST ET VERBA EJUS NON AUDITA. Porro, quod hic dicit Salomon de eo viro, qui liberavit civitatem, potest vel ad historiam referri, vel credi ratione inductum. Scire, autem, oportet, quod de hac re habetur historia II *Regum*, XX; ubi mulier quaedam suo consilio tutata est civitatem Abela. Sequitur in textu:

17.—Verba sapientum audiuntur in silentio plus quam clamor principis inter stultos.

Non hoc dicit Salomon ex parte audientium, sed propterea quod sapientis verba silentium illud in auditorum animis et altam quietem efficiant; mirum, enim, est quam homines sapientes observent, verba facturos, quod poeta elegantissime descripsit his verbis:

Magno inquirent populo, cum saepe coorta est
Seditio; saevitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces et saxa volant, furor arma ministrat.

Certe, non potuit evidentius oculis objici turbulenta et seditiosa tempestas; sed videte facilem sedandae illius et expeditam rationem:

Tunc pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arctisque auribus adstant.

Audientur, igitur, verba sapientis cum silentio; hominis, autem, stulti quamvis potentis clamor et vociferatio, clamore ipso et verbis ignavior est, nec quidquam habet roboris aut virium. Nec, vero, immerito divus Hieronymus sententiam hanc accommodat ambitioso cuicumque contionatori: «cum videris, inquit, in Ecclesia declamatorem cum quaedam venustate verborum excitare plausus, audientes in affectus laetitiae concitare, scito, signum esse insipientiae, tam ejus, qui loquitur, tam eorum, qui audiunt; verba quippe sapientis in quiete et moderato silentio audiuntur». Intelliguntque omnes bene affecti auditores verum esse id, quod Pythagoras ille Samius dixisse fertur, musas esse sirenibus praeferendas, id est, nudam sapientiae et veritatis formam praeferendam esse politae et eleganti orationi. Quod, vero, ad rigorem textus attinet, nec comparat Salomon hic unum alteri: quae, enim, esse potest stulti ad sapientem comparatio? Sed docet quid inter unius et alterius verba intersit; nec vero virum sapientem principi contraponit: potest, siquidem, ac debet princeps sapiens esse; sed principi stulto. Nec obstat, quod non dixit plus QUAM CLAMOR PRINCIPIS STULTI, SED INTER STULTOS; nam hoc, aut ideo dictum est, quia si stultos ministros habeat, stultus ipse esse convincitur: debet, enim, princeps prudentibus,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

uti ministris; vel, quod ego magis credo, PRINCEPS INTER STULTOS dicitur, id est, stultissimos, non aliter atque princeps inter sceleratos sceleratissimus est, et inter sapientes princeps sapientissimus. Atque rerum sensum expressit Campensis, linguae hebraicae doctissimus; sic, enim, habet: *Verba sapientum, etiam si non multum clament, ipsa* eficaciora sunt, quam principis stulti vociferatio. Sequitur:

18.—Melior est sapientia, quam arma bellica.

Pergit Salomon in enarrandis sapientia laudibus, eamque praefert fortitudini, quod plus valere soleat in praeliis, quam arma pugnantium; nec, enim, solum non prodesse, sed obesse solet quamplurimum potestas et fortitudo; cujus impetum non moderatur sapientia, «nimisque, de republica quidam dixit, parva esse foris arma, nisi sit consilium domi»; aliisque pluribus Scripturae locis habetur, quod melior sit sapiens viro forti. Caeterum, id quod subditur: ET QUI IN UNO PECAVERIT, MULTA BONA PERDET, ambiguum est, tum quia alii legunt: PECCANS UNUS, PERDET BONITATEM MULTAM, tum etiam quia non videntur haec cum praecedenti oratione cohaerere. Sed quocumque modo legatur, nam et hebraea utrumque sustinent, recte quadrant cum his, qua dicta sunt. Contraponitur, enim, vel stultus quis atque peccator, pacem populi et civitatem universam evertens, viro sapienti, qui illam servaverat; et propterea dicitur, quod PECCANS UNUS PERDET BONITATEM MULTAM: vel, certe, sensus est, uno aliquo facinore et stultitia ea omnia bona perire, quae sapientis consilium paraverat; quod maxime locum habet, cum propter unum peccatum omnes ante actae justitiae pereunt juxta illud: *Qui peccaverit in uno, factus est omnium reus* (Jacob II). Atque omnino his verbis significari mihi videtur id, quod apud aliquos in proverbium duci solet, quod, scilicet, unus stultus projicit lapidem in puteum, quem mille sapientes non extrahunt.

CAPUT X

1.—Muscae morientes extinguunt suavitatem olei.

Hic locus, quoad primam hanc orationem, celebris est apud auctores ecclesiasticos, ac proinde, cum metaphora varios possit sensus sustinere, variis etiam rebus haec verba accommodantur. Divus Augustinus, libro contra Fulgentium donatistam, articulo XIV, tomo VII (1), morientes muscas apellat haereticos, qui sana pungunt, putredine nutriuntur, corporibus fundunt vermes, et oleum doctrinae atque charitatis exterminant; nec ab hoc sensu alienus est Divus Hieronymus hoc loco, inducitque illud Matthaei, XII, ubi istorum hominum pater apellatur Beelzebub, id est, vir muscarum. Divus Bernardus, sermone quodam de Adventu, pissime certe muscas has morientes dicit esse judaeos eorumque in Dominum injurias et opprobria, quibus exterminare et extinguere conabantur suavitatem et bonitatem Domini; non tamen potuerunt, nam ille in mediis doloribus conversus ad Patrem, clamabat: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*; eademque interpretatio placuit Olympiodoro. Divus Hieronymus, epistola quadam, peccata venialia dicit, esse muscas morientes, quae, dum menti insident, charitatis fervorem remittunt, et ad gravia peccata disponunt. Aliis videtur, gravia ipsa peccata muscas dici, quod sicut muscae, parvae cum sint, perdunt pretiosum unguentum, sic per unum peccatum amitti solet cumulus meritorum; sicut etiam, si ad personas hoc referamus, mali solent bonos inficere. His aliisque adaptari solet horum verborum metaphora. Caeterum, sic haec oratio, ut par est, cum antecedentibus cohaerere debeat, jungique cum consequentibus, scilicet: PRETIOSOR EST SAPIENTIA, PARVAQUE GLORIA AD TEMPUS STULTITIA, non parum videtur hic locus difficilis explicatu; praesertim, cum traslationes ita varient, ut Divus Hieronymus legat in hunc modum: PRETIOSIOR EST SUPER SAPIENTIAM ET GLORIAM STULTITIA PARVA; graeca, vero, sic habent: PRETIOSUM EST PAUCUM SAPIENTIAE SUPER GLORIAM STULTITIAE MAGNAE; atque a Divo Hieronymo

(1) PP. Matritenses partem hujus citationis habent ad marginem sic: «cap. XIV Apend. tom. IX. Vide contra Epistol. Parmeniani lib. II, c. 10, n. 22».

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et a graecis verba Vulgatae non parum diferunt, ut videtis. Igitur Divus Hieronymus existimat id, quod supra dictum est, nimirum, UNUM STULTUM MULTA BONA EXTINGUERE declarari hac similitudine: SICUT MUSCAE MORIENTES aparati OLEI ATQUE UNGUENTI PERDUNT SAPOREM ET SUAVITATEM; deinde, vero, quoniam saepe prudentiae misceri solet caliditas, admonet (inquit) Salomon, ut sapientiam simplicem requiramus, eaque cum innocentia columbarum copuletur, prudentesque simus ad bonum, simplices autem ad malum. Est itaque sensus, convenire justo habere parum simplicitatis, nonnumquamque satius esse stultum quam sapientem videri; omnia, enim, tempus habent. Atque eadem videtur esse sententia Glossae interlinearis, atque ad hos accedit aliorum expositio: quod STULTITIA PARVA, id est, ad horam simulata, PRETIOSIOR et utilior EST SAPIENTIA ET GLORIA, ut constat ex facto Davidis, primo *Regum* XXI, quando simulando stultitiam coram rege Achis, evasit periculum mortis. Communis, vero, plurimorum expositio, ut refert Lyra, est, quod SAPIENTIA cum honore parvo MELIOR (sit), quam stultitia cum honore magno; quod supra etiam, capite IV, dixerat Salomon, cum ait: MELIOR EST PUER PAUPER ET SAPIENS REGE SENE ET STULTO; atque ita interpretatur Olympiodorus. Nec, vero, ego dubito, quin hanc expositionem sequantur Graeci, quoniam, ut dixi, graeca sic habent: PRETIOSUM PAUCUM SAPIENTIAE SUPER GLORIAM STULTITIAE MAGNAE vel MAGNAM. Sed pro aliorum expositione, quae fortasse ex omnibus videbitur probabilior, sciendum est, quod apud Hebraeos SAPIENTIA et GLORIA, sunt ablativi casus; STULTITIA, vero nominativi; parva, autem, non est adjectivum hujus nominis GLORIA, sed illius, scilicet, STULTITIA; unde littera, apud hebraeos sic habet: PRETIOSIOR, sive ponderosior EST STULTITIA PARVA QUAM SAPIENTIA ET GLORIA; sensus igitur est quod sicut muscae in unguentum, quantumvis pretiosum, illapsae, si illic moriantur, unguentum corrumpunt ac veluti scabie obducunt; sic parva saepe stultitia homini ob sapientiam praestantesque naturae dotes claro et excelenti multum existimationis addimit. Cum, enim, Salomon sapientem in praecedentibus magnis laudibus extulisset, docet modo, quam ille cavere debeat ne aliqua in re se gerat imprudenter, eo quod levis stultitia plus detrahaet apud homines, quam plurima sapienter facta adferant laudis. Et, quidem, suum unicuique sit judicium; mihi, vero, haec explicatio magis probatur, quae est Lyrae atque Campensis; et secundum eam nostrae literae, recte intellectae, optime quadrant hebraea. Sequitur in textu:

2.—Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra.

Hoc est, mens et intentio justi atque sapientis est in bonum; stulti, vero, et peccatoris in malum. Semper, enim, sacris Litteris dextera felix est, ejusque sors beata; unde cum Dominus ad judicandum venerit (*Matth. capite* XXV), agni stabunt a dextris, nam et ipsi semper ea cogitaverunt quae futuri saeculi sunt, et quae ducunt ad dexteram; haedi vero a sinitris, nam qui stulti sunt, praesenti saeculo adhaeserunt, quod positum est in sinistra, nam *in sinistra illius divitiae et gloria*. Et in *Proverbiis* IV scribitur: *Dexteras vias novit Dominus: quae autem perversa sunt, a sinistris*. Invaluitque haec allegoria, dexterae atque sinistrae etiam apud antiquos philosophos et poetas; unde ille:

Dextera quae magni ditis sub moenia ducit
Ac iter elysium nobis; at laeva malorum
Exercet poenas, et ad impia tartara mittit (1).

Sequitur in textu:

3.—Sed et in via stultus ambulans, stultus cum ipse sit, omnes stultos aestimat.

Quorum verborum et veritas et sensus satis per se constant; stultus, enim, cum ipse in multis (se) ostendat et peccet, caeteros putat peccare simliter, ut qui omnes ex animo et ingenio spectet suo. Alii, alios sensus adhibent, quoniam et aliter legunt; sed iste videtur esse germanior, et cui etiam graeca facile accommodari possent. Bene, autem, mihi videntur haec verba interpretari, qui dicunt, quod stultus, insipiens cum ipse sit, revera omnes, scilicet, a via sua declinantes stultos reputat, quia non sequuntur

(1) Haec aliquanto aliter legantur in Virgilio (*Aeneid.*, lib. VI), ex quo sunt desumpta, ita scilicet:

Dextera, quae Ditis magni sub moenia tendit,
Hac iter elysium nobis: at laeva malorum
Exercet poenas, et ad impia tartara ducit.

visibilia haec, quae ipse sequitur, et quae sola in bonis ducit; unde solent filii hujus mundi religiosos viros atque sapientes, qui terrena, ut par est, contemnunt, stultos reputare, eorumque vox est illa *(Sapientiae,* V): *et quorum vitam putabamus insaniam.* Sequitur:

4.—Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio (1) facit cessare peccata maxima.

Hoc est, si dominandi cupiditas animum tuum invaserit, et in dignitatem fueris evectus, locum priorem ne deposueris, id est, memor esto antiquae tuae conditionis et status; nec ita honoribus intumescas, ut dedigneris in his te exercere, in quibus antea versabaris: haec, enim, animi tui moderatio efficiet, ut vites multa et gravia peccata. Ita locum hunc interpretantur nonnulli, eratque haec hujus loci expositio communis Hebraeis eamque satis expressit Sanctes Pagninus in sua versione, sic enim habet: SI SPIRITUS IRAE DOMINANTIS ASCENDERIT CONTRA TE, LOCUM TUUM NE DIMITTAS, QUIA LENITAS FACIET QUIESCERE PECCATA MAGNA. Doctores, vero, ecclesiastici communiter in sensu longe diverso accipiunt haec verba: *principem mundi,* inquit, *istius et rectorem tenebrarum harum* Scriptura significat hoc loco, qui si te ad supernae patriae beatitudinem studio et cogitatione erectum conetur deturbare, locum tuum singulasque virtutum stationes ne deseruerris; sed pugna potius fortiter et strenue; ea, enim est virtutum medicina, ut cohibere possit aereas potestates spiritusque nequitiae. Videturque peculiariter sermo esse de spiritu libidinis, qui maxime homines infestare solet, et de virtute temperantiae. Symmachus, enim, sic interpretatur: si spiritus principis irruerit tibi, de loco tuo ne recedas, quia pudicitia comprimit peccata magna. Sequitur in textu:

(1) Ad marginem: *id est, animi moderatio.*

5.—Et est malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis.—6.—Positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum.—7.—Vidi servos in equis, et principes ambulare super terram quasi servos.

Continet hic locus difficultatis quidem perparum; doctrinae, vero, permultum. Neque, enim, fuit unquam sapiens aut cordatus homo, qui hoc ipsum malum, rerumque ordinem perversum non fuerit cum Salomone lamentatus. Cum, enim, profunda mente, considerat quis, quod quemadmodum tunc homo recte est affectus et constitutus, cum sensus obtemperat menti, illa vero quasi in arce quadam et altissima sede locata imperat sensui, omnesque ejus motus regit et moderatur; ita bene constituta civitas est, cum sapientes arcem et imperium tenent, caeteri vero subserviunt et obsequuntur (juxta illud *Proverbiorum* XII: *Stultus serviet sapienti,* juxtaque praeceptum Domini, *Exodi* XVIII: *Provide de omni plebe viros sapientes et timentes Deum, qui judicent populum in omni tempore);* cum attendit etiam rationem ipsam dictare, ut ne musicam tractet nisi musicus, docere audeat nisi doctus, neque omnino artem aliquam attingat nisi ejus artis peritus; regere, autem, juraque et leges statuere, altissimam esse et propriam sapientis artem; cum videt nullam esse stulti ipsius majorem calamitatem, quam si sapientis monita contempserit, nihilque beatius illi accidere posse, quam si consilio sapientis regatur (quod vel divina illa historia *Genesis,* XXVII, satis ostendit, ubi justissimus Isaac filium illum, qui a sapientia et virtute desciverat, miseratus, precatur ei, ut fratri sapienti serviat, servitutem, scilicet, quae in maximis malis duci solet, sapienter arbitratur rem insipienti utilissimam, ne in dies in pejus prolaberetur); cum haec, igitur, omnia cordatus homo considerat, conspicit autem ex adverso sapientes et bonos, quos hic Salomon divites apellat, in bonis, scilicet, operibus sapientiae atque virtutis, bonis omnibus pulsos, exutos dignitatibus, neglectos, et in media plebe jacentes atque prostratos, coactos etiam servire insipientibus, ut una cum illis praecipitentur: e contrario, vero, homines nefarios, stultos atque nocentes, honoribus conspicuos, quasi in equis alacres laetosque volitare, fulgere dignitatibus, imperia tenere, jure et natura vetante et pugnante; dum haec, igitur, homo considerat, non potest non in eamdem vocem cum Salomone prorumpere: ET EST MA-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LUM, QUOD VIDI SUB SOLE; POSITUM STULTUM IN DIGNITATE SUBLIMI, justissimamque putat illam querelam: *At perversi residunt celso more solio, sanctaque calcant, injusta vice colla noscentes*, et illud etiam nollet tam esse verum: *Quod dignis adimit, transit ad impios.* Non, tamen, propterea bonus quisque aut sapiens maestus esse debet, aut animo demisso et abjecto: tum, quia si mundus iste eis eripuisset divinas eorum animi virtutes, si fidem, si prudentiam, si constantiam, gravem utique ab eo accepissent injuriam; nunc, vero, ista nec aufert, nec auferre potest: quantum ad haec, enim, quae vere bona sunt, Deus diligenter servat et tenet suos, ut sapientissime dicebat Divus Augustinus. Socratem etiam dicere solitum affirmat Tullius in II *de natura Deorum*, in fine, Deum in suis magna curare, parva negligere: non autem magnum est, honore affici sed esse honore dignum, id vere magnum est. Quod, autem, vitae commoda viro sapienti aut injuria aut casus abstulerit, parum refert, siquidem bono viro prosperae sunt res omnes; quia virtus sufficiens bonum est. Igitur, nemo infelix, nemo Deo invisus existimari debet, si bonis careat externis, quod vel acris illa Job ad amicos interrogatio sufficientissime concludit (cap. XXI): *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?* Hoc est, si in istis rebus vera felicitas consistit, qui praemium virtutis est, qui fieri posset, ut impii permitterentur illis affluere? Affluunt, autem, certe et abundant, nam haec ejus generis bona sunt, ut se malis conjungi patiantur, et ad improbissimum quemque cumulatiora perveniant; igitur, haec in bonis duci non debent. Unde tandem adjungit: *Verumtamen, quia non sunt in manu eorum bona, consilium eorum longe sit a me.* Magna, igitur, rerum humanarum pernicies est, si stulti timonem teneant; sed ferenda longanimiter permittendaque confusio haec atque perversitas huic regimini malorum, semperque habendum prae oculis, quod vera et sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime naturam sequitur, in factis positum, non in gloria, judicat, principemque se esse magis vult quam videri.

Et haec, quidem, pro sententia hujus loci; sed principem illum, a quo egrediebatur haec inaequalitas, plures intelligunt esse Deum, qui, non ob ignorantiam vel injustitiam, sed permissione justa, facit regnare hypocritam propter peccata populi, locatque in dignitate, vel saeculari vel ecclesiastica, homines indignos, divites autem in bonis operibus atque sapientia sinit jacere neglectos. Alii, vero, existimant cum esse principem aliquem temporalem, honores et dignitates revocantem ad stultus favore populi vel potentium. Et non dessunt qui nomine principis hoc loco diabolum intelligant, de quo paulo ante dixerat: SI SPIRITUS POTESTATEM HABENTIS ASCENDERIT SUPER TE, LOCUM TUUM (ne) *dimiseris;* fieri vero a diabolo, ut insipiens quisque in Ecclesia teneat principatum, quo caeci a caecis ducantur et in foveam cadant, dubitandum non est. Sequitur in textu:

8.—Qui fodit foveam, incidet in eam: et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.

Vult, quod (1) stulti proprio se jaculo transfigunt. Quod idem habetur *Proverb.* XXVI: *Qui fodit foveam, incidet in eam; et qui volvit lapidem, revertetur ad eum;* et PSO. VII: *Laqueum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit;* et *Ecclesiastici* III: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Admonemur, igitur, hoc loco, ut, quantum in nobis fuerit, ocasiones vitemus peccandi; seps, autem, atque macera mystico sensu Ecclesiastica dogmata sunt et institutio, a Prophetis et Apostolis profecta, quae, qui dissolverit, a serpente percutitur; de quo serpente scriptum est (Amos, IX): *Si descenderint in infernum, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos.* Sequitur:

9.—Qui transfert lapides, affligetur in eis: et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.

Plerique Doctores ecclesiastici hunc locum ita interpretantur, ac si soli vacaret mystico intellectui: volvuntur, enim (inquiunt), lapides sancti super terram (apud Zachariam), nec firmi in ea statione consistunt, sed praetereunt, et semper ad altiora nitentes, hinc migrare festinant; et Apocalypsis capite XII: *Urbs Salvatoris struitur ex his vivis lapidibus;* quod idem docet Apostolus. Si quis, ergo, haeretica arte perversus, de Ecclesiae aedificio abstulerit istos lapides, non abibit impunitus, sed dira potius tormenta patietur. Scindens quoque ligna, periclitabitur in eis: haeretici, enim, ligna infructuosa sunt, et saltus absque utilitate pomorum; unde et in templo Dei prohibebatur plantari

(1) Sic in codice. PP., vero, Matrit.: *Significare vult, quod...*

nemus, vanaque foliorum viridantium, id est, verborum tantum sonantium contemnuntur umbracula. Quamvis, igitur, prudens sit et doctus, qui gladio sermonis scindit haec ligna, nisi tamen diligenter attendat, periclitabitur in eis, maxime si acciderit ei, quod sequitur:

10.—Si obtusum fuerit ferrum, et hebetatum.

Id est, non manserit homo, qualis ante erat. Evenit, enim, interdum, ut cum modicum scientiae quis habuerit, elatus in superbiam, discere desistat, et paulatim, ex eo, quod nihil additur, detrahatur, vacuumque disciplinis pectus remaneat, et hebetetur ferrum, quod acutum ante fuerat; dessidia, enim, rubigo quaedam sapientiae est. Sed POST INDUSTRIAM SEQUETUR SAPIENTIA.—Hoc est, si cui hoc acciderit, importuno labore et industria continuaque lectione recuperabit pretiosam sapientiae supellectilem, quam amiserat. Hanc simile vero ratione antiqui interpretabantur hunc locum; forsasse, vero, litterae sensus est, quod postquam Salomon praecedenti versu admonuerat occasiones vitare, hoc sequenti docet, stulti etiam hominis esse majora conari, quam pro viribus: Quos conatus assimilat labori pugnantis cum lignis atque lapidibus; addit, autem, eam esse sapientiae vim et industriam, ut magna homines perplexitate et angustia interceptos facili ratione soleat eripere. Et hoc est, quod subdit: SI RETUSUM FUERIT FERRUM, quo ligna secabantur, homo, qui in ea sit angustia, ut non possit prosequi, quod intendebat, adsciscat sibi sapientiam; illa, enim, res alioquim difficiles, faciles reddet; et post industriam sequetur sapientia, id est, post hoc consilium, ejusdem sapientiae virtus et fortitudo declarabitur. Sequitur:

11.—Si mordent serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.

Serpentis morsus, eo periculosior est, quod ille latenter magis aggreditur, spatiumque non concedit homini defendendi sui. Cui est occulte detrahens similis omnino; ac propterea David (ps. C) detrahentem secreto proximo suo, hunc non modo non suscipiebat, sed magis persequebatur, quam si praesenti obloqueretur, nam praesens sui ipsius rationem reddere potest; et psalmo XIII, inter partes boni

viri, enumerat, quod *opprobrium non accepit adversus* proximum suum, id est, quod non modo ab eo, ut proximum verbo laederet, sibi temperabat, sed jactari etiam aut dici in eum aliquid indigne non sustinebat. Et, quidem, peculiariter virtuti detrahere, vitium est satanicum; unde (*Job*, I) Dominum virtutes Job, pietatemque et religionem, commendantem Satan sic interpellat: *Numquid gratis Job timet Deum? tu vallasti domum ejus per circuitum, universamque substantiam ejus, operibus manuum ipsius benedixisti*, etc., id est, quid mirandum si Job colat Deum; nec, enim, gratis et ingenuo amore correptus, ut par erat, tibi servit, sed affectu mercenario, ob ea commoda, quae a te consequitur, et maxima et plurima, quibus si eum spoliaveris, extemplo fas omne abrumpet, amicitiaeque leges faedissime violabit; quod si suspicioni meae fides non datur, extende paululum manum tuam, et tange cuncta quae possidet, et experientia ipsa comprobabis, quod una cum bonis externis fidem omnem et amicitiam exuat, atque in te infidus et blasphemus existat. Quicumque, vero, sint hi de quibus detrahimus, omnino pessimum vitium est detractio, nec excusamur inde, quod non bonis detrahimus sed improbis. Studiosi, enim, viri ac Deum timentes, quod honestum et laude dignum in aliis vident, id amplectuntur et laudant; quod, vero, turpe et indignum, silentio premunt et quasi contegunt; unde Dominus (*Joan.*, XVIII), rogatus a Pontifice de doctrina et de discipulis, pro doctrina respondit: *Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in Synagoga et in templo*, quo omnes Judaei conveniunt, etc.; de discipulis, vero, omnino reticuit, quoniam eo tempore Petrus negaverat, Judas vendiderat, reliqui deseruerant; putavit, ergo, satius de illis tacere, quam loqui. Igitur, hac in parte, quo frequentius peccatur, tam cautiores debent esse boni viri, verbaque illa *Sapientiae* (I) ante oculos habere semper: *Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur*. Custodite, ergo, vos a murmuratione, quae nihil prodest; et a detractione parcite linguae, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit; *os, autem, quod mentitur, occidit animam*. Sequitur:

12.—Verba oris sapientis gratia: et labia insipientis praecipitabunt eum.

Apostolus Paulus, cupiens eos, quos erudiebat, esse sapientes, sic scribit ad eos: *Sermo vester sale sit conditus*. Sermo, enim, boni viri atque sapientis nec asper est et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

inhumanus, nec rursus mollis et dissolutus; sed gratia, moderatione et sale conditus, ita ut et delectet quidem audientes, et eos non sinat diffluere; labia vero stulti, id est, verba, mortem illi perniciemque conciliant: multi, enim, ob stulte atque temere effusa verba perierunt. Aliqui pronomen illud EUM referunt ad sapientem, quem labia stulti praecipitare dicantur, sed planius et verius est referri ad insipientem, de quo subditur:

13.—Initium verborum ejus stultitia: novissimum oris illius error pessimus.—14.—Stultus vero verba multiplicat.

Fortasse error ille pessimus, in quem stultus devenit, est divinae providentiae Deique ipsius abnegatio; ad quam tunc solent homines pervenire, cum ab stultitiae loco quasi profecti, multis peccatis atque flagitiis viam sibi ad infelicissimum illum terminum muniverunt. Quod satis declaravit Psaltes, pso. XCIII, ubi insipientes quidam et stulti, cum populum Dei afflixissent, bonosque viros variis modis vexassent, viduam et advenam et pupillos interfecissent (quos, eo ipso, quod omnes sunt ope destituti, humanitas omnis commendabat), per haec, inquam, tanta et tam immania flagitia in id se miseriae barathrum praecipitarunt, ut dicerent: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob;* et quidam etiam (pso. LXXII) postquam operti sunt iniquitate et impietate sua, *posuerunt in coelum*, id est, Deum, *os suum*. Job etiam, capite XXII, stulti quidam dixerunt: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat; circa cardines coeli perambulat.* Hic, igitur, esse videtur error ille pessimus, in quem stultus lapsus est; congruitque alia quorundam versio, qui loco erroris pessimi insaniam sive furiam transtulerunt: est, enim, Dei abnegatio insana sententia, ferina et inhumana, ut quam ratio omnis et humanitas, super quam *signatum est lumen vultus Domini*, repellat et detestatur. Quocirca, stultus ille et insipiens, qui, hac gravissima poena a sua pravitate multatus, dixit: *Non est Deus*, nunquam hoc verbis externis explicuit nec ore prompsit, sed compressit in corde, eo quod ejusmodi esset ea sententia, ut ne imprudentissimum illud os eam proferri sustineret, veritus obrui communi totius orbis atque universi consensu. Nec, vero, mirandum est, si hic fuerit finis et meta peccatorum insipientis, nam infelicitas sive infortunium cognata est injustitiae; nihil, autem, infelicius esse potest, quam negare Deitatem. Quod autem sequitur: ET STULTUS VERBA MULTIPLICAT dici non potest quam quadret insipientibus, tunc quia constat eos, ut in plurimum, blaterones esse et loquaces, atque aestuantes colluvione verborum; tunc etiam, secundo, quia stultus, sive multa loquatur, sive pauca, (quod tamen nunquam ipse ab insipientia poterit impetrare) semper blaterat et nugatur. Nam qui nihil unquam boni loquitur, nihil utile, etiam in paucis verbis redundat, suoque illo sermone importunus est et molestus; praeterquam quod, si quid interdum videatur boni locutus, cum orationi mores non consonent, atque hac etiam pauca bona verba foedet inhonestissima vita, et stultis factis obruat, certe et hic quoque, dum loquitur, nugari videtur: sapientem enim atque doctorem oportet prius facere, et deinde alios docere. Neque incongrue multiplicare verba dicuntur hi, eo quod cum, ut sequenti versu dicitur, nec praeteritorum meminerint, neque futura cognoscant, atque ignorantiae tenebris volutentur, eos sapientes se putant, si verba multiplicent et hoc est quod subjecit: IGNORAT HOMO, QUID SIT, QUOD FACTUM EST: ET QUOD FUTURUM EST POST EUM, QUIS ANNUNTIABIT EI? Sequitur:

15.—Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.

Perseverat Salomon in enarranda stultorum infelicitate atque miseria. Est, autem, haec illorum vox (*Sapientiae*, capite V): *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis; et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus.* Est, vero, via Domini pergere ad civitatem, hoc est, optimae atque felicissimae civitatis vivendi normam sibi proponere, tendereque in civitatem illam Jerusalem, cujus artifex et conditor est Deus, atque imitari fidelem Abraham, qui, ut testatur Apostolus (*Hebr.* XI) fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando; expectabat, enim, fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor est Deus, illosque sequi, qui juxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes, et confitentes quoniam advenae et peregrini sunt super terram. Qui, enim, haec dicunt significant se patriam inquirere; et quidem, si ipsius meminissent, de qua exierant, habebant utique tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt, id est, coelestem. Ad hanc, igitur, civitatem, de qua *gloriosa dicta sunt* nobis, stulti pergere nesciverunt; nescierunt, autem, culpa sua, nam sol justitiae *illuminat hominem*

omnem, venientem in hunc mundum; et *Jeremiae* XI, dicebat Dominus: *Contestans contestatus sum, mane consurgens contestatus sum et dixi: Audite vocem meam, et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali*. Caeterum, quidam humano sensu, plus quam justo, civiliter locum hunc interpretantes, asserunt sensum esse, quod stulti fatigantur, quia nesciunt civiliter vivere. Nec desunt, qui dicant consilia et labores stultorum hoc loco damnari exemplo principis stulti, qui, quantum in se fuit, curavit occludere et asperam facere viam, quae ducit ad civitatem, eo quod id ad urbis securitatem pertinere videretur; hoc vero solummodo consilii sui commodum reportavit ut illuc pergentes taedio afficeret et fatigaret: decet, enim, publicam viam planam esse et patentem. Favereque huic expositioni videtur, quod quidam vertunt: LABOR STULTI AFFLIGET EOS, QUI NESCIUNT AD URBEM PERGERE; sed et graeca et hebraea conveniunt cum Vulgata, leguntque: LABOR STULTORUM. Sequitur.

16.—Vae tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt.—17.—Beata, terra, cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, et non ad luxuriam.

Litteralis sensus est: infelicem censet civitatem, cujus princeps sensu puer est, luxuique deditus, et cujus judices, dimissis publicis negotiis curisque civilibus, praerumpente aurora, indulgent epulis; quo fit, ut toto reliquo tempore inidonei sint ad gubernandum. Beatam, vero, judicant eam provinciam, cujus rex et ingenuus est, et ingenue ac liberaliter enutritus, honestatisque studiosus, et qui modeste ac temperate cibis utitur, non ut vires ingenium obruant, sed ut tueantur. Quod ipsum, et Plato dixerat: beatas, scilicet, fore respublicas, si eas vel studiosi sapientiae regerent, vel earum rectores studere sapientiae contigisset. Verum sacratior et latentior sensus erit, quod juvenes in S. Scriptura dicantur, qui a veterum auctoritate discedunt, et cana parentum praecepta contemnunt, quique, contempto et neglecto Dei mandato, cupiunt statuere traditionem hominum; de quibus Esaias loquitur (cap. VIII), eisque comminatur, eo quod noluerint *aquam Siloe, quae cadit cum silentio*, et veterem piscinam avertere, eligentes sibi *fluenta Samariae et gurgites Damasci: Et dabo*, inquit, *juvenes principes eorum, et illusores dominabuntur eis*. E contra, vero, legite Danielem (cap. VII) et *vetustum dierum* invenietis Deum; legite Apocalypsim Joannis (cap. I) et caput Salvatoris reperietis *candidum ut nivem, et quasi lana alba*; Jeremias quoque (cap. I) quia sapiens erat, *et cani sunt sensus hominis, atque aetas senectutis vita immaculata*, prohibetur juvenem se esse dicere. Sensus igitur est: VAE TERRAE, cujus est diabolus rex, qui semper novarum rerum est cupidus, qui judices et principes habet eos, qui amant hujus saeculi voluptates, et qui, dum vivunt, semper illud in ore habent: *Manducemus, et vivamus; cras enim moriemur* (Esae. cap. II): E contra, vero, BEATA TERRA Ecclesiae, cujus rex est Christus, princeps, ingenuus, ex Abraham, Isaac et Jacob, Prophetarum quoque et sanctorum stirpe descendens, qui fuerunt liberi a peccato; multo, autem, liberior sacratissima et mater et virgo, cujus fructus fructicem non habuit, sed totus erupit in florem, loquentem in *Cantico canticorum*, II: *Ego flos campi, et lilium convallium*. Principes quoque ejus sunt Apostoli et omnes Sancti, qui regem habent ingenuum, filium liberum, non ex ancilla Agar; nec vero hi principes comedunt mane, nec quaerunt hujus saeculi voluptates, sed manducabunt in regno matris suae TEMPORE SUO, cum, scilicet, retributionis tempus advenerit, cumque impletum fuerit illud Esaiae (LXV): *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; servi mei vivent, et vos sitietis? ecce servi mei laetabuntur, et vos confundemini?* Sequitur:

18.—In pigritiis humiliabitur consignatio (1), et in infirmitate manuum perstillabit domus.—19.—In risu faciunt panem et vinum, ut epulentur viventes, et pecuniae obediunt omnia.

Etiam haec habent consequentem sensum litteralem ad supradictum. Eorum, enim, principum ac judicum, quorum Salomon stultitiam et intemperantiam reprehenderat, modo reprehendit pigritiam et ignaviam. Id, quod explicat hac similitudine; quemadmodum ignavia domini solvitur domus, atque, corruentibus testis, interiora omnia et penetralia patent pluviae, grandini, caeterisque injuriis coeli, pari ratione regnum subvertitur otio et dissidia principis ac judicum; otium, autem, atque dissidiam dici non potest, quam sequatur intemperantia et luxuries. Et hoc

(1) Ad marginem *el maderamiento de la casa*.

est, quod subdidit: IN RISU FACIUNT PANEM ET VINUM, hoc est, ad voluptatem parant cibos, seque et exhilarant vino; et obruunt, UT EPULENTUR VIVENTES; et eorum pecunia ministrat nequitiae ipsorum, quodcumque libuerit. Cui veritati et doctrinae ethnici etiam ipsi consentiebant, et satyrice quidem, sed vere, complexus est Juvenalis (satira 6.ª): *Quondam contingi parva....; nunc patimur longe pacis mala; saevior armis, luxuria incubuit*, etc. (1). Et littera, quidem, istis videtur explicata; alter, vero, sensus erit: quod quia pigri sumus, et ad bona opera tardiores, tunc domus nostra interior, secundum quam habitamus in coelis, a sublimi loco corruit in terram; et quia in operibus virtutis torpemus, idcirco magnas patimur tempestates, domusque nostra subvertitur. Ingens, vero, hujus mali causa est, quia Magistri et Praelati Ecclesiae IN RISU FACIUNT PANEM ET VINUM, UT EPULENTUR VIVENTES; id est, loquuntur quidem in Ecclesia, et docent populos, sed ea docent, quae populum audire delectet, et peccatores palpant in vitio. Itaque quando in Ecclesia, quasi lascivit orator, et promiscuae multitudini facile beatitudinem pollicetur, satis superque liberalis, his certe IN RISU FACIET PANEM ET VINUM; quia Ecclesiae panem, qui panis lugentium est, in laetitia gaudioque conficit. Quod, autem, sequitur: ET PECUNIAE OBEDIUNT OMNIA, ad magistros ipsos potest referri, qui propterea populo et magnatibus adulantur, quia ditari quaerunt. Sequitur:

20.—In cogitatione tua, regi ne detrahas; et in secreto cubiculi tui, ne maledixeris diviti: quia et aves coeli portabunt vocem tuam; et qui habent pennas, anuntiabunt sententiam.

Consilium nobis dat Salomon, viro sapienti dignum, ne quando, ira et impatientia devicti et superati, prorumpamus in maledictum et detractionem, sive regum, sive principum; quia contra spem, interdum evenit, ut nuntietur his, quibus maledixímus, atque ob imprudentiam et immo-

(1) Sic in codice. Quae tamen, servata versuum distinctione, ita in Juvenali leguntur:

Praestabat castas humilis fortuna latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebat
Tecta labor, somnique breves.....
Nunc patimur longe pacis mala; saevior armis,
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.

derationem linguae, periculum incurramus. Illud, vero: QUIA ET AVES COELI PORTABUNT VOCEM TUAM; ET QUI HABENT PENNAS, ANUNTIABUNT SENTENTIAM, intelligendum est hyperbolice; usurpavit, enim, Salomon modum loquendi (qui communi hominum sermone ferebatur) ad exaggerandam famae celeritatem naturamque evulgatricem eorum, quae omnino secreta esse putabantur; non aliter atque nos ipsi dicere solemus, parietes ipsos, quibus confisi loquimur, annuntiaturos quae dixerimus. Estque singularis ad hoc ille locus Habacuc (II), ubi Propheta, loquens ad quemdam, qui existimabat fieri non posse, ut ejus delicia et facinora patefierent, admonet ipsum, ne tam amens sit et stultus, ut hoc sibi persuadeat, quia *lapis*, inquit, *de pariete clamavit et lignum quod inter juncturas aedificiorum* est respondebit. Et, quidem, celeritatis famae insigne exemplum habetur II *Reg.*, XIII, ubi, Amnone interfecto ab Absalone, omnes filii Regis, qui aderant, idem excidium timentes, accinctis equis, fugerunt ad Davidem; nihilominus, tamen fama mali multo ante pervenerat ad Regem. Nec vero, pervenit per eos, qui adfuerunt, quando mortuus est Amnon, nam credibile est, quod qui facinus viderant, non mentirentur; qui autem prius nuntiaverunt Davidi, mentiti sunt; affirmarunt, enim, Absalonem interfecisse omnes filios Regis. Merito, igitur, ille (Virgilius, *Aen.*, I) famam facit *pedibus celerem et pernicibus alis, cui quod sunt corpore plumae, tot vigiles oculi, tot linguae, tot subrigit aures...* Et de eadem dixerat, quod: *ingrediturque solo, et caput inter nubila condit*, eo quod ab obscuro quovis et ignobili ad principes soleat pervenire.

Et hactenus de isto capite X (1).

(1) In codice adjungitur: *Finis hujus cap.i X.*

FINIS TOMI I

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX TOMI I

Pagina.

Procemium generale in latina M. Luysii Legionensis opera, et ratio hujus editionis. V
In Canticum Moysis procemium. 1
In Canticum Moyses expositio. 3
In Psalmos procemium. 107
Expositionis Psalmi XXVI Cardinali Quirogae dedicatio. 111
In Psalmum XXVI expositio. 114
In Psalmum XXVIII id. 169
In Psalmum LVII id. 192
In Psalmum LXVII id. 204
In Ecclesiastem. 271
In Ecclesiastes expositionem procemium. 273
Operis argumentum. 279
Ecclesiastes expositio. 282
Voluminis I Appendix. 506
In Psalmum XV. 512
Id Psalmum XVI. 519
In Psalmum XVIII. 523
In Psalmum CXLV. 580
In caput IX et X Ecclesiastes, auctore P. Didaco de Tapia. 582

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CORRECTIONES

Pag.	*l.*	*errata*	*corrige*
X	16	allique	aliaque
XI	22	1829	1779
XXI	28	Legionensis	Legionensi
XXII	26	Barrionuevo	Barriovero
id.	34	expectantia	spectantia
XXIV	6	Manuscrita	Manuscripta
XXV	5	Junui	Junii
XXVI	12	O-111-82	O-III-82
id.	16	Joaquim	Joachim
4	20	ex persona	ex persona (Dei)
17	11	movilitate	mobilitate
id.	16	fruendo	faciendo
70	1	concludat	concludant
150	7	iratur	iratus
155	15	ipse	ipsi
159	16	ad	ab
255	8-9	cincumcingi	circumcingi
256	32	effuet	effuet
336	17	affuet	affuet
428	30	sparsi	sparsa
442	26	claudur	claudus
447	28	*animan*	*animam*
524	14	aliis	alis
529	29	proterritem	proterviam
530	19	qua modo	quo modo
533	12	esi	es
535	22	quaedam	quadam
536	9	sapientia	sapientiae
id.	22	qua	quae
537	28	sic	si
543	1	stultus	stultos
544	16	Hanc	Hac
547	10	hac	haec
549	27	consignatio	contignatio
id.	35	testis	testis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

BR65
L4
v.1

FEVT
46508

AUTOR

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS